




VETERUM ALIQUOT SCRIPTORUM,

Qui in Galliæ Bibliothecis, maximè Benedictinorum latuerant,

SPICILEGIUM.

Tomus Septimus continet

Prodeunt nunc primùm in lucem

Operâ & studio DOMNI LUCÆ DACHERII *è Congregatione S. Mauri Monachi Benedictini.*






PARISIIS,

Apud CAROLUM SAVREUX, insignis Ecclesiæ Parisiensis Typographum in atrio Templi Beatæ Mariæ sub insigni trium Virtutum.

CIↃ. DC. LXVI.

Cum Privilegio Regis & Superiorum permissu.





LECTORI.

NON à meipso, id est, *præsumptione, pessimo præceptore, sed ab illustribus viris* adductus sum, ut novas colligerem spicas, ex quibus VII. Spicilegii nostri volumen consurgeret, uti in Sexti Præfatione promiseram, cùm id laborum meorum terminus esse debuerit. *Hieron. ep. 27.*

Quid autem operæ in hoc VII. volumine præstiterim, & quænam Opera ad illud concinnandum è veteribus Mss. codicibus collegerim, paucis expediam.

Primas tenet LIBER ÆNEÆ PARISIENSIS EPISCOPI ADVERSUS GRÆCOS, è Bibliotheca Thuanea jam ab annis plus minùs duodecim erutus. In eo multa cùm Græcorum, tum Latinorum Patrum testimonia adducit Æneas. Græcorum testimonia propter antiquam illorum interpretationem reliqui sarta tecta; Latinorum verò, cùm & prolixiora essent & frequentiora, ne tædium parerent Lectori, sæpiùs expunxi; servatis

I. Liber Æneæ Paris. Episcopi adversus Græcos.

tamen prioribus & posterioribus verbis, remissóque ad edita citatorum Patrum Opera Lectore. Vtraque, partim ad excusos Auctorum libros, partim ad Mss. contuli, adnotatis lectionibus variis, & nonnullis observatis quæ in editionibus non exstant.

Caroli Calvi Imperatoris temporibus inter Galliæ Præsules pietate ac eruditione conspicuus vixit Æneas; eúmque summis laudibus effert Lupus Abbas Ferrariensis in epistola 98. nomine Cleri Parisiensis scripta ad Guenilonem Archiepisc. Senon. *Æneam cujus præconia præmisimus, concorditer omnes eligimus, Æneam patrem, Æneam Pontificem habere optamus. Quamvis enim tanta prudentia ac probitate præcellentissimus* Rex *noster polleat, ut solum ejus judicium de viro memorato posset sufficere: tamen conditionis humanæ non nescii, futurorúmque curiosi, aulicorum nos ipsi propositum ac mores longè priùs inspeximus, & inter graves probabilésque personas & sanctitate ferventes, hunc quem Antistitem habere cupimus quotquot eum nosse potuimus, ut nunc palam est, absque errore annumeravimus, &c.* Et in rescripto Wenilonis Metropolitani & Coepiscoporum provinciæ Senonensis ad Clerum Parisiensem, Lupi epist. 99. *Quis leviter tetigit palatium, cui labor Æneæ non innotuit, & fervor in divinis rebus non apparuit? Quamobrem electionem in eo factam Deo propitio libenter sequimur, ut eum profuturum populo ejus, ad dignitatem pontificatûs*

promovendum, concorditer decernamus. Sit igitur vobis paſtor qui pro ſuis ad Deum meritis bene complacuit, & ſequentes ejus veracem doctrinam, & ſancta opera imitantes, ad cœleſtis regni paſcua properate felices. Epiſcopi etiam qui Cariſiacenſi Synodo adfuerunt, in epiſtola ad Ludovicum Regem Germaniæ, *Æneam Epiſcopum honorabilem* appellant.

Unam ejuſdem Æneæ epiſtolam, & alterius epiſtolæ fragmentum reperies in tomo 2. Concil. Galliæ pag. 670.

Schiſma Græcorum contra quos Æneas ſcripſit librum hunc, quandoquidem memorarunt multi ſive antiquiores, ut Nicolaus Papa I. in epiſt. ad Galliæ Epiſcopos, Ratramnus Corbeïenſis qui libros IV. compoſuit contra Græcorum oppoſita*; Frodoard. in hiſt. Eccleſ. Remenſis lib. 1. cap. 17. ſive recentiores, ut Baronius in Annal. Eccleſ. &c. Nos etiam in Præfatione tom. 2. Spicilegii pag. 1. & ſeqq. multa hîc repetenda de eo non duximus.

* *In tomo 2. Spicilegij noſtri.*

Advertas porrò Lector librum Iſidori Hiſpalenſis *de Ordine Creaturarum* quem in tomo 1. Spicilegii edidi, ab Ænea citatum pag. 53. (tametſi quotquot hactenus legerim, hujus non meminerint) haud perperam me Iſidoro tribuiſſe licèt ſolo ductum ſcripti codicis titulo: vetus enim eſt & gravis auctor Æneas cui fidem adhibendam puto.

Quod ad Fauſtini ſive Fauſti homiliam atti-

net, quâ uſus eſt Æneas adverſus Gręcos, vide ſi placet noſtram Fragmento ejuſdem homiliæ præfixam annotatiunculam pag. 118.

II. B. Petri Damiani Sermones in Orationem Dominicam.

Petri Damiani Cardinalis ac Epiſcopi Oſtienſis Sermones quinque in Orationem Dominicam, quos diverſis temporibus habuit ad Catechumenos, dum eos ſacro fonte ablueret, initiarétque, excerpſimus è vetuſto ac prægrandi volumine MS. Corbeïenſis Abbatiæ, heîc in Bibliotheca noſtra aſſervato, in quo variæ SS. Patrum reperiuntur homiliæ, in divinis Officiis ſolitę antiquitùs recitari.

III. Nicolai de Clemangis Liber de Studio Theologico.

Proximè poſt Sermones illos habes erudititſſimum, ſolidè pium, ac doctrinam antiquorum Patrum redolentem librum de Studio Theologico Nicolai de Clemangiis, ſive Clamengiis, Theologi Pariſienſis è Navarrę domo. Aureum iſthoc Opuſculum complectitur ſcriptus codex, mecum communicatus à doctiſſimo Theologo Pariſienſi & Canonico Eccleſię Aurelianenſis Raimundo Formentino. Habet & plures epiſtolas nomine Pariſienſis Academię conſcriptas, quas auctorem Clemangium neſciens tomo VI. Spicilegii inſerueram inter acta, quę ad ſchiſma pertinent quod Concilium Piſanum pręceſſit, nempe pag. 81. Carolo Regi Francorum: pag. 106. ad Clementem VII. Romanum Pontif. pag. 104. Reſponſionem, &c. ad litteras Studii Colonienſis: pag. 106. Cardinalibus mortuo Clemente VII. pag. 109. domino Clementi:

pag. 65. Benedicto Papæ. Sunt & alię quatuor ineditę epistolæ in pręfato Mſ. pro Academia Parisiensi missæ: 1. ad Clementem Papam: 2. ad Capitula Cathedralium Ecclesiarum: 3. ad Iohannem regem Aragonię: 4. ad Petrum de Luna, Benedictum nuncupatum: quę quoniam ad Acta præfata attinebant dumtaxat, à me hîc omissæ sunt, sicut & nonnulla levioris momenti Opuscula. Qui Clemangii Opera omnia editurus est, ea colligere poterit: sat mihi indigitasse.

At verò menda quamplurima lacunásque cùm in Fromentineo codice offendissem, anxio mihi suppetias dedit amicus, vir antiquæ rei peritus, atque alium codicem membranaceum obtulit, unde menda extersi correxíque, & lacunas supplevi.

In Miscellaneis epistolarum hæc observare non pigeat, Lector. Amalarii caput ultimum lib. 3. de Ecclesiasticis officiis, scilicet *de Nomine* IESU, quod in editionibus desiderabatur, licèt capitum index id notaret, suppeditavere duo codices scripti Abbatiæ Corbeiensis, necnon & alias quas nunc primùm damus in lucem epistolas. Exstant quoque ea omnia in duobus Mſſ. Bibliothecæ Vaticanæ notatis 1146. & 1147. uti è literis eruditissimi domni Gabriëlis Flambart Procuratoris nostri Generalis in Curia Romana nuper accepi. Exstant denique in cod. Mſ. Monasterii S. Benigni Divionensis Ord. S. Benedicti.

IV. Miscellanea Epistolarum.

De Amalario observatio.

Amalario Trevirensi quatuor hosce libros de Officiis Ecclesiasticis constanter asserunt qui huc usque illos edidere, freti haud dubiè Trithemii testimonio: sed abs re, ut ante me jam observatum est à doctissimis viris, nimirum à Iacobo Sirmondo in Notis ad Ennodium; à Iohanne Bona in Notitia Auctorum Tractatui de Divina psalmodia præfixa; à Philippo Labbe in tom. I. Dissertationis historicæ inter Addenda, ubi refert ipse ea de re elegantem Sirmondi epistolam; & ab aliis. Scio equidem hosce viros, Sirmondum maximè, contendere Diaconi Ordine dumtaxat insignitum fuisse Amalarium. At luce clariùs patet, Sacerdotii munia eum obiisse, præsertim ex Epistola ad Guntardum, quem sic alloquitur sibi ab ipso objectis respondens initio: *Fili mi recordatus sum, percunctatum esse pollens ingenium tuum, quare non me cum majori custodia custodirem, ne ilico post consumptum sacrificium spuerem. Addidisti, quod non videres ceteros Sacerdotes hoc facere, &c.* Patet item Abbatem fuisse Amalarium ex Ms. codice Thuaneo not. 374. quædam è libris de Officiis velut excerpta continente in hunc modum: *Tomus Amalarii Abbatis de Divinis Officiis.* Et post multa: *Continentia secuturæ causæ Amalarii Abbatis, viri doctissimi, de Ordine Romanæ Ecclesiæ, qui vocatur liber Officialis.* Is nimirum liber forsitan est de quo Trithemius lib. 2. de Viris illustr. Ord. S. Bened. cap. 43. *Fertur nonnulla*

plena eruditionis edidisse Opuscula: De Officiis Ecclesiast. librum I. *scripsit de eadem re latiùs postea ad Ludovicū Libb. 4.* Auctor æqualis Agobardus Lugdun. Archiep. contra hos libros IV. Amalarii nimium acriter & indignè scripsit librum, nuperrimè à V. Cl. Stephano Balusio in lucem emissum, ubi Amalarius Abbas nuncupatur. Legendæ ejusdem Paluzij notæ pagg. 34, 140, 143.

Denique non modò Amalarium Sacerdotem & Abbatem exstitisse, sed etiam Episcopum, docent illi Bibliothecæ Vaticanæ scripti codices. Quam verò sedem occupaverit non indicant, nec mihi licuit hactenus conjectare.

Atque ut Sirmondi & aliorum utcumque conciliem cum nostra observatione sententiam, fieri potuit, ut cùm Amalarius suos de Officiis Ecclesiast. libros conscriberet, solummodò esset Diaconus, ac postmodùm Sacerdos seu Presbyter ordinaretur, pòst Abbas, tandémque Episcopus constitueretur. Quamobrem amanuenses qui posteriori tempore illos descripsêre libros, & Abbatem & Episcopum eum appellavêre. Nec obstat Ademarus in Chronico, cujus auctoritati innititur Sirmondi sententia: quippe tribus post Amalarium vixit sæculis, háudque discere potuit ipsum Diaconum solummodò fuisse, nisi fortè ex aliquo Ms. At codices à nobis in medium adducti Ademaro sunt antiquiores: quorum unus in Gallia, duo Romæ asservantur.

Observationem istam cùm perscripsissem, incidi in Apologiam Davidis Blondelli pro sententia Hieronymi &c. Vbi sect. 2. n. 3. Amalarium ita perstringit: *Amalarius eum Metensium, (quod Honorius somniavit) non Lugdunensium (quod alij perperam conjecerunt) Pontifex; non (quòd vulgò placet) celeberrimus ille legatione Constantinopolit. anno 814. defunctus Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopus, cujus anno 847. gregem regebat, 851. demum vivis exemptus Hetto, sed* ὁμώνυμος *alius qui anno circiter 827. de Ecclesiasticis Officiis scripsit, Hetti primùm Archidiaconus; sed anno fortè 824. ad episcopatum evectus, cùm de eo & Halitgario Cameracensi sequentia in Concilii Paris.* data tunc ad Hludovicum Augustum epistolâ legamus: vestræ imperiali potentiæ per venerabiles viros Halitgarium & Amalarium dirigere præsumpsimus. Vtrumque enim inter Episcopos sedisse, rescripto suo ad Hieremiam Senonensem Ionámque Aurelianensem directo*, his verbis usus nos docet Imperator: venerunt ad præsentiam nostram Halitgarius & Amalarius Episcopi VIII. Id. Decembris, &c. Quocumque autem loco sederit Amalarius (cùm explorare per otium non liceat) sententiam, &c.*

* Synod. Paris. de imaginibus init.

* In fine ejusdem Synodi.

V. Ebbonis Apologia.

Ebbonis Archiepiscopi Remensis Apologeticon unde ad me pervenerit ex subjecta Clarissimi viri Iohannis Bona disces epistola:

DOMNO LUCÆ DACHERIO.

MITTO quod pridem indicavi Ebbonis Remensis Apologeticon, haud contemnendum ecclesiasticæ antiquitatis monumentum. Statim ac intellexi te illud desiderare, contuli me in Vaticanam, & obtenta facultate quæsivi, & reperi in codice Ms. bibliothecæ Palatinæ 576. pag. 14. repertóque ibi satis perito amanuensi ei tradidi transcribendum. Tum cum præfato apographo, quod circa annum 900. scriptum Leo Allatius V. C. asseverat, diligentissimè contuli, & si quid erratum fuerat emendavi. Non videtur alicubi sensus integer: sed tu ut soles, conjecturas adjicies & notationes. Si quid autem ago quòd studiis tuis prosit, non est cur mihi gratias reddas; tibi enim debeo multis nominibus quidquid habeo, quidquid possum, &c. « « « « « « « « « « « « « « « «

Romæ die 19. Febr. 1664.

RICHARDI III. Normannorum Ducis Donationem propter nuptias Adelę factam, è chartario Ecclesiæ collegiatæ Ariæ urbis in Artesia excerptam mihi contulit vir clarissimus dominus d'Herouval. Donatio Richardi Ducis propter nuptias Adelæ facta.

Perrarum non tantùm est hocce vetus monumentum, verùm & omnibus quos huc usque vi-

di Scriptoribus inauditum & non visum. Meminere quidem Richardi Guillelmus Gemmeticensis, Ordericus Vitalis, Simeon Dunelmensis, & alii non pauci: at de matrimonio cum Adela Roberti Regis Franc. filia contracto, déque ejus dote altum apud illos silentium. Sic etenim illi. Guillelmus Gemmet. hist. Norman. l. 6 c. 1. *Igitur Richardus juvenis in Ducatu superstes genitoris* (Richardi II.) *licèt paulisper supervixerit, &c.* Itē c. 3. *Decedente igitur Duce Richardo à mundani principatus culmine, & Regna ut credimus Vranica scandente, Robertus frater ejus totius Monarchiæ Comitatus ab omnibus subrogatur.* Ordericus Vitalis hist. Eccles. lib. 3. post init. *Defuncto Richardo Gunnoride, Richardus juvenis filius ejus successit: & vix anno uno & dimidio Ducatu potitus obiit.* Simeon Dunelmensis de gestis Anglorum ad an. 1026. *Richardus II. cui successit Richardus III. qui eodem anno obiit.* Eadem repetit Radulfus de Diceto. Iohannes Brompton & Henricus de Knygthon addunt: *Quem* (Richardum III.) *post annum sui Ducatus Robertus frater suus junior veneno exstinxit.*

Inde, reor, Scriptoribus istis absconditum Richardi Ducis matrimonium ac donationem, quòd paucissimis diebus vixerit conjugio copulatus cum Adela; quam eodem ipsius Ducis obitûs anno uxorem duxit Balduinus Flandrensis Comes cognomento Insulanus sive Pius, præfatæ Ecclesiæ sancti Petri Ariensis fundator; unde

chartophylacio ejusdem Ecclesiæ inseri voluit, ut conjicio, donationis chartam, quò magis fieret authentica, atque ipsam posteritati consignaret.

De Adela, vel Athala, & Ala, legesis Emmæ encomium inter historiæ Norman. Scriptores editum ab Andrea Chesnio pag. 176. Hugonem Floriac. in Chronico: Meierum in Annal. Flandr. lib. 1. ad an. 1027. Porrò in illis quæ Richardus confert Adelæ, animadverto Abbatiam quæ appellatur Portbail, in Constantiensi nimirum ditione. Sed inibi ejus nominis Abbatiæ vestigium superest nullum: locum equidem pagúmve *Portbas* vocitatum, quinque circiter leucis à Carento distantem ad oram oceani, haud verò Monasterium eo nomine signatum inveni; nec usquam fas fuit in vetustis monumentis aut historiis Abbatiam illam deprehendere. Itaque difficultatis hujusce nodum oculatioribus solvendum relinquo.

IOHANNIS GOFREDI sive Godefridi S. R. E. Cardinalis oratio, quam habuit cùm Iohannes Balüe Andegavensis Episcopus purpurâ donaretur in Ecclesia Parisiensi ab Avinionensi Cardinale Alano de Coetivy An. Domini MCDLVIII. latebat in codice papyraceo Monasterii de Lyra in Normannia, scripto ea tempestate, videlicet an. MCDLXX octavo die Aprilis ante Pascha per fratrem Guillelmum Majoris; (*le Maire*) S. Dionysii in Francia Monachum, Priorémque S. VI. Oratio Iohan. Godefridi Cardinalis.

Clari Rotomagenſis diœceſis. Hic codex miſcellanea continet variorum Auctorum, cum duobus verſibus quos ſubjiciam:

Tu qui ſuxiſti de Virgine virgineum lac,
Cœleſtis regni ſcriptorem participem fac.

LE MAIRE.

Ille autem Godefridus ex Monacho & Abbate ſancti Dionyſii in Francia, Epiſcopus fuit Atrebatenſis, pòſt Albienſis, ac demum S. R. E. Cardinalis tituli ſancti Martini in Montibus. Godefridi meminit Trithemius in lib. 4. de viris illuſtr. Ord. S. Bened. Iohannem Attrebatenſem appellans: *Vir certè*, inquit, *ſtudioſus & eruditus, atque in negotiis eccleſiaſticis peragendis admodùm ſtrenuus, ingenii ſui plura monimenta tranſmiſit ad poſteros*: Quæ cùm minimè indicet Trithemius, eum dubio procul fugerunt ſicut & alios qui de Godefrido ſcripsêre. Nullam enim orationis præfatæ fecêre mentionem. Ciaconius in vitis Pontificum Romanorum in Pio II. Victorellus & Ughellus ibidem: Friſo in Gallia purpurata: Sammarthani fratres in Epiſcopis Atrebat. & Albienſibus.

Eſt alia Godefredi oratio in codice Lyrenſi cum hac epigraphe: *Propoſitio facta per Reverendiſſ. dominum Cardinalem Albienſem coram præcellentiſſimo Rege Caſtellæ Henrico anno Domini* MCDLXIX. Et in fine: *Finit harenga per Reverendiſſ. &c. compoſita, propoſitáque Cordubæ co-*

ram, *&c.* ut ſuprà. Quam Deo favente in Tomo VIII. publicabimus.

Quatuor in tomo iſto VII. Spicilegii Chronica prodeunt in lucem.

Primum perbrevem Epiſcoporum Albigenſium ſive Albienſium, & Abbatum Caſtrenſium (Caſtra nunc epiſcopatus eſt) ſeriem complectitur: ſingularis in ea fit mentio Walfredi cujuſdam hæretici, omnibus, ni memoria me fallit, Sciptoribus ignoti, ut pag. 341. annotavi. Walfredi hæreſis præcipua oſtenditur hoc verſu: VII. Chronicon Epiſcoporum Albienſ. & Abbatum Caſtrenſium.

Corpus & unà animam morte perire docet.

Exemplar iſtius Chronici collatum fuerat Chantelovio noſtro dum in vivis ageret, ab illuſtriſſimo & integerrimo Senatore Toloſano Guillelmo Maſnavio.

Secundum eſt Chronicon ſancti Trudonis (*S. Tron*) diœceſis Leodienſis, cujus auctor Rodulfus Abbas, vir inſignis religione, doctrinâ, prudentiâ & conſtantiâ, qui non ineleganti ſtilo deſcribit nudè ac ſincerè, nec ſtudio partium indulgens, quæ vel à probatis & optimę notæ Scriptoribus edoctus erat, ex antiquis monumentis, quantum ipſi fas fuit eruerat, quæve ab oculatis teſtibus hauſit, aut ipſemet perſpexit. Conqueritur nihilominùs in pag. 345. de librorum penuria, quódque ſuorum negligentiâ prædeceſſorum poſteritati traditum nihil propè repererit. Ab octavo libro ad finem uſque ſua VIII. Abbatiæ S. Trudonis Chronicon.

ipsius gesta sub aliena persona commemorat, ne inanem gloriolam videretur aucupari, & ut liberiùs quidquid in administrando Monasterio prȩclarè ac fortiter gesserat, posteritati commendaret. Etenim eumdem stilum, eumdémque scribendi modum in prioribus ac in posterioribus septem libris animadvertere est. Plures alias lucubrationes edidit Rodulfus, quæ in Chronico enumerantur, præsertim in paginis 439, 450, 455, 407.

IX. Chronicon Valciodorense, *vulgò* Vasor.

Tertium obtinet locum Valciodorense Chronicon, à Monacho ejusdem Asceterii conscriptum. Libri fundationis Abbatiæ Valciodorensis scriptorem fuisse Robertum docent Molanus in *Natalibus Sanctorum Belgii* ad diem III. Decembr. describens Translationem corporis sancti Eloquii Presbyteri ad Cœnobium Valciodorense; & Aubertus Miræus in *Originibus Cœnobiorum Benedictinorum in Belgio*; & in *Originibus Benedictinis*, de Valciodorensi agens Monasterio: ubi eadem planè refert uterque hoc modo: *De hac Translatione* (S. Eloquii) *plura habet liber fundationis Cœnobii Valciodorensis ante trecentos annos* (immò quadringentos, si verè est Auctor Robertus, ut Chronicon apertè indicat pagg. 572, 573.) *à Roberto Monacho Stabulensi, pòst Abbate Valciodorensi conscriptus. Ex illo itaque nonnulla libet hîc subjungere: Egressus à Summo Pontifice &c.* Nempe ipsamet propè verba Chronici Val-

ci Valciodorensis à nobis editi, pag. 533. paucis tamen contractis atque immutatis. Vnde si tantorum virorum testimonio fidem adhibemus, conjiciemus & illius libri fundationis Cœnobii Valciodorensis, & Chronici auctorem esse Robertum. Sed enim Chronici Continuator cùm nequaquam Robertum, ne verbulo quidem, asserat Auctorem, par est credere nec Chronicon istud, nec librum fundationis Robertum contexuisse. Non enim, ipsum eximiis laudibus efferens, rem qua ipsum haud mediocriter commendare poterat, vel ignoravit, vel sciens præteriit. Si Robertus ipse scripserat librum fundationis, quod volunt Molanus & Miræus, ídne oblivione pressisset Chronici Continuator, Roberti acta commemorans. Nequaquam verisimile est, quandoquidem se inter Roberti discipulos qui Magistri gesta noverant versatum esse haud obscurè insinuat dum ait: *Hic quàm idoneus & efficax in administrandis utriusque hominis rebus necessariis fuit, Fratres utriusque loci* (Valciodorensis & Hasteriensis) *ab eo nutriti, & ad sacros Ordines per eum promoti noverunt, quorum nonnulli adhuc vivunt.*

Bini fuêre Valciodorensis Chronici conscriptores, ut videre est pag. 568. Quod Chronicon perducitur ad annum circiter 1242. Continuatur siquidem tempore Iohannis Episcopi Leodiensis, qui consecratus est anno 1229. Henri-

cum Abbatem ultimum deſcribens, iſthæc in fine ſubinfert: *Qui etiam nunc nobis præeſt feliciter, tredecimum agens annum, &c.* Enimverò ſi anno 1229. tredecim addas, reperies annum 1242.

Utrumque Chronicon Trudonenſe & Valciodorenſe deſcribi curavit eruditus juxta ac religioſus domnus Symon Guillemot ſancti Giſleni Subprior è Gemblacenſis Cœnobii codicibus manu exaratis, & ad me ea perhumaniter miſit anno 1660.

X. Genealogiæ Balduini de Avenis.

GENEALOGIÆ ſequuntur à BALDUINO Avenenſi collectæ, quas maximi ſemper fecêre qui in ejus generis lucubrationibus operam & ſtudium collocaverunt, illis ſæpè uſi dum genealogias texuêre diverſas. Quippe innumeras fermè proſapias Nobilium, Magnatúmque non ſolùm Arteſiæ, Hannoniæ, Flandriæ & Brabantiæ, ſed etiam orbis Gallici, multarúmque provinciarum extra Galliæ limites poſitarum complectitur. Inde quamplurima notatu digna hauſit Andreas Cheſnius ad texendas Luxemburgenſis domûs, & aliarum geneſes.

Haſce Balduini Genealogias viri clariſſimi Caroli Freſnii domini du Cange Ambianenſis Quæſtoris humanitati debeo, qui apographum anno ſuperiore ad illuſtriſſimum dominum d'Herouval mihi tradendum tranſmiſerat. Errores nonnullos eo in apographo repertos correxi, alios

compoſitò præterivi intactos, orthographiam ſæpiuſculè barbaram, ne ſtilum Auctoris mutaſſe viderer, ſervandam putavi.

XI. Chronicon Moſomenſe.

Poſtremò habes, Lector, CHRONICON MOSOMENSE ex duplici apographo, Bibliothecæ Sangermanę altero, altero Franciſci Cheſnii, propria Andreæ parentis manu olim exſcripto. Auctor initio exhibet vitam ſancti Arnulfi, quem paſſim Martyrem vocitat, more tunc uſitato, quamvis haud pro fide ſanguinem fuderit ſuum, tormentáve paſſus fuerit, ſed tantûm quòd à latronibus ſauciatus peremptúſque ſit. De quo martyrii genere clariſſimus vir Hadrianus Valeſius ſcitè admodùm, uti ſolet, plura ſuppeditat exempla in tom. 3. Rerum Francicarum libb. 21, 22, 23. nimirum ſanctorum Præjecti Arvernorum, Theodardi Tungrorum, Leodegarii Auguſtodunenſis, & Emmeranni Reginenſis Epiſcoporum.

Chronicon Moſomenſe viſum, opinor, fugit oculatiſſimi Sirmondi cùm Galliæ Concilia ederentur. Nam ſi illud vidiſſet, non dubito, quin integram Synodum apud Montem ſanctę Marię anno 983. celebratam inſeruiſſet tomo III. pag. 598. ubi deſunt ultima verba & ſubſcriptiones Patrum Synodi; quæ omnia noſtro in Chronico reperies.

Quædam in Miſcellaneis Epiſtolarum præpoſtero ordine à me collocata, ne mireris Lec-

tor erudite: en ratio in promptu eſt. Quum duas noviſſem prolixas epiſtolas jampridem in lucem prodiiſſe, eas prelo ſubtraxi, & plures ſubrogavi earum in locum breviores, útque obviam venerunt ordinavi. Si qua ſunt alia tum in hoc, tum in aliis pręcedentibus tomis, aliàs priùs edita, oblivioni adſcribas, obſecro, & hominem eſſe me memineris, qui humani à ſe nihil alienum putat, ut aiebat antiquus ille. Inſtituti enim mei eſt, nihil jam publicatum recudere: niſi fortè id ſit aut emendatius, aut prolixius, ne ſtomachum moveam legenti. Vale.



Prelum jam egreſſa Præfatione, mihi in mentem venerunt epiſtolæ duæ, prooemii inſtar, S. Forannani vitæ (quam non ita pridem ad nos trãſmiſit domnus Simon Guillemot) præfixæ; eáſque obſervationi meæ de Valciodorenſis Chronici auctore ſi ederem nonnihil lucis allaturas exiſtimavi.

ADDENDA

in Præfationis meæ pag. 17. poſt hæc verba : *adhuc vivunt.*

Sed ne ego præfractè contendere, aut aliqua ſubducere videar quæ conjecturis obſint meis, ingenuè duas proferam epiſtolas, in quibus apparet Robertum S. Forannani Abbatis Valciodorenſis vitam compoſuiſſe, quamvis illo in Chronico nulla ipſius vitę fiat mentio.

PRÆFATIO SIVE EPISTOLA I.

ROBERTI *Sacerdotis & Monachi ad dominum* WIBOLDUM *Abbatem Stabulenſem.*

INCLYTO totiúſque prudentię fulgore inſigni domino WIBOLDO Abbatum egregio, Frater ROBERTUS ſuorum utinam clientum ultimus, quidquid Prçceptori ſubditus. Non, ô Rector

» inclyte, veſtræ autoritatis indignetur magnifi-
» centia, quòd in conſpectu veſtræ dignitatis, no-
» ſtrę audemus manifeſtare ſchedulas exiguitatis;
» verùm nec temeritatis ſupercilio id factum exi-
» ſtimet veſtrę pietatis eſſe dignatio. Non ergo hęc
» in opere luculentæ verboſitatis inveſtigare orna-
» tum, atque animadvertere ab imperito velitis
» qualiter enucleatum. Vt igitur hoc examinatio-
» nis roboretur judicio de veſtræ magnificentia
» confidens pietatis, veſtris obtutibus repræſento,
» quo vigeat in aliquo veſtri ſi diſplicet arbitrii
» correptio, veſtræque ſi placet roboretur admi-
» niculationis decreto.
»
» *EPISTOLA II. VVIBOLDI ABBATIS*
» THEODERICO *Abbati Valciodorenſi.*
»
» FRATER WIBOLDUS Dei gratiâ Stabulenſis
» Eccleſiæ ſervus domino THEODERICO
» venerabili Valciodorenſis Eccleſię Abbati, Re-
» verendo Fratrum Conventui divinis ſemper in-
» vigilare ſtudiis & provehi muneribus. Gratias
» agimus, Dilectiſſimi, Conditoris omnium in-
» æſtimabili gratiæ, qui univerſalis Eccleſiæ ſuæ
» pulchritudinem certis temporibus miro ordine
» magnis autoribus ipſe idem novus ſemper & per-
» fectus artifex condecorare non deſinit; & una-
» quæque per orbem Eccleſia & maris undas in-
» terdum patitur, littoris tamen firmitate aliquan-

do gaudet diſcipulis in navicula Chriſtum dor- «
mientem excitantibus, & Chriſto fluctibus im- «
perante. Chriſtum utique, Fratres, & vos Apo- «
ſtolico exemplo in veſtra navicula excitatis, «
dum veſtris, quibus Eccleſia veſtra regitur Pa- «
tronis, honorem & devotionem exhibetis, dum «
ea quæ in eis ipſe operatur miracula ad multo- «
rum notitiam & ædificationem perducere deſi- «
deratis. «


Scripſiſtis nobis per fratrem noſtrum & filium «
veſtrum ROBERTUM, vitam & miracula Beati «
Pontificis & Abbatis Forannani ipſius non par- «
vipendendo ſtudio compoſita, eâ, ut nobis ipſe «
retulit, intentione, ut ſi qua nimis viderentur «
compoſita vel ſuperflua, noſtra parvitas elima- «
ret, aut detraheret, & totum corpuſculum «
Operis noſtra cooperatio roboraret, quod «
Operi ſi neceſſarium inſpicerem fore, quę in- «
junxit & vos injungitis aggredi non recuſarem «
planè. Sed quia per omnia probatur laudabile, «
de cetero præceptis veſtris cupio obtemperare, «
ſi labores noſtri pro Eccleſia, ſi Regni quibus «
obligamur negotia proſperos habeant exitus, «
& nobis aliquot ſepoſitis curis aliquando indul- «
geant otium. «

Vos interim eo quo cœpiſtis ſtudio Beati «
Confeſſoris miracula amplectimini, & memo- «
riæ tradere curate: quia ſi veſtra perſeveret «
devotio, ſi ſtudium non laſſeſcat, ſi religio «

„ accreſcat glorificationem ſacri corporis , vide-
„ re corporeis merebuntur oculis , quibus tan-
„ tùm manifeſta datum eſt videre miracula. Cu-
„ jus temporis felicitati noſtra utinam intereſſe
„ mereatur præſentia, noſtra ſubſervire parvitas,
„ ut ſacrorum cinerum glorificatio ſit noſtræ fi-
„ dei de ſpe reſurrectionis confirmatio ; ſit in
„ præſenti tempore de tribulationibus noſtris
„ conſolatio, de exilio ad patriam, de morte ad
„ vitam tranſlatio.




ELENCHVS



ELENCHUS
CONTENTORUM
IN TOMO SEPTIMO
SPICILEGII.

MISCELLANEA EPISTOLARUM.

* ij





ÆNEÆ PARISIENSIS EPISCOPI LIBER ADVERSUS GRÆCOS.

PRÆFATIO.

ÆNEAS Parisiacensis urbis Episcopus, quo primus præsedit S. Dionysius à Paulo Apostolo Atheniensium consecratus Archiepiscop. sed à sancto Clemente totius Galliæ constitutus Apostolus; Pacem & gloriam Catholicæ fidei cultoribus.



LEGIMUS in libro Iudicum, quòd præscientia divina terræ inclytæ semini Abrahæ, ob immensæ fidei laudem repromissæ, inesse reliquias Chananæorum ex parte permiserit, scilicet ut experiretur in eis Israël, ne fortè otio torpens ignarus bellorum foret, cujus efficax virtus, Deo præduce, dudum regnum egregium cunctis sæculis prædicabile, sibi armis vindicaverat. Hujus æquitatis lance cælestium, terrestrium & infernorum Dominus, sanctam Ecclesiam non haben- *Iud. 3.*

tem maculam aut rugam, annulo suæ passionis sibi solemniter jure regio desponsatam, hæreticæ pravitatis assertionibus lacessitam, victrici laurea experiri voluit, veluti stans in acie manus in bella contraheret, & ob creberrimam adversariorum victoriam, in amplexu sui sponsi condelectans, in totius lætitiæ patente triumpho admodum exultaret, & frequenti concertatione in bella Dei sui assurgens, scientiâ repugnandi venustata cum decore polleret; ut se toxicatis armis adtentantes potenter repellere addisceret, ipsi conclamans, qui caput galeati contrivit Chelydri, ac
Psal. 34. 1. fiducialiter agens: *Judica, Domine, nocentes me; expugna expugnantes me. Apprehende arma & scutum, & exurge in adjutorium mihi.*

Igitur multoties devicti hostes cùm indignè ac turpiter rediviva audent reparare certamina, in hoc segnitia deterioris famæ per ora Magnatorum infeliciùs deteruntur, quo subrigi ingeniis fraudum ad sublimiora gestiunt, sed ceu effeminati viribus terga præbentes deformiter succumbunt. Ita si quidem venenata pernicies perversi dogmatis ab initio nascentis Ecclesiæ usque ad præsens nequiter pullulans serpere non desistit, occupare incautos, corrumpere doctrinâ quietos, more latronis aggredi latenter bene degentes, vera in falsis transmutare callidè laborans. At sancta Ecclesia jam quasi senio lassata, cum Moyse ad Dominum interventrices elevat manus pro suis ut vincant, & pulchrè Aaron & Hur fatigatas sustinent, scilicet novi & veteris Testamenti series, testimonia sanctarum defensionum in promptu festina portendit, ne fortè sui, quos Catholicè enutriens ad perfectionis culmen evexit, cedant spiculis oppugnantium, sed clypeo veritatis viriliter resistentes, Domino virtutum & Regi
Exod. 15 1. gloriæ jocundantes proclament: *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est, quia equum & ejus ascensorem dejecit in mare.*

Tempore Ludovici Imp. cœpêre Græci Roma- Itaque temporibus gloriosi & orthodoxi HLUDOWICI Imperatoris Græcia, quæ se matrem verborum & genitricem Philosophorum, & omnium liberalium artium fautricem appellari contendit, de his supersti-

tionibus superfluis, quæ & nunc Romanam Ecclesiam, immo & omnem gentem latinâ linguâ utentem consulere tentavit, satisque mirandum in tam vilissimis quæstionibus occupatam, longævo ventilatis ævo, & perspicuè ad liquidum dilucidatis, quæ totius peritiæ ac facundiæ se fore gloriatur auctricem, ut pelagus dialecticæ subtilitatis expostulat, putans se posse veraciter distinguere vera à falsis. Ergo, ut intonat Apostolus usque ad tertium cælum raptus, si *Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt*, hæret sagacitas de puro fonte potantium, cur ita hebetudo sensûs despicabilia sciscitando summa tenere conantes ignominiosè obtenebrat, quos culmen magni intellectûs, ut illi falsò opinantur, in gremio amplitudinis suæ velut coruscans amplectitur & fovet. Nempe cùm populi Orientalium, quasi sub scabello Domini specialiter subsidentes, cum Occidentalibus in fidei documentis disceptare videntur, quasi sol pulcherrimus mane in Oriente positus, in occiduos suæ lucis radios vesperi transmutat in tenebras. Non autem cæli climata deteriores reddunt animos mortalium, neque plagæ supernæ pro variarum dementiis sectarum culpandæ, cùm Oriens & Occidens mixtim contineat justos & reprobos, sed humanitas primò bona condita, & in libero arbitrio potenter stabilita, negligendo Creatorem, & obaudiendo seductorem, de dextris ad lævam promoveri meruit, exin orbis multiplicis tramiti devio inhiare cœpit.

nam Eccl. exagitare.

1. Cor. 1. 22.

Nec adeò mirum ab Asia, vel à finibus Europæ, ubi sita Constantinopolis Græciæ Metropolis habetur, tantarum fallaciarum oriri discrimina: si enim revolvantur sanctorum statuta Canonum, & Ecclesiasticarum discutiatur series historiarum, ab illius regni partibus potiùs quàm sub Romana ditione degentibus, reperientur pullulasse genimina viperarum, id est, quàm plurimi inventores perversorum dogmatum, veluti fuerunt, ut ex multis memoremus aliquos, Arius, Eunomius, Photinus, Marcion, Cherinthus, Manichæus, Hebion, Nestorius Constantinopolitanus Episcopus, cæteræque pestes dilatatæ hæreseos, quibus non fuit requies omni instantia Catholicas

In Græcia Hæreses quamplurimæ pullularunt.

dilacerare & oppugnare mentes. Euthichius etiam Constantinopolitanæ urbis Episcopus de Resurrectione in tantum erravit, ut affirmaret quod corpus nostrum nulla resurrectionis gloria futurum esset impalpabile, ventis aëréque subtilius: Sed nos è contra dicimus, sanctáque credulitate firmamus, quòd in illa resurrectionis gloria erit corpus nostrum subtile quidem per effectum spiritalis potentiæ, sed palpabile per veritatem naturæ. Nam beatus Papa Gregorius quondam in eadem Constantinopolitana urbe positus, cum præfato Eutichio de hac re in conspectu Tiberii Constantini Imperatoris gloriosum habuit certamen, veluti ipse pleniùs commemorat in decimo quarto libro Moralium Iob. Sed ita ab eo nobiliter est devictus, ut pellem manûs suæ teneret, dicens: *Confiteor quia omnes in hac carne resurgemus*: quòd omnimodis priùs negare consueverat.

Est autem dictu lamentabile, quia eadem sedes quæ caput levare conatur ad superos, pro rectæ fidei Præsulibus doctrinâ fœdatos Rectores olim habuit hæreticâ, quos Tripertita denotat Historia, & sanctorum Patrum in Canonibus damnat solertia. Non verò in Romana Sede, Deo Rectore, tale unquam contigit dedecus, ut aliquis Hæresiarches eidem præsideret, quam summus Apostolorum Princeps sua sessione illustravit, & fuso sanguine consecravit, cui suas regendas oves Dei Filius speciali cura commisit; nec mirum, quia ipsi dictum fuerat: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo claves regni cælorum.* Ergo cui propria auctoritate regnum dabat, hujus fidem firmare non poterat? Quem cùm petram dicit, firmamentum Ecclesiæ judicavit*. Liberius tamen Papa à Beato Petro tricesimus septimus quamvis à fidei tramite non deviaret, exilio & minis Ariani Principis territus, non virtute qua debuit perfidis Arianis viriliter repugnavit. His autem qui ab arce totius Christianitatis deviare videntur, novásque adinveniunt quęstiones, rectè intonat Paulus ad Galatas, quorum ex Græcia propagatur origo: *Miror: quòd sic tam citò transferimini ab eo qui vos vocavit in gratiam Christi* IESU *in aliud Euange-*

Nullus Pontificum Rom. usquam hæresiarcha.

Matth. 16. 20.

* *f.* indicavit.

Galat. 1. 6.

lium, quodnon est aliud, nisi sunt aliqui qui vos conturbant, & volunt convertere Euangelium Christi. Magna etiam auctoritate ingeminat dicens: *Sed licet nos aut Angelus de cælo euangelizet vobis præterquam euangelizamus vobis, anathema sit.* Et consequenter addit: *Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: Si quis vobis euangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit.* Ibid. 8.

Iure itaque à Rectore sanctæ Ecclesiæ à via veritatis aberrantibus talia apostolicè inferuntur. Hac etiam virga reprehensionis digni habentur: *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit veritati non obedire, ante quorum oculos* IESUS-CHRISTUS *proscriptus est & crucifixus?* Denique cunctis sæculis enorme generatur piaculum, dum ab ipsis, quorum doctrinâ adornari debuerat Ecclesia, florere nitore religionis, & augmentum accipere suæ salvationis, humiliari zelo nequitiæ contenditur: & à qua omnis macula longè abesse debuerat, ei infligere nituntur, ut non sit à sordibus aliena. Sed quia sanctus dicit Apostolus: *Oportet autem hæreses esse ut probati manifesti fiant.* Fallaciarum ludibria, quæ ad eam applicare tentavit sanctarum hostis animarum, clypeo Redemptoris sui repelli habet, nec patietur divinitas visibilium & invisibilium rerum sacratior & potior vinci à creatura quæ condita fuit Angelica, sed ob tumorem superbiæ sua sponte non alio cogente sceleratior facta incidit in baratrum perpetuæ damnationis, cui nil placitum, nisi tantùm perditio Beatorum. Nam cunctorum opifice largiente, sapientiam non vincet malitia, sed victor apparebit in propriis, qui suos semper à primo armavit spiritalibus documentis: *Omnes* enim *qui volunt piè vivere in Christo* IESU, *persecutionem patientur.* Galat. 3. 1. 1. Cor. 11. 19. 2. Tim. 3. 12.

Itaque in præsentiarum jam adfore deprehenditur ætas plena miseriarum, quæ præsentitur amplecti spatium temporis, de quo Apostolus lamentando præcinuit, dicens: *Erit enim tempus cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi Magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Ecce in promptu hæc prædicta serpere conspicimus, & ideò dum tuba personatur belli, 2. Tim. 4. 3.

necesse est ut arma aptentur in militum membris, ut doctum industriâ præoccupare nequeat perfidus hostis. Quamvis autem in talibus controversiæ procellis concutiatur Domini exercitus, valde indignum ut animos fortitudine nobilitatos, à statu rectitudinis detorqueant hæretica pravitate degeneres. Quantò enim astutia diaboli cum sæva calliditate accedit atrocior, tantò providentia fortium cautiùs præmunita debet esse paratior. Admonens siquidem alumnum Timotheum Apostolus ne impediretur decipulis malignantium, blandè hortatur, dicens:
Ibid. 2. 17. *Profana autem & inaniloquia devita; multùm enim proficient ad impietatem; & sermo illorum sicut cancer serpit.* Ad Titum etiam ita dicit: *Stultas autem quæstiones & genealogias, & contentiones & pugnas legis devita: sunt enim inutiles & vanæ.* Et ut sollicitior redderetur, & sancto
Tit. 3. 10. 11. acumine instructior esset, addit: *Hæreticum hominem post unam & secundam correctionem devita; sciens quia subversus est qui ejusmodi est, & delinquit cùm sit proprio judicio condemnatus.* Ergo cum sancto Eliseo credamus, quia plures sunt nobiscum quàm cum illis, idest, utriusque Testamenti sagacissimi Patres, & pro defensione veræ fidei avidissimi & invictissimi bellatores, qui cum robustissimo Iosue Deum supplicare studeant ut stet sol, id est tempus sanctæ conversationis prolixiùs clarescat, donec se verus
Thess. 4. 17. Israël ulsciscatur de inimicis suis. *Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem,* dicit Apostolus, postquam unda baptismatis & Spiritu sancto in gratia Christi renovati sumus. Quocirca non cedendum adversariis, sed viriliter resistendum, ut non capiamur illius inlecebris, qui de supernis ob superbiam ad ima delapsus, hoc elaborat nisibus iniquitatis, ut Ecclesia quæ est filia pacis dilaceretur doctrinâ fœditatis, & pateat morsibus erroris.

Hæc & similia ut præcaveret Timotheus, sacrarium
2. Tim. 2. 23. Spiritus sancti caritate fervens admonet Paulus: *Stultas autem & sine disciplina quæstiones devita; sciens quia generant lites.* Hæc nempe præcavere oportet generaliter cunctos in Christum credentes, maximè eos qui regimen

debent habere animarum, & esse speculum bonorum operum, & sanctarum forma virtutum. Indéque gemendum bene viventibus, quia unde in sancta Ecclesia decorum esset splendere honorem gaudii, ab his partibus multis volventibus sæculis oboriuntur immensi detrimenta scandali. Si enim ferrum ferro acuitur, congruum esset ut Græca lingua à vero non discreparet, in quo Latina normam Catholicæ fidei indissolubiliter tenet.

Hæ sunt ergo superfluæ quæstiones ad sæcularia potiùs quàm ad spiritalia tendentes, quæ non videntur procedere ab experientia magni intellectûs, sed nasci à reprehensibilitate exterioris sensûs. Illud itaque pelagus, ut jactatur, insignis eloquentiæ infert Romanis auribus:

Græcorum objectiones. *Vide Ratram. contra Opposita Græc. lib. 1. c. 2. & seqq. in Tom. I. Spicilegii nostri. Et Flodoard. in hist. Rem. l. 3. c. 17.*

Quare Spiritum sanctum à Patre & Filio profiteamur procedere, & non à solo Patre.

Rursus quare in Sabbatis jejunium exerceamus.

Et quare ab officio Presbyterorum nuptias arceamus.

Addunt etiam quare Presbyteri Latinorum inhibeantur frontes baptizatorum chrismate linire, cùm locus consignandi in fronte propriè sit Episcoporum, & in vertice Presbyterorum.

Item sciscitantur quare à carnium esu octo hebdomadibus ante Pascha, & septem à casei & ovorum more suo non cessamus.

Opponunt præterea cur Clerici barbas radant;

Et quare Diaconi nondum suscepto Presbyteratus officio in Episcopos ordinantur, ut mos est aliquando Romanis.

Conqueruntur etiam de transmigratione Principatus Romanæ Sedis, quam dicunt factam Constantinopoli, unde & eam cum Patriarcha suo caput dignitatis appellant.

Ad stultarum cumulum & inertiam ineptiarum garrientes inquirunt, quare chrisma nostrum, immo Dei, ex aqua fluminis conficiamus.

Et quare agnum simul cum corpore Christi & Sanguine in Pascha super altare ponamus, & more Iudæorum offeramus, cùm nullatenus hæc vel aliquis desipientium

unquam crediderit. Quæ duo in tantùm videntur indignissima, ut ab auditu fidelium ex toto judicentur penitùs esse extranea.

Hæc deliramenta versutiarum græcalis industria supercilioso ambitu per Romanum spargit Imperium, & Dominicis aciebus insistens astu calliditatis scaturiens contendit lacessire quietos. At contra repugnant ducibus injusta molientium agmina supernarum virtutum, quin immo longè portendunt scutum sanctæ repulsionis inlustrium defensio Patrum, concordia Canonum, auctoritas & victoria excellentissimorum Antistitum, per Christiani nominis limitem in theoria magnificè vulgatorum, verbo ac doctrinâ cælos contingentium. In hoc forti congressu non ferent vexilla tyrones, nec fatigata brachia efferent emeriti senes, sed delecta viribus juventus, id est, in fide Christi perfectissimis utentes sensibus, ex omni parte armis sacrorum dogmatum munita corpora mentésque ferentes, inclyta lacessient bella, & Domino favente victores existent. Lege autem triumphantis peracto certamine, dum lassatis quasi membris refrigerium subministrabit Spiritus sancti afflatus, potiti voto gloriosissimi milites, & ob agoniam eximiè lætantes, ad cælos porrigent conspicuos vultus, Regi Regum dominatori suo laudis præconia acclamantes: *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.* Et: *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.* At verò exhilaratus pater totius Ecclesiæ, Apostolicę scilicet Sedis Beatissimus Pontifex, cum Paulo Apostolo erigens in excelso caput, hæc verba protectori Deo solemniter personabit: *Dominus autem mihi astitit & confortavit me; ut per me prædicatio adimpleatur; & audiant omnes gentes: & liberatus sum de ore leonis. Liberavit me Dominus ab omni opere malo, & salvum faciet in regnum suum cæleste, cui sit gloria in sæcula sæculorum, Amen.*

Psal. 23. 8. *Ibid. 10.* *2. Tim. 4. 17.*



QVÆSTIO

QUÆSTIO, SIVE OBIECTIO I.

Quare Spiritum sanctum à Patre & Filio profiteamur procedere, & non à solo Patre.

SANCTUS ATHANASIUS Alexandrinæ Sedis Episcopus, Græcæ linguæ experientissimus, ubi Beatus Marcus Evangelista præsedit; quæ Sedes secunda est à prima Romana, ut Canonum Statuta decernunt, in Libro DE VNITATE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS * dicit: *Quòd in Patre sit Filius & Spiritus sanctus; & quia Spiritus sanctus à Deo Patre procedat, ubi nequaquam excluditur Filii nomen.*

Capitulum I. Encomium S. Athanasij.

al. * *in edit.* De Ariana & Catholica fide; *estque lib. VIII.* De unitate Dei, *paulò ante finem.*

Serviendum itaque est Christo Filio, quia & perfectus Deus, & verus est Filius. Et qui fideliter servit Filio, Patri servit & Spiritui sancto qui in eo est. Et qui adorat Patrem, in ipso adorat Filium & Spiritum sanctum, quia in Patre est Filius, & Spiritus sanctus qui à Deo procedit, ipso Domino dicente: *Ego in Patre & Pater in me.* De Spiritu quoque sancto sic ait: *Spiritus autem paraclitus qui à Patre meo procedit.* Et cùm Filium quis adorat, in eo Patrem adorat & Spiritum sanctum, quia in ipso est Pater: dicente eo: *Qui me videt, videt & Patrem meum.* Et iterum: *Pater autem in me manens, ipse facit opera.* De Spiritu verò sancto sic ait: *Ille*, inquit, *me clarificabit*,

Ioan. 14. 10.
Ioan. 15. 26.
Ioan. 10. 9.
Ibid.
Ioan. 16. 14.

Ibid. 15. *quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Et, *Omnia quæcumque habet Pater mea sunt. Propterea dixi vobis, quia de meo accipiet.* Spiritus itaque Patris, Spiritus Filii est,
Galat. 4. 6. Apostolo dicente: *Quòd autem estis filii Dei, misit Deus*
Rom. 8. 9. *Spiritum Filii sui in corda nostra.* Et iterum: *Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Et iterum:
Philip. 1. 19. *Scio enim quia hoc mihi proveniet in salutem per vestram orationem & subministrationem Spiritus* IESU-CHRISTI.
Joan 14. 26. In Euangelio quoque ipse Dominus ait: *Paraclitus*, inquit, *Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* Et in
Act. 16. Actibus Apostolorum ita legitur: *Transeuntes autem Phrygiam & Galatiam, vetiti sunt à Spiritu sancto loqui verbum. Cùm venissent autem in Mysiam tentabant ire Bithyniam, & non permisit eos Spiritus* IESU. Manifestissimis igitur testimoniis probatur, quod Spiritus sanctus, Spiritus paraclitus, Spiritus qui à Patre procedit; Spiritus sit Filii, Spiritus Christi, Spiritus IESU.

Capitulum II. *In edit. titulum hunc præfert*, De Vnitate Dei lib. 1. sub init.

ITEM sanctus ATHANASIUS in libro de unitate Trinitatis: *Quòd Spiritus sanctus unitus Deus sit in Patre & Filio, sic dicit:*

An ignoras quia Pater unus Deus est, & Filius unus Deus est, & Spiritus unus Deus est? Nonne unus Deus est, dum unitum nomen est in natura ὁμοίως; sic & unus Spiritus est, quia unita est ejusdem divinitas. Nam si tu per singula nomina personarum unitum nomen Spiritus ter designasti, nunquid[a] tres Spiritus dicere oportet[b]? absit. Quòd si hoc potuerat[c] dici, tale erat ut & hoc in confessione[d] deberet introduci, tres Deos plurali[e] numero nuncupari: ut jam non esset in his personis unita natura[f] divinitatis, sed unusquisque in propria vel diversa natura sua consisteret. Quod absit. Interea rursus eadem repeto, & ad tua dicta verba comparo, & sensum intellectûs mei tibi refero*. Pater unus Deus est, Filius unigenitus Deus est, & Spiritus sanctus unitus in Patre & Filio Deus est.

al. [a] num quod.
al. [b] oportebat.
al. [c] poterat.
al. [d] & hoc confessione.
al. [e] in plurali nuncupari.
al. [f] in his una natura.
al. * revelo.

ITEM idem in eodem libro*: *Quòd Spiritus sanctus nec Pater sit nec Filius, sed de natura unita existens procedat de Deo Patre, & accipiat de Dei Filio.*

Capitulum III.
* Scilicet primo.
Ibidem in medio.

BEATUS IOHANNES Evangelista dicit in epistola sua. *Tres sunt qui testimonium red dunt*[g] *in cælo, Pater & Verbum & Spiritus, & in Christo* IESU *unum sunt*. Non tamen unus est, quia non est in his una[h] persona. Nam *unum* quod dixit de utrisque, quid aliud intelligitur, quàm quod Deus Pater in natura divinitatis, idem ipse dicatur & Dominus, idem ipse sit & Spiritus, & Filius Deus? idémque sit in divinitate & Dominus; idémque sit in deitate & Spiritus[i], sed & Spiritus paraclitus Deus: idémque sit & Dominus in natura Deitatis: idem sit & Spiritus. Vides quia in deitate & in substantia plenitudinis per omnia unum sunt, & in omnibus personarum tres sunt. Nam quòd tres sunt, quid aliud sentitur[k] fuisse, quàm Pater verus unus, vel solus qui genuit, idem non sit qui & unigenitus ab ipso est? Et Filius unus qui non genuit sicut ipse à Patre genitus[l], Pater non sit: & hic Spiritus sanctus alius sit[m], qui nec Pater nec Filius est[n] qui nec genuit nec genitus est; cùm alius sit[o] in persona qui genuit, & alter sit in persona[p] qui unigenitus ab ipso est, & alius adæquè in persona, ut dixi, secundùm divinam Scripturam, qui nec Paer nec Filius est: hic est Spiritus sanctus, sed planè de unita natura est: Ideò in deitate unita, unitum divinitatis nomen est[q], sicut in claritate Euangelicæ Scripturæ, de Spiritu paraclito Filius testatur, dicens: *De Patre procedit*: & sic prosecutus est: *Et de meo accipiet*. Et ideò ubi personæ requiruntur, propria nomina[r] distinguntur. Vbi autem deitas poscitur, unitum nomen[s] indicatur. Quoniam *sumus* ad nomina personarum pluraliter dictum demonstratur: ac per hoc in deitate divinitatis[t] unita unum sunt, & in nominibus personarum tres sunt.

1. Ioan. 5.
al. g dicunt, &, dant.
al. h non est eorum una, &c.
al. i sit & Spiritus.
al. k quis sentitur.
al. l gignitur.
m alius sit, deest in edit.
ad. n in edit.
al. o alter sit hic persona.
al. p sit persona.
al. q commune nomen ei est.
Ioan. 16.
ad. r in edit. per hæc, &c.
ad. s in edit. in his.
t in edit. deest, divinitatis.

Capitulum IV.
* initio.

ITEM idem in libro secundo * de propriis personis & de unito nomine divinitatis: *Quòd Spiritus sanctus sicut mittitur à Patre, item mittitur & à Filio.*

Ioan. 5.
al. [u] nomen Patris.
Exod. 23. 19.
Psal. 117.
al. [x] Nam si, &c.
al. [y] pariter.

Si Filius in nomine Patris venit, nunquid ipse est Pater qui ait: *Ego veni in nomine Patris mei*: dum Pater [u] Deus sit, in cujus nomine Filius venit manifestè? Ac per hoc in unita natura divinitatis unum nomen est comprobatum, sicut ipse Pater ad legislatorem Moysen testatus est, dicens: *Attende illi & ne fueris inobediens: nomen enim meum in illo est.* Ad hęc Patriarcha David sic ait: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Nam & si [x] Spiritus paraclitus in nomine Filii venit, ut ipse dicit, *Quem mittet Pater in nomine meo*, nunquid & ipse filius est dictus, cùm sine dubio nomen Filii Deus sit in una paritérque [y] natura divinitatis. In hoc ergo nomine evidenter paraclitus venit.

al. [z] secundùm naturam.
Isai. 63.
al. [a] Vides ergo unitum nomen hoc Patris & Filii &c.
Exod. 13.

Ideò per singulas personas secundùm substantiam naturæ [z] Trinitatis unitum nomen est tibi declaratum, Isaïas sanctus hæc approbans dicit: *Descendit Spiritus à Deo & eduxit eos; sic eduxisti populum tuum facere tibi nomen gloriæ.* Sed & ipse idem indicat: *Et irritaverunt Spiritum sanctum, & conversus est illis ad inimicitiam, Dominus ipse expugnavit eos, & rememoratus est dierum æternorum, qui eduxit de terra pastorem ovium.* Et subjunxit: *Ubi est qui posuit in illis Spiritum suum?* Vides ergo de unito naturę divinitatis nomine gloriam Patris & Filij [a] esse hunc Dominum Spiritum sanctum, qui eduxit Filios Israël de terra Ægypti, sicut Propheta dicit: *sic eduxisti populum tuum facere tibi nomen gloriæ, qui conversus est filiis Israël ad inimicitiam.*

Capitulum V.
Ibidem ante medium.
al. [b] Sed & Spiritus.
* Variant plurimum editiones.

ITEM idem in eodem libro: *Quòd Spiritus sanctus mittitur à Patre simul & à Filio.*

Sed & si Spiritus [b] paraclitus in suo nomine tantùm venisset, quod dicitur Spiritus paraclitus *, & non in unita substantia Patris & Filii quod nominatur Deus, jam pro-

prium nomen ejus in persona esse videretur, & non secundùm unitam naturę divinitatis in utrisque. Vt tantùm unusquisque nomina singula in personis ostenderet, deitatis autem unitum nomen non indicaret. Porro in hoc unito nomine divinitatis Patris, venit verus Filius, in quo dicitur Deus, in quo claritatis nomen est cum Patre[c]. In cujus naturę nomine venit & Spiritus paraclitus, quia in hac ipsa sacro sancta Trinitate hoc nomen substantialiter sive uniter consistit, sicut superiùs prędixi Patrem de Filio suo indicantem, *Nomen meum est in illo*. Et Filium hęc dicta confirmantem: *Ego veni in nomine Patris mei, & non me recepistis. Cùm autem alius venerit in nomine suo, eum recipietis*. Sed & de Spiritu sancto ipsum rursum repetentem: *Quem mittet Pater meus in nomine meo*. Et deinceps eum de nomine suo audi Discipulos hortantem: *Omnia quæcumque petieritis à Patre in nomine meo dabit vobis*. Sed & Apostolum Paulum eadem testantem: *Sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine Domini nostri* IESU-CHRISTI, *& Spiritu Dei nostri*. Audi Isaïam de unito nomine gloriæ sancti Spiritus declarantem: *Descendit Spiritus à Deo & eduxit eos: sic eduxisti populum tuum facere tibi nomen gloriæ*. Disce jam unitum nomen esse in natura divinę Trinitatis.

al. c in quo idem est natura cum Patre.

Exod. 23. 19.

Ioan. 14. 26.

Marc. 11.

1. Cor. 6.

Capitulum VI.

Ibid. in med.

IDEM ipse in eodem Libro: *Quòd Spiritus paraclitus à Patre simul mittatur & à Filio*, sic proclamat.

In hoc sanè alius est Pater in persona, qui verè genuit, & in hoc alter est Filius à Patre in persona, qui verè ab eo genitus est: sed & in hoc alter est in persona Spiritus hic principalis paraclitus à Patre & Filio, qui in Pentecoste in Apostolos effusus est. Et ideò hæc sigillatim dicta memento, ut nomina singula in personis essent distincta. Vides quia alter ab altero, sive alius ab alio in persona tantùm differt, & non in plenitudine divinitatis οὐσίας, sicut ipse Dominus ait: *Alius est qui testimonium perhibet mihi, qui me misit Pater*. Sed & alio in loco idem ipse

Ioan. 5.

Iohan. 14. personam sancti Spiritus indicat: *Rogabo Patrem meum, & alium paraclitum mittet vobis.* Scio * alium ab alio, sive alterum ab altero in persona tantùm differre, & non in unita plenitudine divinitatis usiæ.

al. * scito.

Capitulum VII.

ITEM idem in eodem libro: *De communi missione Spiritus sancti à Patre & Filio*, ita fatur.

Ibid. pau ò post med.

Variat edit.

Ergo si Filius in nomine Patris venit, & Spiritus paraclitus in nomine Filij venit, sicut Filius de eo testatur:

Iohan. 14. 26. *Quem mittet Pater in nomine meo:* non tibi videtur, quia duplex & hic contineatur intellectus, id est ut in nomine personarum tantùm sit distinctio, in deitate autem nulla sit discretio.

Capitulum VIII.

ITEM idem ipse in præsenti libro: *Quòd Spiritus sanctus à Deo Patre mittatur, simul & à Dei Filio; & quòd unita potestas in eis sit*, ita inquit.

Ibid. sub med. Nam de persona Spiritus sancti Filius testatur, dicens:

Iohan. 14. *Quem mittet Pater in nomine meo.* Vides Filium in hoc nomine venisse, quod & in deitate Patris uniter esse ostenditur. Et spiritum sanctum in hoc nomine venisse indicatur & Filius: Apostolos autem missos fuisse, ut baptizarent omnes Gentes * in unito vel communi nomine deitatis, quod est naturę invisibilis sancti Spiritus, sicut scriptum est: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis vestræ.* Vel hoc; *Et omnes unum Spiritum potavimus*. sive unitatis nomen baptismo operante suscipe dicentis: *Et vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus Omnipotens.* Vel hoc accipe; *Ex Deo nati sunt.* Nec non: *Et baptizetur unusquisque vestrûm in nomine* IESU-CHRISTI. Et in alio loco: *Sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine Domini* IESU-CHRISTI, *& Spiritu Dei nostri.* Sed & quod ex Deo natus est, Iohannes testatur. *In sua venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri credentibus in nomine ejus. Qui non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.*

* In edit. deest Gentes.

Galat. 4. 30. 1. Cor 12. 13.

* in uno Spiritu potati sumus.

2. Cor. 6. 18. Iohan. 1. 13. Act. 2. 38. 1. Cor. 6. 11. Iohann. 1. 11.

Disce ergo hoc unitum nomen esse sempiternum in deitate Patris & Filii & Spiritus sancti, * sicut & unum baptisma est fidei, quod vitam æternā credentibus tribuit. Quia sicut unum est in natura Trinitatis, ita & unum donum per baptismum divinitatis. Apostolus ait: *Vna fides, unum baptisma*. Idcircò quod nomen Patris sit in divinitate, hoc nomen sit & Filii in natura deitatis, sic & sancti Spiritus identidem hoc nomen sit in substantia claritatis.

* *Desunt in edit. ista quæ sequuntur.*

Capitulum IX.

In edit. lib. 3. ante finem.

ITEM idem in eodem libro: *Vnitam naturæ virtutem ostendens mittentis & missi Filii*, sic dicit: O inaudita adhuc penitus tam inquisita perscriptio *! Itaque suggerente ipso de se sancto Spiritu respondeo. Nunc oportet nos unum pro multis pertinens dare auctoritatis exemplum. Memento unitam esse hanc naturæ virtutem mittentis & missi, dum hic qui nunc missus est, ipse jampridem misisse mittentem inveniatur. Denique per sanctum Isaïam Dominum Dei Filium accipe testantem: *Accedite ad me & audite hæc*. Non ab initio in occulto locutus sum. Cùm fierent * illic eram, & nunc Dominus misit me & Spiritus ejus*. Disce tandem aliquando unam esse hanc naturam divinitatis mittentis & missi, dum qui nunc in Euangelio quamvis missurum se Spiritum paraclitum testatus sit, tamen se ipse ab eo jam priùs missum per inclytū Prophetam Isaïam fuisse professus sit. Dum hic qui mittitur à mittente nunquam dividitur, quia indiscreta natura est, dum inter mittētem & missum personæ ostenduntur, & nulla in divinitate divisio est, propterea quòd ubique pręsens sit hęc unita plenitudo, & omnia impleat interiùs & exteriùs à summitate cęlorum usque ad profundum infernorum.

al. * præscriptio.

Isai. 48.
al. * hoc.
al. * ex tempore antequam fieret.

Capitulum X.

In edit. est de unita Deitate, lib. 4. de singulis nominibus.

ITEM idem ipse *in libro quem fecit contra objectiones cujusdam Potentini urbici*, ita prosequitur: Filius, *inquit*, ad Patrem clamat: *Pater honorifica nomen tuum. Et venit vox de cælis: Et honorificavi & iterum honorificabo*. Nam & alio in loco idem ipse repetit: *Ego à Patre exivi & veni*. Vtique si ipse erat Pater in per-

Luc, 7.
Iohann. 17.

ſona qui & Filius, ſic debuerat intimaſſe: Ego à me exivi & veni in hunc mundum, dum procul dubio alter ſit qui exivit, & alius de quo exierit. Sed ad hęc ſubjunxit de

Iohann. 16. perſona ſancti Spiritus: *Dum venerit advocatus ille, quem ego mittam vobis à Patre meo Spiritum veritatis, qui à Patre meo procedit, ipſe teſtificabitur de me.* Ita & non alter

al. * Itáne eſt alter, &c. eſt * qui mittit, & alius adęquè in perſona à quo procedit; & alter eſt hic ipſe qui venit. Denique ſi una eſſet perſona à quo tandem mitteretur, vel à quo procederet, ſicut Apoſtolus hęc in ſalutatione ad Corinthios confirmat, di-

2. Cor. 13. 13. cens: *Gratia Domini noſtri* IESU-CHRISTI, *& caritas Dei*, hoc eſt, Patris, *& communicatio ſancti Spiritus cum omnibus vobis.* Nonne apertè per ſingula nomina, ſicut ſuperiùs continentur, ſingulas perſonas ineſſe diſtinxit? De-

Iohann. 5. 32. nique ad hęc ipſius Filii dicta ſuſcipe dicentis. *Alius eſt qui teſtimonium perhibet mihi, qui me miſit Pater.* Dum infra de ſe dicat alius, vides quia alius eſt Pater in perſona Filii, & non alius eſt in divinitate, ſed & de Spiritu ſancto ſic

Iohann. 14. 16. ait: *Rogabo Patrem meum & alium paraclitum mittet vobis.* Conſidera & alterum eſſe Spiritum paraclitum in perſona, & non tamen eſſe alterum in divinitate. Ideò alter ab altero in perſona tantùm differt, & non in deitate uſię. Itaque alter eſt Pater in perſona qui genuit, & alius Filius eſt qui genitus ab ipſo, & alius Spiritus paraclitus qui de unita natura eſt. Sed dicis mihi hęretice! Quemadmodum Spiritus de unita natura conſiſtit? Ecce Filius de eo teſtatus eſt; *A Patre procedit*; & ſic proſecutus eſt: *Et de meo accipiet.* Quod teſtimonium Pater comprobavit, dicens: *Spiritus à me procedit.*

Capitulum XI.

Ibid. lib. V.

ITEM idem in libro V. de unita ac ſempiterna ſubſtantia Trinitatis: *Quòd Spiritus ſanctus à Patre & à Filio procedat.*

Sempiternitas Patris Filius ejus eſt, quia de ipſo inenarrabiliter ante omne exordium omninò natus eſt. Et ſempiternitas Filii Pater ejus eſt, quia ipſe eum ante cuncta ſæcula ſęculorum incomparabiliter genuit. Sive ſempiterni-

piternitas Spiritûs paracliti unita divinitas ejus est cum Patre & Filio, quæ facta non est, sicut filius testatus est de eo: *A Patre procedit, & de meo accipiet.* Sed & Pater hæc dicta comprobat per Prophetam dicens: *Spiritus à me procedit.* Et alio in loco: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Quod in Pentecoste in Apostolos factum fuisse Scriptura divina testatur. Nam sicut Pater declarat Filium suum divinitate sua, quoniam Deus verus est. sic & Spiritus sanctus revelat Patrem & Filium in unita natura sua æterna, quoniam Deus verus est. Hæc, *inquam*, unita omnipotens sempiternitas Trinitas est, cui de recenti in deïtate nulla accessit dignitas.

Ioël. 2. 28.

ITEM idem in eodem Libro de sancto Spiritu: *Quòd in Patre & Filio consistat.*

Capitulum XII.
Ibid. post. med.

Non est, *inquit*, divina substantia aut extensa* vel protensa in aliquo, vel excisa in partibus, sed nec derivationi* alicujus rei comparatur; quia liquor non est in hac natura planè, sed nec defluxio quæ data est*, quia nullum detrimentum vel augmentum sustinet: præsertim cùm inenarrabilis sit hæc plenitudo substantiæ indivisæ Trinitatis, sicut ipse Deus Dei Filius indicat: *Ego in Patre & Pater in me.* Sed & Spiritus sanctus in Patre & Filio & in se consistens, sicut Iohannes Evangelista in Epistola sua tam absolutè testatur: *Et tres unum sunt.*

al. * divisa.
* *al.* mutationi.
al. * quædam.

IDEM ipse in libro VI. De beatitudine Filij: *Quòd Spiritus sanctus in virtute præscientiæ Patris & Filij unanimiter consistat.*

Capitulum XIII.
Multò ante med.

De unito nomine divinitatis multifariam quamvis sit dictum per singulas personas, quod retulisti in Patre, hoc ipsum ut confitearis necesse est uniter esse & in Filio. * Deum de Deo, lumen de lumine, totum de toto, & totum in toto, perfectum de perfecto, plenitudinem de plenitudine, integrum de integro, sempiternum de sempiterno, sapientiam de sapientia, virtutem de virtute, unum de uno, & unum in uno, verum de vero, Filium de

* *Quæ sequuntur in edit. non reperi.*

Patre, natum non factum unius substantiæ cum Patre: Sed & Spiritum sanctum, qui de una Trinitate consistit, Deum verum, lumen verum, totum perfectum, totum plenum, integrum, sempiternum in ipso sapientia virtutem præscientiæ Patris & Filij consistentem.

Capitulum XIV.

Ante finem.

ITEM ipse in libro VII. *De professione regulæ Catholicæ, de sancto Spiritu sic commemorat, exemplum ponens de Psalmographo.*

Psal. 32. 6.

Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Vtique Verbum Filium declaravit: Dominum autem Patrem ejus indicavit, & Spiritum oris ejus Spiritum principalem esse demonstravit. Vides quàm breviter per singulas significationes in personis inesse distinxit, id est, Verbum, & Dominum & Spiritum, & unitam operationem in his esse ostendit. Nam si te adhuc in aliquo ambiguitas tenet, eadem ipsa repeto. Vbi ait: *Verbo Domini*, non solùm vocis in consubstantivum accipias; quem si validus quis emiserit, de montibus solet resonare echo; cujus tantùm in phantasia auditus est resonantis, sed factus nullus*. Sanè de hoc verbo Domini nostri Patris, qui est salus nostra, sic ubique divinę Scripturæ testantur, quia Filius Dei Deus est substantivus, *per quem omnia facta sunt.* Ergo quia dixit: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Cognosce hoc verbum substantivum non aliunde quàm de Patre propriè natum fuisse; sed *& Spiritu oris ejus* Spiritum dixit, qui de ipsa unita substantia processit, sicut cautum invenimus; non ex alia natura quàm de ipsa; ac per hoc unita est Patris & Filij & sancti Spiritus substantia, quam Græci dicunt ὐσίαν: & unita est ejusdem Trinitatis operatio in factura.

al. *factũ nullus.



ITEM ipse in libro VIII. * de fidei unitate: *Quòd Spiritus sanctus à Patre & Filio quasi una procedat flamma, egregiè paucis verbis ita concludit.*

Capitulum XV.
* In edit. est liber x. sub med.

Quomodò ergo duo ligna conjuncta missa in fornacem ignis, & de duobus lignis procedit flamma inseparabilis, sic de Patris & Filij virtute procedit Spiritus sanctus, ipsam virtutem divinitatis habens. Sicut beatissimus Paulus posuit dicens: *Mediator Dei & hominum homo Christus* IESUS; non Deus Dei mediator. Vnum enim est usque ad Trinitatem. 1. Tim. 2. 5.

ITEM idem ipse in libro VIII.* *de Trinitate & de Spiritu sancto*, sic dicit.

Capitulum XVI.
al. *in edit. De fide unitatis Patris & Filij, & Spiritus sancti. lib. XI. multò ante med.

Significanter verò Dominus & alium paraclitum esse dixit Spiritum sanctum, quàm ipse paraclitus est, sicut Iohannes in Epistola sua ait: *Hæc vobis scripsi ut non peccetis. Quod si peccaverimus, paraclitum habemus ad Patrem* IESUM *Christum, & ipse propitiatio est pro peccatis nostris.* Vt doceremus * Spiritus cum Filio æqualitatem. al. * docere-mur.

ITEM idem in eodem libro: *Quòd Spiritus Sanctus sit Spiritus Domini* IESU, ita inquit.

Capitulum XVII.
Ibid. ante med.

Sicut Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & Filius quos vult vivificat: ad Romanos dicit. *Si Spiritus qui suscitavit* IESUM *à mortuis habitat in vobis qui suscitavit* IESUM *Christum à mortuis, vivificavit & mortalia corpora vestra per * inhabitantem Spiritum suum in vobis.* Rom. 8. 11. al. * propter

ITEM in eodem libro: *Quòd Spiritus sanctus inspiratio sit Patris & Filij: insuper & Filius sit fons Spiritus sancti; quocirca comprehenditur procedere & à Filio.*

Capitulum XVIII.
Ibid. post med.

Sapientia Salomonis in Proverbiis ita exequitur. *Lux Domini spiratio est hominum, qui scrutatur interna ventris.* Et manifestum est, quia Spiritus omnia scrutatur, quem- Prov. 20. 27.

admodum ſcribit Paulus; & quod à principio formato Adam in faciem ejus ſpiraſſet Deus Spiritum ſanctum, ſicut Moyſes ait: *Et ſpiravit Deus in faciem Adæ inſpirationem vitæ; & factus eſt homo in animam viventem.* Neque ad quod ſpiratum eſt, à Domino anima eſt, ſecundùm fabulatores Iudæos. Alioqui quomodò hoc quod à ſe ſpiratum eſt, Deus igni æterno condemnat? Sed vivificans Spiritus eſt, de quo & Paulus ait; *Spiritus verò vivificat*; Et, *Spiravit Deus in faciem ejus ſpirationem vitæ; & factus eſt homo in animam viventem.* Itaque Spiritus ſanctus eſt Spiritus vitæ, à quo excidentes nonnulli viventes mortui ſunt, ſicut Paulus ſcribit. *Nam quæ in deliciis eſt*, ait, *vivens mortua eſt.* Alioqui quomodò audiendus eſt Salomon dicens: *Lux Domini ſpiratio eſt hominum, qui ſcrutatur interna ventris*: Si animas hominum lumen Dei eſſe dicitis, niſi Spiritum ſanctum lumen Dei confeſſi fueritis. Sed ſpirationem Dei lumen Dei eſſe credatis, dicente Moyſe; *Spiravit Deus in faciem Adæ ſpiraculum vitæ.* Et Filius Dei: *Ego ſum vita.* Sed & ſapientia Salomonis introducentem ſalvatorem dicit: *Ecce proferam vobis meæ aſpirationis profeſſionem*: Sic enim in Proverbiis ait: *Sapientia in exitu canet, in plateis verò fiducialiter aget, portis autem potentium aſſiſtet, in muris quoque civitatis confidenter aget. Quanto tempore obtinent prudentes juſtitiam & non erubeſcent: imprudentes autem contumeliæ cùm ſint cupidi & impij effecti, odio habuerunt ſenſum, & obnoxii facti ſunt increpationibus. Ecce proferam vobis meæ aſpirationis profeſſionem, docebo vos meum ſermonem.* Et Iſaias Spiritus ſancti promiſſionem prædicans, ſic ait: *Dixit Dominus qui cœlum fecit & affixit eum; qui ſolidavit terram & quæ in ea ſunt: Qui dat ſpirationem populo, qui eſt ſuper eam & ſpiritum calcantibus eam.* Dicite qui eſt populus qui accepit ſpirationem: Nunquid & hîc ſpirationem animam eſſe dicitis, & dabitis ſine anima populum ſuper terram conſtitiſſe? Sed non eſt: profeſſionem namque Spiritus ſancti prædicans Propheta hæc ait. Denique completam profeſſionem ſuper fideles qui fuerant ſub illo tempore ſcripſit Lucas:

Gen. 2. 7.
Iohan. 6. 24.
1. Tim. 5. 6.
Prov. 1. 23.
Prov. 1. 21.
Iſai. 42. 5. ſecund. 70.

Et cùm complerentur dies quinquagesimæ erant pariter omnes in unum, & factus est subitò sonus è cœlo, tanquam Spiritus sanctus vehemens ferretur, implens totam domum ubi erant sedentes; & visæ sunt eis divisæ linguæ tanquam ignis, & sedit super unumquemque eorum: & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus dabat pronuntiare eis. Simili modo magnus ille Iob adversus amicos suos, cùm essent Spiritu sancto privati, & nihil verum dicerent, neque opinarentur se ante Deum loqui: Aiebat ergo Iob: *Nonne ante Deum loquimini?* Et rursum: *Cui annuntiastis verba? Spiratio verò cujus est quæ procedit à te?* Ex quibus unus magna loquens dicebat; *Spiritus est qui mortalibus intercedit. Spiratio verò omnipotentiæ est, quæ me docet.* Omnipotens autem Filius Dei, de quo Zacharias ait: *Propterea sic dicit Dominus omnipotens. Post gloriam misit me super gentes.* Igitur Salomone dicente: *Lux Domini spiratio est hominum.* Et à Moyse instructi: *Spiravit Dominus in faciem Adæ spirationem vitæ; & factus est in animam viventem.* Audientes verò & Salvatorem dicentem: *Ego sum vita*, & Paulum scribentem: *Lex enim spiritus vitæ.* Et rursum: *Misit Deus Spiritum filij sui in corda nostra.* Videntes autem etiam unigenitum insufflantem in faciem Apostolorum & dicentem. *Accipite Spiritum sanctum.* Spirationem igitur Filij in propria vita & substantia manente Spiritum esse doceamur. Et neque genitum, neque creatum esse à Filio sapiamus, nequaquam genitum* Filium credamus esse Spiritum, & quòd Dominus sit verbum filij: genitum verò à Deo verbum suum in propria vita & substantia permanens cùm sit vita filius Dei. Propterea verò non est genitus ab eo Spiritus, quia non est verbum ejus. Creatum verò dicere Spiritum, absit. Verumtamen spirationem filij Dei eum & à sanctis Scripturis docti sumus, & fontem spiritus, & filium Dei dicimus audientem * Filium: *Quia duo nequam fecit populus iste. Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ & foderunt sibi lacus contritos, qui non potuerunt aquam portare.* Aqua viva Spiritus sanctus est, sicut Iohannes docuit, Salvatore dicente ad Samaritanam muli-

Act. 2. 1.
Iob. 26. 4.
Rom. 8. 27.
Iohan. 11. 25.
Rom. 8. 2.
Galat. 4. 6.
Iohan. 20. 22.
al. * unigenitum.
al. * audientes
Ierem. 2. 13.

Iohan. 4. 10. erem: *Si scires donum Dei, & quis est qui tibi dicit; Da mihi bibere, tu utique petisses, & dedisset tibi aquam vivam.* Et rursum: *Quicumque biberit ex aqua quam ei dabo, non*
Iohan. 7. 37. *sitiet in æternum.* Et in medio templi clamat: *Si quis sitit veniat ad me & bibat: Qui credit in me, sicut dixit scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Et in-
Ibid. 39. terpretatus est sic: *Hoc autem dicebat de Spiritu sancto quem accepturi erant qui credituri erant in eum.* Ita etiam
Isai. 44. 3. 4. Secundum 70. & Isaias Dominum dixisse ait: *Quia ego dabo in siti aquam his qui in sicco iter fecerunt; & ponam Spiritum meum super semen tuum, & benedictiones meas super filios tuos, & orietur tanquam in aqua fœnum, & velut salix inter fluxus aquæ.* Ergo manifestè in Scripturis sanctis profitentibus aquam vivam Spiritum sanctum esse cognovimus. Dominus se
Ierem. 2. 13. fontem Spiritum esse dixit, sic: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ*; Sicut David canit in Psalmo xxxv. dicens
Psal. 35. 10. ad Dominum: *Quia apud te fons vitæ.* Igitur præter Dominum ostende alium fontem esse vitæ, qui apud eum sit. Non enim dixit, quia tu es fons vitæ, sed *quia apud te fons vitæ est.* Est verò apud Deum, & est Filius fons existens Spiritus, de quo Paulus ad Romanos scribit: Spiritus verò vitę propter justitiam, ita non alienum, sed proprium Patris esse eum dicit. Nam cùm professus fuis-
Ibid. set, *quia apud te est fons vitæ*: adjunxit: *In lumine tuo videbimus lumen.* Id est in Filio tuo videbimus Spiritum. Necnon etiam in nomine virtutis Dei appellatus spiritus, & virtus, & sapientia esse monstratur. Audivimus enim Salvatorem in Evangelio dicentem Discipulis suis missu-
Luca 24. 49. rum esse Spiritum sanctum, qui dicit: *Ecce ego præmittam promissionem Patris mei super vos. Vos verò sedete in civitate, donec induamini ex alto virtute.* In Actibus verò
Act. 1. 8. Apostolorum idem Dominus ait: *Sed accipietis virtutem, superveniente super vos Spiritu sancto.* Hoc quoque impletum esse comperimus sub die Quinquagesimæ consummatæ. Aut ergo virtutem Dei Spiritum esse profitemini, aut sicut Sabellius paraclitum, cùm sit virtus Dei, eundem Filium esse prædicate: & audientes Paulum dicentem: *Spiritus verò vitæ propter justitiam*: fontem ite-

rum Spiritus instruimur esse Filium. Hieremiam audite clamantem contra Iudæos: *Quia dereliquerunt me fontem vitæ Deum.* Alibi autem Spiritum sapientiæ esse sciens Spiritum sanctum, secundùm Isaiam quidem, dicentem: *Et requiescet super eum Spiritus Dei, spiritus sapientiæ & intellectus.* Isai. 11. 2.

Capitulum. XIX.

ITEM idem in fide Catholica*: *Quòd Spiritus sanctus à Patre procedat & à Filio.*

* Symbolum S. Athanasij Vulgò dicitur

Pater à nullo est factus nec creatus nec genitus: Filius à Patre solo est, non factus, non creatus, sed genitus: Spiritus sanctus à Patre & Filio non factus, non creatus nec genitus, sed procedens. Vnus ergo Pater, non tres Patres, unus Filius, non tres Filij, unus Spiritus sanctus, non tres Spiritus sancti. Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus, sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales. Ita ut per omnia, sicut jam supradictum est, & Trinitas in unitate, & unitas in Trinitate veneranda sit. Qui vult ergo salvus esse, ita de Trinitate sentiat.

Capitulum XX.

AMBROSIUS Mediolanensis Episcopus in libro primo quem scripsit ad Gratianum Imperatorem; *Quòd spiritus sanctus cùm à Patre & Filio procedit, non transeat de loco ad locum*, ita tractat.

Etenim si de loco procedit Spiritus, & ad locum transit, *&c. usque ad hæc verba*: Et revelasti ea parvulis, *quæ finem capiti imponunt.* De Spiritu S. cap. 10. init.

Capitulum XXI.

ITEM idem ipse in secundo libro; *Quòd Spiritus sanctus sicut mittitur à Patre, ita mittitur & à Filio, & Filius ipse mittitur à Spriritu.*

Considera quia Dominus noster IESUS CHRISTUS in Isaïa locutus est, à Spiritu sancto esse se missum. Nunquid ergo Spiritui minor Filius, quia missus à Spiritu est? Habes igitur scriptum, quod Filius à Patre & Spiritu ejus Non reperi hoc cap. in edit.

dicat esse se missum. *Ego sum*, inquit, *primus*, *ego in æternum*, *& manus mea fundavit terram*, *dextera solidavit cœlum.* Et infra. *Ego locutus sum*, *ego vocavi*, *ego adduxi eum*, *& prosperum iter ejus feci. Accedite ad me & audite hæc. Non in occulto ab initio locutus sum. Cùm fierent illic eram*, *& nunc Dominus misit me & Spiritus ejus.* Vtique qui cœlum fecit & terram, ipse dicit à Domino & Spiritu ejus esse se missum. Videtis ergo quòd simplicitas sermonis, non injuria sit missionis. Ipse igitur missus à Patre, ipse est missus à Spiritu. Et ut agnoscas nullam majestatis esse distantiam, etiam Filius Spiritum mittit, sicut ipse dixit: *Cùm autem venerit Paraclitus*, *quem ego mittam vobis à Patre meo Spiritum veritatis*, *qui à Patre meo procedit.* Nunc eundem Paraclitum & à Patre esse mittendum supra posuit dicens. *Paraclitus autem ille Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo.* Vide unitatem, quia quem Deus Pater mittit, mittit & Filius, & quem mitit Pater, mittit & Spiritus.

Isai. 48. 13. Iohan. 15. 26. Iohan. 14. 26.

Capitulum XXII.

ITEM idem in libro tertio: *Quòd Spiritus sanctus à Patre sit missus & Filio; ubi missio, processio intelligitur:*

Lib. 3. de Spirit. S. cap. 1. sub. finem, & cap. 2. init.

Spiritum quoque & Pater misit & Filius, Pater misit quia scriptum est: Paraclitus autem ille Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo &c. *usque ad hæc verba*: Digitus Dei appellatus est Spiritus sanctus.

Capitulum XXIII.

ITEM idem ipse in eodem libro: *Quòd fluvius de sede Dei & agni procedens Spiritus sanctus sit*, *ubi intelligitur ejus à Patre & Filio processio.*

Ibid. cap. 20. in fine, & cap. 21. initio. Iohan. 16. 15. Apoc. 22. 1.

Habet ergo Spiritus quod habet Christus. Habet igitur quod habet Deus, quia omnia quæ habet Pater, habet & Filius. Ideóque dixit: *Omnia quæ habet Pater mea sunt.* Nec illud mediocre est, quod de throno Dei exire fluviũ legimus. Sic enim dicit Iohannes Evangelista: *Et ostendit mihi flumen aquæ vivæ*, *splendidum tamquam Crystallũ*, *procedens*

procedens de sede Dei & agni; & in medio plateæ ejus, ex utraque parte lignum vitæ faciens fructum. Duodecim per singulos menses reddentes fructum suum, & folia ligni ad medicinam omnium gentium. Hic est utique fluvius de Dei sede procedens, hoc est Spiritus sanctus, quem bibit qui credit in Christum, sicut ipse ait: *Si quis sitit veniat ad me & bibat. Qui credit in me, sicut dixit scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dicebat de Spiritu.* Ergo flumen est Spiritus. Iohan. 7. 38.

CYRILLUS, *Quòd Spiritus sanctus à Patre procedat & Filio*, in Epistola ad Nestorium, sic dicit. Capitulum XXIV.

De Spiritu quoque cùm dicit: *Ille me clarificabit*: hoc rectissimè sentientes unum Christum & Filium non velut alterius egentem gloria, confitemur ab Spiritu sancto gloriam consecutum; quia Spiritus ejus nec melior nec superior illo est; sed quia mira opera faciens ad demonstrationem suæ deitatis virtute propria Spiritus utebatur, ab ipso glorificari dicitur: quemadmodum si quis de hominibus asseveret, quòd virtus sua vel disciplina quemlibet unumquemque clarificet. Quamvis enim in sua sit substantia Spiritus, & ejus intelligatur in persona proprietas, juxta id quod Spiritus est & non Filius, attamen alienus non est ab illo. Nam Spiritus appellatus est veritatis, & veritas Christus est, unde & ab isto similiter sicut ex Deo Patre procedit. Denique hic ipse Spiritus etiam per sanctorum manus Apostolorum miracula gloriosa perficiens, Deum glorificavit IESUM Christum postquam ascendit in cœlum. Nam creditus est Christus naturâ Deus existens, per suum Spiritum virtutes efficiens. Ideóque dicebat: *De meo accipiet, & adnuntiabit vobis.* Nequaquam verò participatione alterius idem Spiritus sapiens aut potens dicitur, quia per omnia perfectus est, & nullo prorsus indigens bono. Nam paternæ virtutis & sapientiæ idem Filij Spiritus creditur, & ideo ipse & substantia virtus, & sapientia comprobatur. *Est epist. 10. in edit. Basil. an. 1566. sub med. ubi varia est versio.*

Capitulum XXV. * Sancti Cyrilli Argumenta, Quòd Spiritus S. sit Deus. in med.

ITEM idem in Dialogo cum Theodorito Cyriano Episcopo habito: *Quòd Spiritus sanctus à Patre procedat, & à Filio non sit alienus**, sic prosequitur:

Meminimus enim dicentem Christum palam de Spiritu sancto: *Ille me clarificabit.* Novimus ad hæc sancti Spiritus operationem conterentem nequissimas immundásque virtutes, sed non ita dicimus eum sicuti denique unumquemque sanctorum, tanquam aliena per Spiritum sanctum utentem virtute. Fuit enim & est ejus Spiritus sicuti denique & Patris. Et hoc nobis bene satis explanat scribens sacratissimus Paulus: *Qui autem in carne sunt, placere Deo non possunt: Vos autem non estis in carne, sed in spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Procedit enim ex Deo & Patre Spiritus sanctus, secundùm Salvatoris vocem, sed non est alienus à Filio. Omnia enim habet cum Patre, & hoc ipse docuit dicens de Spiritu sancto: *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi vobis quia ex meo accipiet, & adnuntiabit vobis.* Ergo glorificabit quidem IESUM Spiritus sanctus inopinabilia operantem. Verùmtamen sicut Spiritus ejus & non aliena virtus, & eo superior secundùm quod intelligitur Deus.

Rom. 8. 8.

Iohan. 16. 15.

Capitulum XXVI. In edit Paris. 1606. De Synodis fidei Catholic. &c. pag. 338. Exemplum fidei &c. Differt hic titulus ab edit.

HILARIUS *Pictavensis Episcopus de missione Spiritus sancti à Filio, in libro quem scripsit in Germaniam, Galliam, Belgicam Lugdunensem, Novem populanam, Tolosam, & Britanniam*, sic dicit.

Credimus & in Spiritum sanctum, hoc est paraclitum, quem promittens Apostolis suis, post reditum suum in cœlos*, misit docere eos ac memorari* omnia per quem sanctificantur sinceriter in eum credentium animæ.

al. * posteaquàm cælum ascendit. al. * commonere

ITEM idem in eodem libro.

Capitulum XXVII. Ibid. Anathê. 20.

Si quis Spiritum sanctum Paraclitum dicens, innascibilem eum dicat, anathema sit. (* Adjectio nunc Paracliti, anathemati obnoxiam facit innascibilis in eum Dei prædicationem. Impiissimum enim est innascibilem Deum eum dici, qui ad consolationem nostram sit missus à Filio.) Siquis, sicuti docuit nos Dominus, non alium dicat Paraclitum à Filio, dixit enim: *Et alterum Paraclitum mittet vobis Pater, quem rogabo eum*; anathema sit. (* A Filio Paraclitum missum meminimus, & in principio hoc fides ipsa exposuit. Sed quia frequenter Filius per indifferentis naturæ virtutem opera sua, opera Patris esse dixit, dicens: *Ego opera Patris mei facio*: missurus quoque Paraclitum, sicuti frequenter spopondit, interdum eum & mittendum dixit à Patre, dum omne quod ageret piè referre est solitus ad Patrem. Ex quo hæretici occasionem frequenter arripiunt, ut ipsum esse Filium Paraclitum dicant, cùm in eo quòd alium Paraclitum mittendum à Patre sit precaturus, differentiam missi, rogantísque significet.) Si quis Spiritum sanctum Patrem dicit, Patris vel Filij, anathema sit. (* Stultitia hæretici furoris hæc coëgit in scriptura referre, non quæstio. Nam Spiritus sancti nomen habeat suam significationem, & Spiritus sanctus Paraclitus habeat substantiæ suæ & officium & ordinem. Et cùm ubique inde mutabilis Pater & Filius prædicetur, quomodo pars esse aut Patris & Filij Spiritus sanctus asseretur? Sed quia sicut inter cætera insaniarum genera, etiam hoc quoque proferri ab impiis solet, idcirco à sanctis debuit improbari.) Si quis Patrem & Filium & Spiritum sanctum tres dicit Deos, anathema sit.

* Isthæc verba in parenthesi posita non extant in edit.

Anathem. 21.

Iohan 14. 16.

* Multa hæc interjecta videsis quæ in edit. non reperiuntur.

Anathem. 22.

* Et hæc quoque interjecta.

Anathem. 23

ITEM sanctus HILARIUS, *Quòd unum sit Spiritui sancto à Patre procedere, & à Filio accipere sive mitti*; in libro octavo de sancta Trinitate, ita refert:

Capitulum XXVIII Paulò ante med.

Ioban. 15. 26. *Cùm venerit advocatus ille, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre meo procedit, ipse testificabitur de me.* Advocatus veniet, & hunc mittet Filius à Patre, & Spiritus veritatis est qui procedit à Patre. *&c. usque ad:* id Filius dandum à se fateatur.

Capitulum XXIX. In lib. 2. Sub initium.

HIERONYMUS in libro Didymi, quem de Græco in Latinum transtulit: *Quòd Spiritus sanctus à Patre egrediatur, & à Filio mittatur, non secundùm Angelorum, & Prophetarum & Apostolorum ministerium, sed ut à sapientia Dei Spiritum Dei mitti decet,* sic docet, *ex quo confitetur & à Filio illum sicut & à Patre procedere.*

Cùm ergo Spiritus sanctus similiter ut Pater & Filius mentem & interiorem hominem habitare doceatur, non dicam ineptum sed impium est eum dicere creaturam. Disciplinas quippe virtutes dico & artes, & his contrarias perturbationes, & imperitias & affectus in animabus habitare possibile est. Non tamen ut substantias*, sed ut accidentes. Creatam verò naturam in sensu habitare impossibile est. Quòd si verum est, & Spiritus sanctus absque ulla ambiguitate subsistens, animæ est habitator & cordis, nulli dubium est quin cum Patre & Filio credi debeat increatus. Ex omnibus igitur quæ præcedens sermo disseruit incorruptibilis & sempiternus secundùm naturam Patris & Filij, & Spiritus Sanctus demonstratus universam de se ambiguitatem & suspicionem abstulit, ne unus creatis substantiis æstimetur, is qui Spiritus Dei sit, & quem exire de Patre Salvatoris in Evangelio verba declarant: *Cùm venerit,* inquit, *Consolator, quem ego mittam vobis Spiritus veritatis, qui de Patre egreditur, ipse testimonium dabit de me.* Consolatorem autem venientem Spiritum sanctum dicit ab operatione ei nomen imponens, quia non solùm consolatur eos quos se dignos esse reperit, sed & ab omni tristitia & perturbatione reddit alienos. Verùm incredibile quoddam gaudium & hilaritatem eis tribuit, in tantum ut

*al * substantivas.*

Iohan. 15. 26.

possit quis Deo gratias referens, quòd tali hospite dignus habeatur, dicere: *Dedisti lætitiam in corde meo.* Sempiterna quippe lætitia in eorum corde versatur, quorum Spiritus sanctus habitator est. Iste Spiritus consolator à Filio mittitur, non secundùm Angelorum, & Prophetarum & Apostolorum ministerium, sed ut mitti decet à sapientia & veritate Spiritum Dei indivisam habentem cum Patre & Filio substantiam*. *Psal. 4. 7.*

*al.** Cum eadem sapientia & veritate naturam.

ITEM idem in eodem libro, post pauca:

Capitulum XXX.

Licet enim ex Deo frequenter se dicat exisse Salvator, proprietatem tamen, & ut ita dicam, familiaritatem, de qua sæpè tractavimus, ex vocabulo magis sibi Patris assumens dicit. *&c. usque ad verba*: juxta operationis veritatem.

ITEM idem in eodem Opere post pauca:

Capitulum XXXI.

Quia ergo & Spiritns sanctus in nomine Filij à Patre mittitur, habens Filij proprietatem*, *&c. usque ad verba*: Scientiam divinorum.

*al.** filietatē.

ITEM idem in eodem Opere post pauca:

Capitulum XXXII. *Paulò. post medium.*

Denique * interpretationem inferens, quomodò dixisset, *de meo accipiet.* Protinus snbjecit: *Omnia quæ habet Pater mea sunt: Propterea dixi de meo accipiet, & adnuntiabit vobis, &c. usque ad verba*: hæc eadem & Pater habet.

*al.** Deinde.

ITEM idem in eodem Opere post pauca:

Capitulum XXXIII. *Sub medium.*

Vos autem, ait (haud dubium quin Discipuli Christi) qui sapientiam Spiritus suscepistis & vitam & pacem, & non estis in carne, id est, in carnis operibus, neque enim ejus opera perpetratis, siquidem Spiritum Dei habetis in vobis. Idem autem Spiritus Dei & Spiritus Christi est, adducens & copulans eum qui se habuerit Domino IESU CHRISTO, *&c. usque ad*: Trinitatis substantiam demonstratur.

Capitulum XXXIV.

ITEM idem in eodem Opere post pauca.

In lib. 3. paulò ante finem.

Cùm igitur sancta scriptura ampliùs de Trinitate non dicat, nisi Deum Patrem esse Salvatoris, & Filium generatum esse de Patre. Hoc autem* debemus sentire quod scriptum est: & ostenso quòd Spiritus sanctus increatus sit, consequenter intelligere, quod cujus non est creata substantia, rectè Patri filióque societur.

al. tantummodò.

Capitulum XXXV.

S. AUGUSTINUS in Homelia super Iohannem.

Non reperi. Refert eodem modo Theodulf. Aurel. in lib. de Spiritu sancto p. 105.

Hic aliquis forsitan quærat, utrum & à Filio procedat Spiritus sanctus. Filius enim solius Patris est Filius, & Pater solius Filij est Pater: Spiritus autem sanctus non est unus eorum Spiritus; sed amborum. Habes ipsum Dominum dicentem: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Habes & Apostolum: *Misit Deus*, inquit, *Spiritũ Filij sui in corda nostra.* Nunquid duo sunt, alius Patris alius Filii? absit. *Vnũ* enim *corpus* ait, cùm significaret Ecclesiam, móxque addidit, *& unus Spiritus.* Et vide quomodò illic impleat Trinitatem; *Sicut vocati estis*, inquit, *in una spe vocationis vestræ. Vnus Dominus.* Hîc utique Christum intelligi voluit. Restat ut etiam Patrem nominet. Sequitur ergo: *Vna fides, unum Baptisma, unus Deus & Pater omnium, qui super omnes & per omnes, & in omnibus.* Cùm ergo sicut unus Pater & unus Dominus, id est Filius, ita sit & unus Spiritus, profectò amborum est: quandoquidem dicit ipse Christus IESUS: *Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Et dicit Apostolus: *Misit Deus Spiritum Filij sui in corda nostra.* Habes in alio loco eundem Apostolum dicentem: *Si autem Spiritus ejus qui suscitavit Iesum ex mortuis, habitat in vobis.* Hîc utique Spiritum Patris intelligi voluit, de quo tamen in alio loco dicit: *Quisquis autẽ Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Et multa alia sunt testimonia, quibus hoc evidenter ostenditur, & Patris & Filij esse Spiritum, qui in Trinitate dicitur Spiritus sanctus. Nec ob aliud existimo ipsum propriè vocari Spiritum, cùm etiam si de singulis interrogemur

Matt. 10.20. Galat. 4.6. Ephes. 4.4. Matt. 10.20. Galat 4.6. Rom. 8.11. Rom. 8.9.

non possumus nisi & Patrem & Filium Spiritum dicere, quoniam Spiritus est Deus, id est, non corpus est Deus, sed Spiritus. Quod ergo communiter vocantur & singuli, hoc propriè vocari oportuit eum, qui non est unius eorum, sed in quo communitas amborum apparet. Cur ergo non credamus, quòd etiam de Filio procedat Spiritus sanctus, cùm Filij quoque ipse sit Spiritus. Si enim ab eo non procederet, non post Resurrectionem se repræsentans Discipulis suis insufflasset, dicens: *Accipite Spiritum sanctum.* Quid enim aliud significavit illa insufflatio, nisi quòd procedat Spiritus sanctus & de ipso? Ad hoc pertinet etiam illud quod ait de muliere, quæ fluxum sanguinis patiebatur: *Tetigit me aliquis: Ego sensi virtutem de me exisse.* Nam virtutis nomine appellari etiam Spiritum sanctum, & eo loco clarum est, ubi Angelus dicenti MARIÆ, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Respondit: *Spiritus sanctus superveniet in te & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Et ipse Dominus promittens eum Discipulis ait: *Vos autem sedete in civitate, quoad usque induamini virtute ex alto.* Et iterum: *Accipietis,* inquit, *virtutem Spiritus sancti supervenientem in vos, & eritis mihi testes.*

Iohan. 20. 22. Luc. 8. 46. Luc. 1. 34. Luc. 24. 49. Act. 1. 6.

Capitulum XXXVI.

Item S. AUGUSTINUS in libro XIII. de civitate Dei: *Quòd Spiritus sanctus Patris sit & Vnigeniti & unus amborum: Quod cùm ita sit, non est dubium Spiritum sanctum procedere ab utroque.*

Cap. 24. post init.

Quapropter in eo quod Dominus fecit quando insufflavit, dicens: *Accipite Spiritum sanctum:* nimirum in hoc intelligi voluit, quòd Spiritus sanctus non tantùm sit Patris, verùm etiam ipsius unigeniti Spiritus. Idem ipse est quippe Spiritus & Patris & Filij, & cum quo est Trinitas Pater & Filius & Spiritus sanctus, non creatura, sed Creator. Neque enim flatus ille corporeus de carnis ore procedens substantia erat Spiritus sancti atque natura, sed potiùs significatio, qua intelligeremus, ut dixi, Spiritum sanctum Patri esse Filióque communem, quia non sunt eis singuli, sed unus amborum est.

Iohan. 20.

Capitulum XXXVII.
Cap. 1. initio.

ITEM idem in libro primo de Trinitate quæ Deus est: *Quod Spiritus sanctus & Patris & Filij sit, & Patri & Filio coæqualis, consubstantialis, & coæternus*, sic docet.

Omnes quos legere potui qui ante me scripserunt de Trinitate, quæ Deus est, Divinorum librorum veterum & novorum Catholici tractatores, hoc intenderunt secundùm scripturas docere, quòd Pater Filius & Spiritus sanctus unius substantiæ inseparabili æqualitate divinam insinuent unitatem. Ideóque non tres Dij, sed unus Deus, quamvis Pater Filium genuerit, & ideò Filius non sit qui Pater est, Filiúsque à Patre sit genitus, & ideò Pater non sit qui Filius est; Spiritúsque sanctus nec Pater sit nec Filius, sed tantùm Patris & Filij Spiritus, etiam Patri & Filio ipse coæqualis, & ad Trinitatis pertinens unitatem.

Capitulum. XXXVIII.
In medio.

ITEM idem in eodem libro: *Quòd Spiritus sanctus inseparabiliter Patris & Filij sit, quod cùm ita sit, magnæ dementiæ est illum à Patre & Filio procedere non profiteri.*

Denique propter ipsam inseparabilitatem sufficienter aliquando nominatur, vel Pater solus, vel Filius solus adimpleturus nos lætitia cum vultu suo. Nec inde separatur
Iohan. 14.17. utriusque Spiritus, id est Patris & Filij Spiritus: qui Spiritus propriè dicitur Spiritus veritatis quem hic mundus accipere non potest. Hoc est enim plenum gaudium nostrum, quo amplius non est, frui Trinitate Deo, ad cujus imaginem facti sumus. Propter hoc aliquando ita loquitur de Spiritu sancto, tamquam solus ipse sufficiat ad beatitudinem nostram. Et ideo solus sufficit, quia separari à Patre & Filio non potest; sicut Pater solus sufficit, quia separari à Filio & Spiritu sancto non potest: & Filius ideò sufficit solus, quia separari à Patre & Spiritu sancto non potest.

ITEM idem in libro tertio de Trinitate: *Quòd sanctus Spiritus à Patre & Filio sit missus* Capitulum XXXIX. Sub initium.

Cùm enim ad id ventum esset, ut vellemus ostendere non ideò minorem Patre Filium, quia ille misit, hic missus est; nec ideo minorem utroque Spiritum sanctum, quia & ab illo & ab illo missus in Evangelio legitur; suscepimus hoc quærere, cùm illuc missus sit Filius ubi erat, quia in hunc mundum venit, & in hoc mundo erat: cùm illuc etiam Spiritus sanctus, ubi & ipse erat, quoniam *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia scientiam habet vocis.* Iohan. 1. 10. Sap. 1. 7.

ITEM idem in libro quarto ejusdem Operis apertè docet: *Quòd Spiritus sanctus procedat à Filio, sicut & à Patre.* Capitulum XL. Cap. 20. post med.

Pater cùm ex tempore à quoquam cognoscitur, non dicitur missus. Non enim habet de quo sit, aut ex quo procedat. Sapientia quippe dicit: *Ego ex ore Altissimi prodij.* Et de Spiritu sancto dicimus: *A patre procedit.* Pater verò à nullo, &c. *usque ad*: operatur omnia in omnibus.

ITEM idem in libro sexto de Trinitate; *Quòd Spiritus sanctus sit Filij Patrisque suavitas: unde qui negat eum ab utroque, consequens est, ut neget suavitatem à Patre Filióque procedere.* Capitulum XLI. Hoc cap. in lib. 6. non reperi.

Illa ergo dilectio, delectatio, felicitas vel beatitudo, si tamen aliqua humana voce dignè dicitur usus ab illo appellatus est, & est in Trinitate Spiritus sanctus non genitus, sed genitoris genitíque suavitas. In geniti largitate atque ubertate perfundens omnes creaturas pro captu earum, ut ordinem suum teneant, & locis suis acquiescant. Hæc igitur omnia quæ arte divina facta sunt, & unitatem quandam in se ostendunt, & speciem & ordinem. Quicquid enim horum est, & unum aliquid est.

Capitulum XLII. *Cap. 17. circa med.*

ITEM idem in libro xv. de sancta Trinitate: *Quòd sanctus Spiritus procedat à Patre & Filio.*

Nescio cur non sicut sapientia & Pater dicatur & Filius & Spiritus sanctus, & simul omnes non tres, sed una sapientia, &c. *usque ad:* Trinitatis ista distinctio.

Capitulum XLIII. *Cap. 26. initio.*

ITEM idem in eodem libro.

Deinde in illa summa Trinitate, quæ Deus est, intervalla temporum nulla sunt, per quæ possit ostendi, aut saltem requiri, utrum priùs de Patre natus sit Filius, & postea de ambobus processerit Spiritus sanctus, &c. *usque ad*: propter dilectionem Dei.

Capitulum XLIV. *Ibid. ante med. & cap. 27. init.*

ITEM idem in eodem libro.

Nunquid ergo possumus quærere utrum jam processerat de Patre Spiritus sanctus quando natus est Filius, an nondum processerat, & illo nato de utroque processit ubi nulla sunt tempora, &c. *usque ad:* videatur mente quod tenetur fide.

Capitulum XLV. *In fine*

Item S. AUGUSTINUS: *Quòd Spiritus sanctus sit in Patre & Filio*, sic dicit in libro quem scripsit contra quinque hæreses, id est, Paganos, Iudæos Manicheos, Sabellianos, & Arianos.

Diximus de Patre & Filio quod potuimus & quantum potuimus, si tamen aliquid dignè potuimus. De Spiritu sancto tacuimus, sed non eum præterivimus*. Quicquid enim de Patre & Filio diximus, de Spiritu sancto diximus. Est enim in illis & cum illis unus & verus Deus; non minor aut tertius Deus. Quid adhuc dicam fatigatis fatigatus? Qui Spiritum sanctum à Patre & Filio æternitate & substantia, vel communione separat, eúmque negat Spiritum esse Patris & Filij, plenus est Spiritu immundo, vacuus est Spiritu sancto. Ideo enim dicitur, *Deus caritas*, quia partibus non dividit unitatem, sed ineffabiliter coagulat Trinitatem. Ipsa est

al. * separavimus.

1. Iohan. 4. 8.

enim Trinitas unus Deus, turris Fortitudinis à facie inimici, qui in se credentes custodit in sæcula sæculorum, Amen.

Item AUGUSTINUS *in disceptatione quam habuit contra* PASCENTIUM *comitem Arianorum, præsente* LAURENTIO *Iudice electo ab utrisque partibus.* Capitulum XLVI. Epist. 178. in medio.

Ecce quid est homousion, quod exprobratur injustè. Non enim verbum solum, sed & res in verbo est, nec solus sermo sonans auribus, sed substantia una est Dei credenda in mentibus. Si enim in hominibus credentibus in se totus Deus credendus est habitare, quomodò Filium totum in se Pater, aut Filius Patrem non credatur excipere? Ac per hoc ipse in Patre & Pater in eo manet, & ex Patre vel * Filio sanctus credendus est Spiritus non solùm processisse, sed semper ad peragenda opera Trinitatis omninò procedere. al. * &

Item S. AUGUSTINUS: *Quòd Spiritus sanctus procedat à Patre & Filio,* in libro secundo*, quem scribit contra Maximinum hæreticum, sic ait: Capitulum XLVII. Immo in lib. 3. Cap. 17. in fine.

Magnum aliquid sanè tibi dicere videris, quia dicis, Filius erat in principio antequam aliquid esset, Pater verò ante principium. Vbi legisti ut hoc crederes? Vnde præsumpsisti ut hoc diceres, ubi nec auctoritas ulla nec ratio est? Quid est enim ante principium, quandoquidem quicquid ante esset, hoc esset principium? Si ergo Pater ante principium est, ante se ipsum est; quia & ipse principium est. Quid est autem; *In principio erat verbum* Iohan. 1. 1. nisi in Patre erat Filius? Et ipse Filius interrogatus à Iudæis quis esset, respondit: *Principium qui & loquor vobis.* Iohan. 8. 25. Pater ergo principium non de principio, Filius principium de principio. Sed utrumque simul, non duo, sed unum principium. Sicut Pater Deus, & Filius Deus, ambo autem simul non duo Dij sed unus Deus. Nec Spiritum sanctum de utroque procedentem negabo esse prin-

cipium, ſed tria hæc tria ſimul ſicut unum Deum, ita unum dico eſſe principium.

Capitulum XLVIII.
In eodem lib. 3. cap. 14.

ITEM idem in eodem libro:

Quæris à me: ſi de ſubſtantia Patris eſt Filius, de ſubſtantia Patris eſt etiam Spiritus ſanctus, cur unus Filius ſit, & alius non ſit Filius? Ecce reſpondeo, ſive capias, ſive non capias. De Patre eſt Filius, de Patre eſt Spiritus ſanctus, *&c. uſque ad:* ſed inde eſt unde procedit.

Capitulum XLIX.
Extant quidem in Append. ad tom. 4. S. Auguſt. libr. duo de Incarnat. Verbi; ſed quæ hic citat Auctor non reperi.

ITEM S. AUGUSTINUS in Libro de Incarnatione Domini.

Spiritum quoque ſanctum non ingenitum neque genitum, ſed ex Patre Filióque procedentem, eo quòd Patris & Filii ſit Spiritus, & ipſe conſubſtantialis & coæternus ambobus, nec alium fuiſſe Spiritum ſanctum quem inſufflans dedit, & alium quem poſt Aſcenſionem ſuam miſit. Vnus enim Spiritus Dei, Spiritus Patris & Filii; Spiritus ſanctus idem Deus qui operatur omnia in omnibus. Ita ut perfecta credatur Trinitas propter proprietatem perſonarum, & unus Deus propter inſeparabilem Trinitatem.

Capitulum L.
** Seu potiùs* Fulgentii, *in Append. ad tom. 3. S. Auguſt. c. 3. in med.*

ITEM S. AUGUSTINUS * in Libro expoſitionis fidei ad Petrum.

Sicut ergo nec Filius poſterior aut minor eſt Patre, ita nec Spiritus ſanctus poſterior aut minor eſt Filio, *&c. uſque ad:* Græci ὑσίαν vocant.

Capitulum LI.
Ibid. cap. 1. in fine. Edit. varia eſt in nonnullis.

ITEM idem in eodem Opere poſt pauca:

In illa igitur ſancta Trinitate, quod ideò à nobis repetitur, ut veſtro cordi tenaciùs infigatur, unus eſt Pater qui ſolus eſſentialiter de ſeipſo unum Filium genuit, & unus Filius, qui de uno Patre ſolus eſt eſſentialiter natus;

& unus Spiritus ſanctus, qui ſolus eſſentialiter de Patre Filióque procedit. Hoc autem totum una perſona non poſſet, id eſt, & gignere ſe, & naſci de ſe, & procedere de ſe. Quia igitur aliud eſt genuiſſe quàm natum eſſe; aliúdque procedere quàm genuiſſe vel natum eſſe, manifeſtum eſt, quoniam alius eſt Pater, alius eſt Filius, alius eſt Spiritus ſanctus.

ITEM idem in eodem Opere:

Capitulum LII. *In cap. 2. initio, ſed variat lectio.*

Neque enim in illa Trinitate proprium eſſet ſolius Patris, quòd non eſt natus ipſe, ſed unum filium genuit, neque enim proprium ſolius Filii, quòd non genuit ipſe, ſed Patris eſſentia natus eſt: neque enim proprium Spiritus ſancti, quòd nec natus ipſe nec genuit, ſed ſolus de Patre Filióque incommutabili æternitate procedit.

ITEM idem in ipſo Opere poſt pauca:

Capitulum LIII. *Ibidem c. 11.*

Firmiſſimè & nullatenus dubites eundem Spiritum ſanctum qui Patris & Filii unus Spiritus eſt, de Patre & Filio procedere, *&c. uſque ad*: quia de ejus ore procedit.

HORMISDA Papa Romanæ Eccleſiæ: *Quòd Spiritus ſanctus à Patre Filióque procedit*, ſic dicit in Epiſtola quam ad Iuſtinum Imperatorem miſit adverſus Neſtorii & Eutychetis blaſphemias.

Capitulum LIV. *Eſt Epiſt. 79. ante medium.*

Adoremus Patrem & Filium & Spirium ſanctum, indiſtinctam diſtinctè, incomprehenſibilem & inenarrabilem ſubſtantiam Trinitatis: ubi etſi admittat numerum ratio perſonarum, unitas tamen non amittit eſſentiam*. Ita tamen ut ſervemus divinæ propria unicuique perſonæ, ut ne perſonis* divinitatis ſingularitas denegetur, nec ad eſſentiam hoc quod eſt proprium nominum transferatur. Magnum eſt, ſanctum & incomprehenſibile myſterum Trinitatis, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus

al. * admittit eſſentiæ ſeparationem.
In edit. * Servemus divinæ propria naturæ, ſervemus propria unicuiq; perſonæ, nec perſonis, &c.

sanctus, Trinitas indivisa; & tamen notum est quia proprium est Patris generare Filium, proprium Filii Dei ut ex Patre Patri nasceretur æqualis, proprium Spiritus sancti ut de Patre & Filio procederet sub una substantia divinitatis.

Capitulum LV. *Epist.* 93. *cap.* 1.

LEO Papa Romanæ Ecclesiæ: *Quòd Spiritus sanctus à Patre Filióque procedat*, sic dicit in Epistola quam misit ad Turibium Asturicensem Episcopum.

al. * quàm impiè de Trinitate divina sentiant.
* *Edit. add.* Deus.
al. * processit, sed

Primò itaque Capitulo demonstratur, quàm impii sunt de Trinitate divina*, qui Patris & Filii & Spiritus sancti unam atque eandem asserunt esse personam, tanquam idem* nunc Pater nunc Filius, nunc Spiritus sanctus nominetur; nec alius sit qui genuit, alius qui genitus est, alius qui de utroque procedit, & *singularis unitas in tribus quidem vocabulis, sed non in tribus sit accipienda personis. Quod blasphemiæ genus, de Sabellii opinione sumpserunt.

Capitulum LVI. *Post init.*

GREGORIUS Papa Romanæ Ecclesiæ: *Quòd Spiritus sanctus à Patre Filióque procedat*, in Homelia XXVI. sic dicit:

Iohan. 20. 21. Itaque dicitur: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, id est ea caritate vos diligo cùm inter scãdala persecutorũ mitto qua me caritate Pater diligit, quem venire ad tolerandas passiones fecit. Quamvis mitti etiam juxta naturam divinitatis possit intelligi. Eo enim ipso à Patre Filius mitti dicitur, quo à Patre generatur. Nam sanctum quoque Spiritum qui cùm sit æqualis Patri & Filio, non tamen incar-
Ioan. 15. 26. natus est, isdem se Filius mittere perhibet & dicens: *Cùm venerit Paraclitus quem ego mitto vobis à Patre, &c. usque ad*: debeat ad amorem Domini.



ITEM idem in libro Moralium ſecundo: Capitulum LVII.

Si * prophetiæ Spiritus Prophetis ſemper adeſſet, David Regi de templi conſtructione conſulenti, nequaquam Nathan Propheta concederet, quod poſt paululum negaret. Vnde bene in Evangelio ſcriptum eſt: *Super quem videris Spiritum deſcendentem & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat.* In cunctos namque fideles Spiritus venit, ſed in ſolo Mediatore ſingulariter permanet; quia ejus humanitatem nunquam deſeruit, ex cujus divinitate procedit. In illo igitur manet, qui ſolus & omnia & ſemper poteſt.

*Cap. 27. al. * Etſi* *Iohan. 1. 33.*

ITEM idem in eodem libro poſt pauca: Capitulum LVIII. *Cap. 28.*

In his igitur donis ſine quibus ad vitam perveniri non poteſt, Spiritus ſanctus ſive in prædicatoribus ſuis, ſeu in electis omnibus ſemper manet, *&c. uſque ad:* manet ad cuncta.

ITEM idem in libro quinto: *Quòd Spiritus ſanctus de Patre procedat: & de eo quod eſt Filii accipiat, ubi intelligitur & ab eo procedere.* Capitulum LIX. *Cap. 26. init.*

Et vocem quaſi auræ lenis audivi. Quid enim per vocem auræ lenis, niſi cognitio Spiritus ſancti deſignatur? qui de Patre procedens, & de eo quod eſt Filii accipiens, noſtræ tenuiter notitiæ infirmitatis infunditur, *&c. uſque ad:* illuminando perturbat.

FULGENTIUS: *Quòd ſolus Pater genuerit Filium, ſolus Filius à Patre genitus ſit, ſolus Spiritus ſanctus à Patre Filióque procedat*, in libro tertio quem ſcripſit contra Fabianum, ſic dicit: Capitulum LX.

Hi contra Fabianum libri non extant. Fragmenta tantùm quæ producuntur ab Ænea edidit Simondus in fine Operum S. Fulgentii,

Veraciter quippe profitemur, ſolum Patrem genuiſſe, ſolum Filium de Patre natum eſſe: veraciter etiam dici-

Et Theodulf. Aurel. Episc. ea refert. in lib. de Spiritu sancto. mus solum Spiritum sanctum de Patre Filióque procedere.

Capitulum LXI.

ITEM idem in libro quinto contra eundem Fabianum.

Ecce in quantum potui, licet breviter, reddidi rationem, qua unum Deum dicamus Patrem & Filium & Spiritum sanctum, & in ipsa imagine Dei ostendi quoddam divinæ agnitionis indicium. In qua quidem imagine, memoria, intelligentia & voluntas non habent singulas propriásque personas. Imago quippe est ista non nata, sed facta; non genita, sed creata. Ad hoc utique, ut sicut in ista una imagine invenitur quædam discretio vocabulorum, sic in illa una divinitate cognoscatur discretio personarum; & naturalis unitas ostendat unum Deum esse Patrem & Filium, & Spiritum sanctum. Personarum verò proprietas demonstret alium esse Patrem, alium Filium, alium Spiritum sanctum. Alium autem Patrem, non eo quòd Deus, sed eo quòd Pater est: & alium Filium, non eo quòd Deus est, sed eo quòd Filius est: alium quoque Spiritum sanctum, non eo quòd Deus est, sed eo quòd & Patris & Filii Spiritus est. Alium ergo Patrem, quia genuit; alium Filium, quia de Patre natus est; & alium Spiritum, quia de Patre Filióque procedit. Non tamen alium Deum Patrem, & alium Deum Filium, & alium Deum Spiritum sanctum; sed unum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Non enim confundit unitas Trinitatem, nec Trinitas separat unitatem; quia quod in personarum proprietate discernitur, hoc unum naturaliter essentiæ unius communione monstratur.

Capitulum LXII.

ITEM idem in libro VII. ejusdem Operis.

Johann. 16. 13. *Non enim loquetur à semetipso; sed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura sunt adnuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & adnuntiabit vobis.* Ecce primùm ostendit non esse alia Spiritus sancti, quàm

quæ

quæ ſunt Filii. Deinde ut oſtenderet omnia ſua eſſe quæ Patris ſunt, adjecit. *Omnia quæcumque habet Pater mea ſunt: propterea dixi quia de meo accipiet & adnuntiabit vobis.* Illud igitur primitus attendamus quod ait: *Non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcumque audiet loquetur.* Quis autem comprehendat qualis ſit illius ſimplicis naturæ locutio, vel qualis auditio, ubi non eſt aliud audire quàm eſſe? Audit itaque Spiritus ſanctus quæcumque Pater & Filius dicit, & hæc eadem ſimiliter facit. In illa enim natura, ubi eſt ſumma & vera ſimplicitas, in eo Filius videt quod Pater facit, Spiritus ſanctus audit quod cum Patre Filius dicit, qui à communione naturalis eſſentiæ, & Filius de Patre natus extitit, & Spiritus ſanctus de Patre Filióque procedit. Hoc igitur eſt Spiritui ſancto audire, quod eſt de natura Patris Filiíque procedere: & hoc eſt loqui, quod eſt per gratiam noſtris cordibus ineffabiliter intimare. Ibidem.

ITEM idem in eodem libro.

Capitulum LXIII.

Et non rapit eas quiſquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi majus omnibus eſt: & nemo poteſt rapere de manu Patris mei. Ego & Pater unum ſumus. Hæc eſt ergo vox quam oves ejus audiunt: quæ ſcilicet in eo quòd nemo rapit de manu Filii, neque de manu Patris, unam virtutem Filii & Patris intelligunt: & audientes ab eo quia ipſe & Pater unum ſunt, unitatem veram in Patre & Filio eſſentiæ naturalis agnoſcunt. Hæc eſt vox Filii, hæc eſt locutio Spiritus ſancti, quia de natura Patris natus eſt Filius, & exinde procedit Spiritus ſanctus. Hoc etiam à Patre & Filio Spiritus ſanctus audit, quia de Patre & Filio communis divinitatis æqualitate procedit. Non ergo Spiritus ſanctus loquitur à ſeipſo, quia non eſt à ſeipſo, ſed de Patre & Filio habet naturalem locutionem, unde naturaliter procedens habet originis veritatem. Ad hoc utique pertinet quod ait: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & adnuntiabit vobis. Omnia quæ habet Pater mea ſunt: propterea dixi, quia de meo accipiet.* Quàm bene Iohan. 10. 28. Iohan. 16. 14.

veritatem doctrinæ suæ veritas ipsa servavit! Si enim hoc non dixisset, quasi suum esse tantùm Spiritum ostendisset; Ibidem 15. sed dicens: *Omnia quæ habet Pater mea sunt: propterea dixi, quia de meo accipiet*; ipsum Spiritum sanctum unum esse ostendit & Patris & suum. Cujus intelligentia dicens: Iohann. 14. 26. *Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia quæcumque dixero vobis.* Pater mittit, sed in nomine Filii mittit: Spiritus missus à Patre docet, sed Filius dicit. Hoc etiam illo demon- Iohann. 15. 26 stratur loco, ubi Dominus dicit: *Cùm autem venerit Paraclitus quem ego mittam in vos à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Ecce hîc paraclitum quem mittit Pater in nomine Filii, ipsum mittit Filius à Patre: mittit autem à Patre Spiritum veritatis. Mittit ergo à Patre Spiritum suum, quia ipse est veritas: mittit eum Pater in nomine Filii, quia unus Spiritus est Patris & Filii. Mittit eum Filius à Patre, quia sic procedit à Filio, sicut procedit à Patre. Idem quoque Spiritus Patris, qui Spiritus est veritatis. De Filio ergo accepit, & omnia quæ habet Pater Filii sunt, quæ Spiritus sanctus accepit: quia non de solo Patre, nec solo Filio, sed simul de utroque procedit.

Hoc autem vocabulum processionis de Patre nulli creaturæ invenitur indultum, ut proprietas ista processionis solius esse demonstretur essentiæ naturalis. Legimus enim Filium de Patre genitum, & quamvis in eo quod unigenitus dicitur, in solo naturalis generatio demonstretur essentiæ naturalis. Tamen propter gratiam adoptionis nos quoque Deus Pater voluntariè genuit verbo veritatis. Vnigenitus igitur unus & solus est de Patris essentia filius natus; sed & nos per adoptionem & Filii Dei dicimur, & de Deo nati, beato Evangelista dicente: Iohan. 1. 12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Cùm ergo nosset Dei filios, & de Deo genitos, & de Deo natos divinis ostendatur eloquiis, processionis tamen de Deo vocabulũ nemo potest creaturæ cuiquam docere concef-

ſum. Quid ita, niſi quia unigenitum Filium poſſet naturalis nativitas verum Deum oſtendere, eúmque non adoptivum, nec diverſæ naturæ, ſed conſubſtantialem Patri ſine dubitatione monſtrare. Procedere autem de Deo ideò nulla creatura dicitur, ut ille qui procedit de Patre & Filio, ſic eſſe credatur Deus, ſicut eſt Pater & Filius: ſolius eſt enim Spiritus ſancti de Patre & Filio proprietas iſta proceſſionis, cujus eſt cum Patre & Filio natura communis. De Patre quippe ac Filio procedit, ſed non recedit; nec eſt in aliquo minor aut ſubditus, qui de Patre immenſo ac de immenſo Filio inſeparabiliter & unus procedit & totus. Sic igitur ei non poteſt imperari quod mirabiliter operatur.

ITEM idem in libro VIII. ejuſdem Operis.

Capitulum LXIV.

Filius eſt igitur à Patre miſſus, non Pater à Filio, quia Filius eſt à Patre natus, non Pater à Filio. Similiter etiam Spiritus ſanctus à Patre & Filio legitur miſſus, quia à Patre Filióque procedit. Sed quia non uno modo in Scripturis ſanctis dicitur miſſio, propterea in ſacramento Incarnationis non ſolùm à Patre verùm etiam ab Spiritu ſancto miſſus eſt Filius, quia mediator Dei & hominum homo Chriſtus IESUS totius eſt Trinitatis operatione plaſmatus. Alio autem modo mittitur à Patre & Filio Spiritus ſanctus, quia naturaliter à Patre Filióque procedit. Mittitur enim à Patre & Filio Spiritus ſanctus, cùm ab ipſa Trinitate uno Deo gratiæ ſpiritalis donatur effectus.

ITEM idem in libro IX. ejuſdem Operis.

Capitulum LXV.

Deum itaque Patrem non totius Trinitatis, ſed Filij & Spiritus ſancti fatemur auctorem; de quo habet & unigenitus Filius æternæ nativitatis, & Spiritus ſanctus æternæ proceſſionis originem. Vnitas autem naturalis, creatorem Filium de creatore Patre naturali nativitate inſinuat extitiſſe, & creatorem Spiritum ſanctum de Patre Filióque procedere.

Capitulum LXVI.

ITEM idem in libro X. ejuſdem Operis.

Expleta verò confeſſione veræ divinitatis, veræque humanitatis unici Filij Dei, confitemur nos credere in Spiritum ſanctum, qui eſt unus Spiritus Patris & Filij, de Patre Filióque procedens, in Patre Filióque naturaliter manens, de Patre ac Filio unius deitatis habens naturaliter veritatem.

Capitulum LXVII.

ITEM idem, *ut oſtenderet Spiritum ſanctum æqualem Patri & Filio, eundem Spiritum ſanctum & à Patre & à Filio, & Filium à Patre & Spiritu ſancto miſſum eſſe, teſtatur in libro ſecundo quem ſcripſit ad Traſemundum Regem**.

* *Lib. 2. ad Monimum cap. 6.*

Iam nunc etiam illa nobis eſt de Spiritus ſancti miſſione quæſtio revolvenda, *&c. uſque ad*: quoquam localis adventus.

Capitulum LXVIII. *Cap. 23.*

ISIDORUS Hiſpalenſis Epiſcopus, in libro ſecundo Officiorum inter cætera ſic dicit:

al. * Apoſtolorum.

Hæc eſt autem poſt Apoſtolicum * Symbolum certiſſima fides, quam Doctores noſtri tradiderunt, ut profiteamur Patrem & Filium & Spiritum ſanctum unius eſſentiæ, ejuſdémque poteſtatis & ſempiternitatis unum Deum inviſibilem; ita ut ſingulis perſonarum proprietate ſervata, nec ſubſtantialiter Trinitas dividi *, nec perſonaliter debeat omninò confundi. Patrem quoque confiteri ingenitum, Filium genitum, Spiritum autem ſanctum nec genitum nec ingenitum, ſed ex Patre & Filio procedentem; Filium à Patre naſcendo procedere, Spiritum verò ſanctum procedendo non naſci.

al. * Subſtantialiter dividi.



ISIDORUS in librò ſeptimo Etymologiarum: *Quòd Spiritus ſanctus à Patre Filióque procedat*, ſic dicit. LXIX. Capitulum Cap. 3.

Spiritus Sanctus ideò prædicatur Deus, quia ex Patre Filióque procedit, *&c. uſque ad*: hic non eſt ejus.

ITEM idem in eodem Opere poſt pauca. Capitulum LXX. Ibid. cap. 4.

Pater igitur & Filius & Spiritus ſanctus Trinitas & unitas. Idem etenim unum idem & tria. In natura unum, in perſonis tria. Vnum propter Majeſtatis cõmunionem, tria propter perſonarum proprietatem. Nam alius Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus, ſed alius non quidem aliud: quia pariter ſimplex, paritérque incommutabile bonum & coæternum. Pater ſolus non eſt de alio; ideo ſolus dicitur ingenitus. Filius ſolus de Patre eſt natus, ideò ſolus appellatur genitus: Spiritus ſanctus ſolus de Patre & Filio procedit, ideo ſolus jam amborum nuncupatus Spiritus.

ITEM idem in libro Differentiarum. Capitulum LXXI. Lib. 2. cap. 3.

Inter perſonam Patris & Filij & Spiritus ſancti ita ſecernitur, quòd Pater nec factus nec natus eſt, Filius natus non factus, Spiritus verò ſanctus nec natus nec factus, ſed ex Patre procedens, *&c. uſque ad finem capitis.*

ITEM idem in libro Sententiarum. Capitulum LXXII. Lib. 1. cap. 17.

Spiritus ſanctus creator eſt, ſicut Pater & Verbum, teſtante Propheta: *Spiritus Domini fecit me, & in ſpiraculum omnipotentis vivificavit me.* Iob. 33. 4. Spiritus ſanctus Patris & Filij eſt; & inde unum ſunt Pater & Filius; quia nihil habet Pater quod non habeat Filius. Non enim res una & duorum conſubſtantialis poterit ſimul ab eis procedere, & ſimul ineſſe, niſi unum fuerint à quibus procedit.

Capitulum LXXIII. *Sive Iulianus Pomerius, Lib. 1. cap. 18. & 19.

PROSPER * in libro de vita contemplativa: *Quòd Spiritus sanctus à Patre & Filio procedat*, sic docet.

At cùm non solùm secundùm Apostolum nos oporteat formam præbere fidelibus, sed etiam eos ipsos fideles qui nobis divinitus iustituendi commissi sunt instruere debeamus, de Patre quomodò solus accipiatur ingenitus; de Filio quomodò solus dicatur genitus; & de Spiritu sancto quomodò ex Patre & Filio procedens; nec ingenitus possit dici nec genitus. Qualiter ista tria unum sint, & hoc unum non dividatur, sed distinguatur in tria *&c. usque ad*: bene agat.

Capitulum LXXIV. * Aliis Vigilius sive Virgil. Trident. Epistep. lib. 1. post. med.

VIGILIUS Africanus Episcopus * *Spiritum sanctum à Patre Filióque procedere his verbis demonstrat in libris quos scripsit Constantinopoli in defensionem tomi Loenis Papæ contra Euticianistas.*

Similiter nobis & de Trinitate quæstionem aliquam movent, ut quia sunt quædã propria Patris, quæ nec ad Filiũ, nec ad Spiritum sanctum pertineant; & sunt quædam propria Filij, quæ nec ad Patrem nec ad Spiritum sanctũ pertineant, & sunt etiam Spiritus sancti nonnulla propria, quæ nec ad Patrem, nec ad Filium pertinere monstrantur, tres à se invincem separatos criminentur Catholicos credere * Deos. Sed ne forsitan inopinata quæstione turberis, adverte * per singula suscepti hominis dispensationem, nec ad Patrem nec ad Spirtum, sed ad solum pertinere Filium. Propriè enim Filius non Pater, de Virgine natus est. Rursus illa quæ super sunt* audita est vox, *Hic est Filius meus dilectus*, nec ad Filium nec ad Spiritum sanctum, sed ad Patrem pertinet solum. Item columbæ species quæ in Iordane aparuit, & ignearum linguarum multipertita distributio, propriè ad sancti Spiritus personam pertinere monstratur. Sed ne adhuc de his proprietatibus dubites, audi manifestius. Proprium Patris est ge-

al. * colere.

al. * adverte singula susceptæ carnis dispensatio nec ad Patrem, &c pertinet Filium.

al. * sæpe audita &c.

nuisse, & proprium Filij est natum fuisse; Proprium verò est Spiritui sancto de Patre Filióque procedere*; Nec omninò reciprocatus in aliam personam, quod est unicuique personæ specialiter propriũ. Si ergo hæ tres personæ habentes singulæ proprietates suas, quibus significantius * distinguantur, non quibus separentur, unus est Deus, quomodò Filius salva utriusque naturæ proprietate non est unus Christus.

*al.*Proprium verò est Spiritus sancti procedere.*

al. significandæ.*

PROCLUS *Constantinopolitanus Episcopus, in Epistola ad Armenios adversus hæreticos destinata, Spiritum sanctum ab essentia deitatis inseparabiliter procedere*, his verbis edocet

Capitulum LXXV. *Post medium epistola. v. in Bibliot. Patrum.*

Fugiamus itaque consilia seductionis, fluenta hæreticorum dico pernitiosa, Deóque inimica contagia, Arii vesaniam, qui Trinitatem inseparabilem substantiis dividit: Eunomij audaciam, qui naturam incomprehensibilem infra scientiam humanitatis includit: Manichæi & Macedonij * rabiem, qui sequestrat ab essentia divinitatis Spiritum sanctum, & separabiliter procedentem.

** In edit. deest, Macedonii.*

AGNELLUS in Epistola ad Menium *: *Quòd Spiritus sanctus à Patre procedat & Filio*, sic docet.

Capitulum LXXVI.. *In medio. V. in Bibliot. Patrum.* *al.* * ad Nenium. *&*, ad Armenium.

Ideò ex Patre Filius, ex Patre & Filio procedit Spiritus sanctus. Nec ut quidam dicunt duos habet Deus Filios Christum & Spiritum sanctum, sed habet Filium invisibilem, sicut ipse invisibilis est; qui ut esset visibilis corpus nostræ fragilitatis assumpsit: non ut invisibilis esse cessaret, sed ut in ipso Christo invisibilis incredulis permaneret. Nam cùm dicit: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* Ergo beati erant Iudæi omnes, & hi qui eum crucifixerunt; De quibus per David dicit: *Ipsi verò consideraverunt & conspexerunt me.* Vides ergo quia invisibilis Pater perseverat, & mente cernitur pura & credula. Ergo invisibilis Pater, invisibilis Filius, invisibilis

Luc. 10. 23.

Psal. 21. 18. *In edit. deest. Pater.*

Spiritus sanctus. Et ut ad hoc te revocem, unde factum est ut hoc de fragili homine doceamus. Tria hæc invisibilia, & indivisa, & in unum conglomerata, & virtutis efficacia redundantia, idem vocem genitricem Verbi, ex verbo verò simul cum voce procedente efficacia, quæ faciat alterum Consulem fieri, alterum trucidari: Dic mihi, Ariane, ista tria unum sunt an non? Si unum non sunt, divide vocem à verbo, & efficaciam à voce & verbo. Quòd si hoc in fragili homine ita unum sunt tria, vox, & verbum, & efficacia, ut tres quidem personæ sint, sed una subsistendi potentia: in homine fragilissimo, ut diximus, hæc sit tanta potentia, quantò magis in omnipotentia Dei ita est, ut sit Pater omnipotens genitor Filij, & ex Patre & Filio procedens justus *, qui est Spiritus sanctus.

al. * virtus.

Capitulum LXXVII. Psal. 50. 14.

CASSIODORUS in expositione Psalmi, L. *Quòd Spiritus sanctus à Patre Filióque procedat*, sic dicit.

Redde mihi lætitiam salutaris tui; & Spiritu principali confirma me. Nec incassum putemus quòd vir sanctus & cordis illuminatione radiatus tertiò Spiritum nominavit, nisi quia individuæ Trinitati devotus concedi sibi ab ea veniam postulavit. Spiritus enim quantum ad essentiam divinitatis, & Pater & Filius & Spiritus sanctus rectè unus dicitur Deus, sed pro distinctione personarum, proprium est Patri quòd naturaliter sine initio ante sæcula genuit Filium; proprium est Filio quòd naturaliter à Patre generatus est; proprium est Spiritui sancto quòd à Patre & Filio procedit, quæ ineffabili caritate atque cooperatione eorũ consubstantialis æternitas & potestas omnia facit quæ vult in cœlo & in terra, *&c. usque ad*: breviter de æternitate disseruit.

Capitulum LXXVIII. Psal. 61. 2. & 3.

ITEM idem in Psalmo sexagesimo primo.

Ab ipso enim salutare meum, id est, unigenitus Filius, qui rectè credentibus salutaris existit. Ab ipso enim cùm dicitur, Filius significatur. Hæc enim propria, unus Deus sancta

ſancta Trinitas habet, quod Pater ingenitus, Filius genitus, Spiritus ſanctus à Patre & Filio procedit, *&c. uſque ad:* mirabili veritate monſtravit.

ALCUINUS in libro primo de fide ſanctæ Trinitatis: *Quòd Spiritus ſanctus communis eſt Patris & Filij Spiritus.*

Capitulum LXXIX. *Cap. 6.*

Ergo hoc donum Dei, id eſt, Spiritus ſanctus qui de Patre & Filio æqualiter procedit, ineffabilis quædam Patris Filiíque communio eſt. Et ideo fortaſſe ſic appellatur, quia Patri & Filio poteſt eadem appellatio convenire. Nam hoc ipſe propriè dicitur, quod illi communiter dicuntur. Quia & Pater Spiritus, & Filius Spiritus; & Pater ſanctus, & Filius ſanctus rectè dicitur. Ergo ut nominibus junctis, quæ ſeparatin utriuſque perſonæ conveniunt, utriuſque communio propriè ſignificetur, vocatur ſanctus Spiritus, qui eſt tertia in ſancta Trinitate perſona, Patri & Filio per omnia æqualis, coætérnus & conſubſtantialis. Et hæc Trinitas unus eſt Deus, ſolus bonus, magnus, æternus, omnipotens. Ipſe ſibi unitas, deitas, magnitudo, bonitas, omnipotentia, & quicquid ad ſe ſubſtantialiter dicitur. Non ita in relativis vocabulis intelligendum eſt vel dicendum; quia dici non poteſt, Pater ſibi Pater, vel Filius ſibi Filius, vel Spiritus ſanctus ſibi Spiritus ſanctus, ſed hæc relativa vocabula ad aliam procul dubio perſonam referri debent.

ITEM idem in eodem.

Capitulum LXXX. *Cap. 11.*

Spiritus ſanctus itaque hoc habet proprium quod ex Patre & Filio æqualiter procedit, *&c. uſque ad:* omnipotentia & æternitate.

ITEM idem in eodem.

Capitulum LXXXI. *Cap. 15.*

Spiritus ſiquidem ſanctus nec ingenitus, nec genitus alicubi dicitur, *&c. vſque ad:* procedat Spiritus ſanctus.

Capitulum LXXXII. *Cap. 9.*

ITEM idem in libro ſecundo:

Sunt hæc tria æternaliter tria. Quòd ingenitum eſt Pater eſt ſolus, qui à nullo eſſe habet, quod eſt niſi à ſeipſo. Quod genitum eſt Filius eſt, cui à Patre eſt eſſe quod eſt. Quòd verò ingenitum eſt, nec genitum, Spiritus ſanctus eſt, cui eſt eſſe à Patre & filio procedere. Et hæc tria Trinitas eſt vera, conſubſtantialis & coæterna.

Capitulum LXXXIII. *Cap. 11.*

IDEM idem in libro ſecundo.

In Chriſto autem ſecundùm Catholicæ fidei veritatem, in unitate perſonæ ſimul & divinitatem fatemur, & animam rationalem & carnem. Inquo tamen divinitas Spiritum accipere non potuit, quia ſecundùm divinitatem Pater & Filius & Spiritus ſanctus unus eſt Deus. Non ergo potuit Spiritum ſanctum divinitas Filij accipere, cùm ipſe Spiritus ſanctus ſic procedit à Filio, ſicut procedit à Patre, & ſicut datur à Patre.

Capitulum LXXXIV. *Cap 19.*

ITEM idem in libro ſecundo; *De unitate Spiritus ſancti cum Patre & Filio.*

Spiritus itaque ſanctus ſicut Pater & Filius plenus eſt Deus & perfectus, immo unus Deus cum Patre & Filio atque una ſubſtantia, ſicut ſuprà memoravimus, *&c. uſque ad*: ubi vult ſpirat.

Capitulum LXXXV. *Cap. 20.*

ITEM idem in libro ſecundo.

Spiritus ſanctus in eadem unitate ſubſtantiæ & æqualitate cum Patre & Filio conſiſtit, *&c. uſque ad finem capitis.*

Capitulum LXXXVI. *Cap. 21.*

ITEM idem in eodem; *Cur idem Spiritus ſanctus bis à Deo Chriſto datus ſit.*

Abſque dubitatione ideò Spiritus ſanctus bis datus eſt

ut commendarentur duo præcepta charitatis, *&c. usque ad finem capitis.*

ITEM idem in libro III. *Quomodò missio sancti Spiritus sit intelligenda.* Capitulum LXXXVII.

Sicut enim à Patre Spiritus sanctus mittitur, ita & à Filio, *&c. usque ad finem capitis.*

ITEM in fide ipsius Alcuini: Capitulum LXXXVIII. *Non reperi hæc in Alcuino.*


Credimus sanctam Trinitatem, id est, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, unum Deum omnipotentem, unius substantiæ, unius essentiæ, unius potestatis; Creatorem omnium creaturarum. A quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Patrem à se ipso non ab alio, Filium à Patre genitum, Deum verum de Deo vero, lumen verum de lumine vero, non tamen duo lumina, sed unum lumen. Spiritum sanctum à Patre & Filio ęqualiter procedentem, consubstantialem, coęternum Patri & Filio.

ITEM idem ALCUINUS in propositis quæstionibus de sancta Trinitate. Capitulum LXXXIX. *Resp. ad interrogat. 2.*

Proprium est Patris, quòd solus est Pater, & quòd ab alio non est nisi à se. Proprium est Filii, quòd à Patre genitus est, solus à solo coæternus & consubstantialis genitus. Proprium est Spiritus sancti, quòd nec ingenitus nec genitus est, sed à Patre & Filio æqualiter procedens.

PRUDENTIUS in libro contra Marcionitas metro Heroïco. Capitulum XC. *In perorat. Hamartigenia*

O Dee cunctipotens animæ dator, ô Dee Christe,
Cujus ab ore Deus subsistit Spiritus unus.



Capitulum. XCI. *In Hym. ante somnum.*

ITEM idem in libro Hymnorum metro Iambico.

O Trinitatis hujus,
Vis una, lumen unum,
Deus ex Deo perennis,
Deus ex utroque missus.

Capitulum XCII. *Hymn. ad incensum cerei Paschalis. in vit. & fin.*

ITEM idem in libro Hymnorum metro Choriambico, quod Asclepiadeum nominatur.

Inventor rutili dux bonæ luminis,
Qui certis vicibus tempora dividis,
Merso sole chaos ingruit horridum,
Lumen redde tuis Christe fidelibus.
Per Christum genitum summe Pater tuum,
In quo invisibilis stat tibi gloria,
Qui noster Dominus, qui tuus unicus
Spirat de patrio corde Paraclitum.
Per quem splendor, honor, laus, sapientia,
Majestas, bonitas, & pietas tua,
Regnum continuat nomine triplici
Texens perpetuis sæcula sæculis.

Capitulum XCIII.

ITEM in fide Catholica, quam die Dominicâ decantat ad Missam vniversalis Gallicarum Ecclesia, sic canitur inter cætera:

Credo & in Spiritum sanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filióque procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur, qui locutus est per Propheras.



IDEM ISIDORUS in fide Catholica inter cætera, sic dicit:

Capitulum XCIV. *Lib. de Ordine Creaturarum cap. 1. in Tom. I. Spicilegii nostri.*

Deus unus omnipotens, sancta Trinitas Pater & Filius & Spiritus sanctus. Pater ergo omnipotens ex nullo originem ducit, & ipse origo divinitatis est, à quo Filius Deus omnipotens genitus sine tempore est, non quippe creatus est, quia Deus est. Cui, præter quod Filius est, in divinitate totum est commune Patris in æternitate, in voluntate, in potestate, in sapientia: Sic & Patri, præter quod Pater est, totum est commune Filii. Spiritus sanctus est Deus omnipotens nec genitus est, quia non est Filius, nec creatus, quia non est creatura, sed ex Patre procedit & Filio. Cui, præter quod Spiritus sanctus est, totum commune est Patris & Filii; quia non qui Pater est, Filius aut Spiritus sanctus in persona hic est, nec qui Filius est, Pater aut Spiritus sanctus hic est, nec qui Spiritus sanctus est, Pater aut Filius hic est, sed in essentia quod Pater est, & Filius, & Spiritus sanctus hoc unum est. Et quod Filius est, Pater & Spiritus sanctus hoc est. Et quod Spiritus sanctus est, Pater & Filius hoc est, sed non triplex in illa Trinitate Deorum numerus est. Salvâ enim separatione personarum totum commune divinitatis est.



QVÆSTIO,

SIVE

OBIECTIO II.

De Cælibatu Ministrorum Ecclesiæ.

TETIMONIA SANCTORVM PATRVM

Contra eos qui profana intentione munditiem Ministrorum Christi oppugnare contendunt, quàm pulchra virgo & vera mater Ecclesia non habens maculam aut rugam, vel aliquid hujusmodi, semper sibi obsequi inlibatè delegit.

Capitulum XCV.

1. Cor. 7. 2.

Ibid. 6.

VOx tonitrui PAULUS ita de munditia prosequitur, cùm vulgaribus conjugium permitteret: *Vnusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat. Hoc*, inquit, *dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium. Volo autem omnes homines esse sicut meipsum, sed unusquisque proprium habet donum ex Deo. Alius quidem sic, alius verò sic. Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis si sic manserint sicut & ego.*

Et idem post pauca in eadem Epistola ad Corinthios prima: *Consilium autem do tanquam misericordiam consecutus à Domino ut sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse.* Subauditur, ut ita sit continens sicut ego. Et item post pauca: *Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine*

Ibid. 25.

uxore est sollicitus est quæ Domini sunt quomodò placeat Deo. Qui autem cum uxore est sollicitus est quomodò placeat uxori.

Si autem hanc castimoniam laïcis hortando suadet, multò magis Ministris Ecclesiæ eandem inesse desiderat.

Item Apostolus ad Galatas: *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversus spiritum, Spiritus autem adversus carnem. Hæc enim invicem sibi adversantur, ut non quæcumque vultis illa faciatis; quòd si spiritu ducimini non estis sub lege.* Et item: *Fructus autem Spiritûs est caritas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, modestia, lenitas, continentia, castitas, adversus hujusmodi non est lex.* Et item: *Si Spiritu vivimus, Spiritu & ambulemus.* Cùm autem de magno Pontifice Christo ad Hebræos dixisset: *Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus & excelsior cælis factus.* Galat. 5. 16. Ibid. 22. Ibid. 25. Hebr. 7. 26.

Hanc castitatis munditiam cunctis Sacerdotibus & Ministris Ecclesiæ servandam proposuit. Et si talia in sæcularibus laudantur, abundantiùs in Ecclesiasticis honestiora esse videntur.

Item Paulus ad Colossenses: *Mortificate*, inquit, *membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam.* Addit etiam: *Propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis. In quibus & vos fuistis aliquando cùm viveretis in illis. Nunc autem deponite & vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro.* Coloss. 3. 5.

Ad hæc augmentanda Dei Filius concludens imperat: *Sint lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Et Paulus: *Bonum est mulierem non tangere*, videlicet quasi in tactu statim periculum pro foribus adesset. Si carnalibus est à tactu temperandum & cavendum, instantius spiritalibus ab amplexu illicito perpetualiter abstinendum. Item Paulus: *Fornicatio autem & omnis immunditia aut avaritia, nec nominetur in vobis sicut decet sanctos; aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas* Luca. 12. 35. Ephes. 5. 3.

quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio. Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator aut immundus, aut avarus, quod est Idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi & Dei. Et paulò post: *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ut filii lucis ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonitate & justitia & veritate.*

Ibid. 8.

His & aliis quamplurimis auctoritatibus pudicitia mentis & corporis usque ad cęlos extollitur.

Capitulum XCVI.

Can. 3. ex 1. edit.

IN NICÆNO CONCILIO *De subintroductis mulieribus.*

Interdixit per omnia magna Synodus, nec Episcopo, nec Presbytero, nec Diacono, nec alicui omninò qui in Clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi fortè matrem, aut sororem, aut ámitam, vel eas tantùm personas quæ suspiciones effugiunt.

In fine Proœmii l. 1. de fide ad Gratian.

Hoc autem Nicænum Concilium Beatus Ambrosius in libro de Trinitate his verbis in immensum effert: De Conciliis id potissimùm sequar, quod trecenti decem & octo Sacerdotes, tanquam Abrahæ electi judicio, consona fidei virtute victores, velut trophæum toto orbe subactis perfidis extulerunt: ut mihi videatur hoc esse divinum, quod eodem numero in Conciliis habeamus oraculum, quod* in historia pietatis exemplum.

al. * quo

Capitulum XCVII.

Epist. 1. cap. 7.

IN Decretalibus SIRICII Papæ; *De Clericis incontinentibus.*

Veniamus nunc ad sacratissimos Ordines Clericorum, quos in venerandæ Religionis injuriam ita per vestras provincias calcatos atque confusos, caritate tua insinuante reperimus, ut Ieremiæ nobis voce dicendum sit: *Quis dabit capiti meo aquam aut oculis meis fontem lacrymarum; & flebo populum hunc die ac nocte.* Si ergo Beatus Propheta ad lugenda populi peccata non sibi ait lacrymas posse sufficere, quanto nos possumus dolore percelli, cùm eorum

Ier. 9.

rum qui in noſtro ſunt corpore, compellimur facinora deplorare? Quibus præcipuè, ſecundùm Beatum Paulum, *inſtantia quotidiana, & ſollicitudo omniū Eccleſiarum indeſinenter incūbit. Quis enim infirmatur & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur & ego non uror?* Plurimos enim Sacerdotes Chriſti atque Levitas poſt longa conſecrationis ſuæ tempora, tam de conjugiis propriis, quàm etiam de turpi coïtu ſobolem didicimus procreaſſe, & crimen ſuum hac prçſcriptione defendere, quia in veteri Teſtamento Sacerdotibus ac Miniſtris generandi facultas legitur attributa, *&c. uſque ad:* ſenſerint medicinam. 2. Cor. 11.

IN eiſdem; *De Clericorum converſione.* Capitulum XCVIII. Ibid. cap. 19.

Quicumque itaque ſe Eccleſię vovit à ſua infantia, ante pubertatis annos baptizari, & Lectorum debet miniſterio ſociari: qui acceſſu adoleſcentię uſque ad triceſimum ętatis annum, ſi probabiliter vixerit, una tantùm, & ea, quam virginem communi per Sacerdotem benedictione perceperit, uxore contentus, Acolytus & Subdiaconus eſſe debebit. Poſt quæ ad Diaconi gradum, ſi ſe ipſe primitus continentia præeunte dignum probarit, accedat. Vbi ſi ultra quinque annos laudabiliter miniſtrarit, congruè Preſbyterum conſequetur. Exinde poſt decennium Epiſcopalem cathedram poterit adipiſci, ſi tamen per hęc tempora integritas vitæ ac fidei ejus fuerit approbata.

ITEM in eiſdem Decretalibus; *Quæ feminæ cum Clericis habitent.* Capitulum XCIX. Ibid. cap. 12.

Feminas verò non alias eſſe patimur in domibus Clericorum, niſi eas tantùm, quas propter ſolas neceſſitudinum cauſas habitare cum iiſdem Synodus Nicæna permiſit.



Capitulum C.
Epist. 3. cap. 1.

INNOCENTIUS Papa in Decretalibus; *De Incontinentia Sacerdotum vel Levitarum*, ad Exuperium Episcopum Tolosanum.

Proposuisti quid de his observari debeat, quos in Diaconii ministerio, aut in officio Presbyterii positos, incontinentes esse, aut fuisse, generati filii prodiderunt. De his & divinarum legum est disciplina, & beatæ recordationis viri Siricii Episcopi monita evidentia commearunt, ut incontinentes in officiis talibus positi omni honore Ecclesiastico privarentur, nec admittantur ad tale ministerium, quòd solâ continentiâ oportet impleri, *&c. usque ad:* arbitrati sunt voluptatem.


Capitulum CI.
Epist. v. sub init.

ITEM Papa INNOCENTIUS; *Quòd hi qui in Presbyterio filios genuerint, removeri ab officio debeant.*

Qui zelo fidei ac disciplinę ductus non patitur Ecclesiam pollui ab indignis Presbyteris, quos in presbyterio filios asserit procreasse. Quod non licere exponerem, nisi nossem vestram prudentiam legis totius habere notitiam. Et ideò, fratres carissimi, libelli qui subjectus est tenore perspecto, eos qui talia perpetrasse dicuntur jubete in medio collocari, discusśisque objectionibus quæ ipsis Presbyteris impinguntur, si convinci potuerint* à sacerdotali removeantur officio; quia qui sancti non sunt, sancta temptare non possunt, atque alieni efficiuntur à ministerio, quod vivendo inlicitè polluerunt. Miramur autem hęc eorum dissimulare Episcopos, ut aut cohibere*, aut nescire esse inlicita judicentur:

al. * convicti fuerint.

al. * connivere.



Sanctus SIRICIUS *Papa in Ecclesia Beati Petri Apostolorum Principis in Concilio residens, & Fratribus & Coepiscopis per Africam Ecclesiastica jura describens, inter cætera hæc de pudicitia intulit.* Capitulum CII. Epist. 4. n. 9.

Præterea, quod dignum & pudicum & honestum est, suademus Sacerdotes & Levitæ cum uxoribus suis non coëant, quia in ministerio Ministri quotidianis necessitatibus occupantur. Ad Corinthios namque Paulus sic scribens ait: *Abstinete vos ut vacetis orationi.* Si ergo laïcis abstinentia imperatur, ut possint deprecantes audiri, quantò magis Sacerdos utique omni momento paratus esse debet, munditiæ puritati securus, ne aut sacrificium offerat, aut baptizare cogatur. Qui si contaminatus fuerit carnali concupiscentia, quid faciet? Qualiter se* excusabit? Quo pudore, qua mente usurpabit? Qua conscientia, quo merito se hic exaudiri credit, cùm dictum sit: *Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum.* Qua de re hortor, moneo, rogo, tollatur hoc opprobrium, quod potest jure etiam gentilitas accusare. Fortè hoc creditur*, quia scriptum est: *Unius uxoris virum.* Non permanentem* in concupiscentia generandi dixit, sed propter continentiam futuram. Neque enim integros non admisit qui ait: *Vellem autem omnes homines sic esse, sicuti & ego.* Et apertiùs declarat dicens: *Qui autem in carne sunt Deo placere non possunt. Vos autem jam non estis in carne, sed in Spiritu.* Hæc itaque, Fratres, si plenâ vigilantiâ fuerint ab omnibus observata, cessabit ambitio, dissensio conquiescet, hæreses & schismata non emergent, locum non accipiet Diabolus sæviendi, manebit unanimitas, iniquitas superata calcabitur: caritas spiritali fervore flagrabit, pax prædicata labiis cum voluntate concordabit. Pax utique Dei nostri Salvatoris, quam proximus passionis servandam esse præcepit, & hereditariam nobis jure dereliquit dicens: *Pacem meam do vobis*,

1. Cor. 7.
* qualiter se non extant in ed. r.
Tit. 1.
al. * fortè creditur.
1. Tim. 3.
al. * permanenti.
1. Cor. 7.
Rom. 8.
Ioan. 14.

Philip. 2. *pacem meam relinquo vobis.* Et dictum Apostoli: *Vt unanimes unum sentientes permaneamus in Christo; Nihil per contentionem nobis, neque per inanem gloriam vindicantes; nec hominibus sed Deo nostro Salvatori placeamus.* His præceptis omnibus si fideliter voluerimus obedire, custodiet Dominus corpora nostra & animas nostras in die qua
Rom. 2. redditurus est unicuique secundum opera sua. Si quis sanè inflatus mente carnis suæ ab hac Canonis ratione voluerit evagari, sciat se & à nostra communione seclusum, & gehennæ pœnas habiturum. Prætereà misericordia cum judicio esse debet. Talibus enim oportet labentibus ma-
al. * qui num porrigere, quæ* sic currentem non pertrahat in ruinam. Datum Romę in Concilio Episcoporum octoginta sub die VIII. Idus Ianuarias post consulatum Arcadij Augusti & Bautonis.

Capitulum CIII.
Epist. 84. cap. 4.

IN decretalibus Papæ LEONIS: *Quòd Subdiaconis carnale connubium denegetur.*

Nam cùm extra Clericorum ordinem constitutis nuptiarum societati, & procreationi filiorum studere sit liberum arbitriũ *; ad exhibendam perfectæ continentiæ puritatem nec Subdiaconis quidem connubium carnale conceditur; *ut & qui habent sint tanquam non habentes*; & qui non habent, permaneant singulares. Quòd si in hoc ordine qui quartus est à capite, dignum est custodiri, quantò magis in primo vel secundo tertióve servandum est, ne aut Levitico, aut Presbyterali, aut Episcopali excellentiæ aut quisquam idoneus æstimetur, qui se à voluptate uxoris necdum frænasse detegitur.

* In edit. arbitrium non habetur.

1. Cor. 7. 29.

Capitulum CIV.
Epist. 92. Inquisit. 3.

LEO *Papa ad Rusticum Episcopum Narbonensem Epistolam porrigens; & ad ejusdem consulta respondens inter cætera dicit.*

De his qui altari ministrant, & conjuges habent, utrum eis licito misceantur.

Lex continentiæ eadem est altaris Ministris, quæ Epis-

copis atque Presbyteris. Qui cùm essent laïci sive lectores licitè & uxores ducere, & filios procreare potuerunt: Sed cùm ad prædictos pervenerint gradus, cœpit eis non licere quod licuit. Vnde ut de carnali fiat spiritale conjugium, oportet eos nec dimittere uxores & quasi non habeant sic habere; quo & salva sit caritas connubiorum, & cesset operatio nuptiarum.

Capitulum. C V. *In edit. Epist. 87. ad Episcop. Affricanos per Mauritaniam &c. cap. 1. post init. ad* * Domini

Item LEO Papa *in Epistola sua quam ad Mauros Episcopos direxit, inter cætera sic dicit*:

Totius familiæ * status & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore non inveniatur in capite, *&c. usque ad*: argentum purum esse meruerunt.

Capitulum CVI. *Can. 7. al. 6. differt ab edit*

IN Canonibus sanctorum Apostolorum:

Vt Sacerdotes & Ministri altaris, sæcularibus curis abstineant: Episcopus autem Presbyter aut Diaconus nequaquam sæculares curas sumant; sin aliter, dejiciatur.

Capitulum CVII. *Can. 9. ex Vers. Dionysii Exigui.*

ITEM in eisdem: *Quòd Ministri altaris oblatione celebrata debeant communicare.*

Si quis Episcopus, aut Presbyter aut Diaconus, vel quilibet ex sacerdotali catalogo, facta oblatione non communicaverit, aut causam dicat, ut si rationabilis fuerit veniam consequatur: aut si non dixerit, communione privetur tanquam qui populo causa læsionis extiterit, dans suspicionem de eo qui sacrificavit quod rectè non obtulerit.

Capitulum CVIII. *Can. 18. ex eadem vers.*

ITEM in eisdem: *Qui Clerici debeant conjugibus copulari.*

Innuptis autem qui ad Clerum provecti sunt, præcipimus, ut si voluerint uxores accipiant, sed Lectores Cantorésque tantummodò.

Capitulum CIX.
Conc. Carthag. III. cap. 17. ex. 1. edit.

IN Concilio Carthaginensi.

Vt cum omnibus omninò Clericis extraneæ fæminæ non cohabitent, sed solæ matres, aviæ, materteræ, amitæ, sorores & filiæ fratrum aut sororum, & quæcumque ex familia, necessitate domestica, etiam antequam ordinarentur, jam cum eis habitabant, vel si filij eorum jam ordinatis parentibus uxores acceperint, aut servis non habentibus in domo quas ducant, aliunde ducere necessitas fuerit.

Capitulum CX.
Ibid. cap. 25.

ITEM in eodem:

Vt Clerici vel continentes, ad viduas vel virgines, nisi ex jussu vel permissu Episcoporum aut Presbyterorum non accedant, & hoc non soli faciant, sed cum Clericis, aut cum his cum quibus Episcopus aut Presbyter jusserit. Nec ipsi Episcopi aut Presbyteri soli habeant accessum ad hujusmodi fæminas, sed aut ubi Clerici præsentes sunt, aut graves aliqui Christiani.

Capitulum CXI.
al **Ancyrani Can. 10. differt hæc versio à trib. edit.*
al. * quicunque
al. * venerint
al * maneant in ministerio, propterea quòd his Episcopus licentiam dederit.

IN Canone Anquirani * Concilij.

Diaconi quoque * cùm ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, dicentes velle se habere uxores, neque posse se continere. Hi postea, si ad nuptias convenerint *, maneant in Clero tantùm, & à ministerio abjiciantur *. Quicumque sanè tacuerunt, & susceperunt manus impositionem, professi continentiam, & postea ad nuptias convenerunt, à ministerio vel Clero cessare debebunt, laicam tantùm communionem recipientes.

Capitulum CXII.
Cap. 30. ex interp. Dionisij Exigui.

IN CONCILIO Laodicensi: *De viris cum mulieribus lavacra celebrantibus.*

Quòd non oporteat sacris officiis deditos, aut Clericos

aut continentes, vel omnem Laicum Christianum, lavacra cum mulieribus celebrare quia, hæc apud Gentiles reprehensio prima est.

Capitulum CXIII. *Cap.* 54.

In eodem, non licere Clericis ludicris spectaculis interesse:

Non oportet Ministros altaris vel quoslibet Clericos, spectaculis aliquibus, quæ aut in nuptiis aut in scenis exhibentur, interesse, sed antequam thymelici ingrediantur surgere eos & abire debere de convivio.

Capitulum CXIV. *Cap.* 1. *ex interpret Gerardi Mercat.*

In Synodo Neocæsariensi.

Presbyter qui * uxorem duxerit, ab ordine suo illum deponi debere. Quòd si fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit, extra Ecclesiam abjiciatur, & pœnitentiam inter Laïcos redactus agat.

al. * si.

Capitulum CXV. *Epist.* 2. *cap.* 9.

Item INNOCENTIUS Papa ad Victricium Episcopum Rotomagensem.

Prçterea quod dignum & pudicum & honestum est, tenere Ecclesia omnimodo debet ut Sacerdotes & Levitç cum uxoribus suis non coëant, quia ministerij quotídiani necessitatibus occupantur. Scriptum est enim; *Sancti estote, quoniam & ego sanctus sum, dicit Dominus Deus vester.* Nam priscis temporibus de templo Dei Sacerdotes anno vicis suæ non discedebant, sicut de Zacharia legimus, nec domum suam omninò tangebant. *&c. usque ad finem capitis.*

Levit. 11. 44. *&* 20.

Capitulum. CXVI. *Cap.* 10. *in fine.*

ITEM idem ad eundem.

Quæ forma servatur in Clericis, maximè cùm vetus regula hoc habeat ut quisque correctus * baptizatus Clericus esse voluisset, sponderet se uxorem omninò non ducere.

al. * corruptus

Capitulum CXVII.
Cap 24. ex interpret. Mercatoris.

IN CONCILIO Laodicensi, *Vt qui ministri altaris sunt tabernas non intrent*

Quoniam non oportet altari deservientes à Presbyteris usque ad Diaconos, & deinceps Ordinis Ecclesiastici homines * usque ad Ministros, aut Lectores, aut Psaltes, aut Exorcistas, aut Ostiarios, qui in proposito continentiæ sunt, tabernas intrare.

al. *. omnes

Capitulum CXVIII.
Carthag. Conc. II. cap. 2.

IN CONCILIO Carthaginensi, *De Continentia.*

Aurelius Episcopus dixit: Cùm præterito Concilio de continentiæ & castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres qui conscriptione quadam castitatis per consecrationes adnexi sunt. Episcopos, inquam, Presbyteros & Diaconos ita placuit, ut condecet sacros Antistites, ac Dei sacerdotes, nec non & Levitas, vel qui sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quò possint simpliciter quod à Deo postulant impetrare; Vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.

Capitulum CXIX,
Cap. 14. ex altera edit.

ITEM in eodem Concilio, *De diversis Ordinibus ab uxoribus abstinendis.*

Faustinus Episcopus Ecclesiæ Potentinæ, provinciæ Piceni, Legatus Romanæ Ecclesiæ dixit: Placet ut Episcopi, Presbyteri & Diaconi, vel qui sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, ab uxoribus se abstineant. Ab universis Episcopis dictum est. Placet ut in omnibus & ab omnibus pudicitia custodiatur, qui altari inserviunt.

Capitulum CXX.
Cap. 7. Et Carthag. Conc. V. cap. 3.

IN CONCILIO Africano; *Qui Clerici ab uxoribus debeant abstinere.*

Præterea, cùm de quorumdam Clericorum, quamvis erga

erga uxores proprias, in continentia referretur: Placuit Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos secundùm priora statuta, etiam ab uxoribus continere. Quòd nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio. Cæteros autem Clericos ad hoc non cogi, sed secundum uniuscujusque Ecclesiæ consuetudinem observari debere.

IN *Synodo cui præsedit Romæ Beatus* SILVESTER *Papa cum Episcopis ducentis octoginta quatuor, ubi damnati sunt Victorinus Episcopus, Calistus, Hippolitus Diaconus, astantibus Episcopis, & Presbyteris, & Clericis Græcorum, ita inter cætera legitur.* Capitulum CXXI *Conc. Rom. 2. cap. 19. differt. ab editis.*

Nemo Presbyter à die honoris presbyterij sumat conjugium. Quòd si quis hoc neglecto aliter egerit, duodecim annis eum dicimus privari honore. Quod si quis contra hoc chirographum præsens & publicè dictum egerit, condemnabitur in perpetuum.

AMBROSIUS in epistola ad Titum inter cætera sic ait. Capitulum CXXII. *In cap. 2.*

Iuniores similiter, *&c. usque ad verba*: probat factis.

ITEM in Epistola ad Timotheum. Capitulum CXXIII. *1. Tim. 3.*

Vnius uxoris virum. Quamvis secundam numero uxorem non sit haberi prohibitum; ut tamen quis dignus ad Episcopatum sit, etiam licitam debet spernere propter sublimitatem ipsius ordinis, quia cæteris melior debet esse, qui cupidus est sedis illius: *sobrium, pudicum, ornatum, hospitalem, docibilem, non obnoxium vino, non verberatorem, sed modestum, non ligitiosum, non asperum, domum suam bene regentem, filios habentem subditos cum omni caritate* *. Talem hominem qui hæc custodiat quæ enumerat bona, creari debere dicit Episcopum. Hæc enim signa sunt dignitatis Episcopalis. Si quis autē potio-

Ibid.

al. * castitate

ra ſectatus, & corpus & animam ſuam Deo dicaverit, ne ſe copulet matrimonio, tantò magis dignior fiet; ideò enim inferiorem poſuit, ut de potiore nemo dubitaret.

Capitulum CXXIV. *Ibidem.*

ITEM idem in eadem poſt pauca:

Diaconos pari modo pudicos, non bilingues, non vino multo deditos, non turpibus lucris vacantes, habentes myſterium fidei in conſcientia pura. Et hi autem probentur primùm, & ſic miniſtrent ſine crimine. Qui tantâ curâ Diaconos eligendos præcipit, quos conſtat Miniſtros eſſe Sacerdotum, quales vult eſſe Epiſcopos, niſi ſicut ipſe ait, *irreprehenſibiles?* Negotia tamen publica, turpia, vilia non habentes. Scit enim negotiari, ut accipiant lucra, nec aliud profitentur quàm gerunt. Turpia autem lucra hæc dicit eſſe, ſi ſub pia profeſſione quæſtibus ſtudeatur. Turpis enim deprehenditur cùm ſe purum oſtentat. Poſt Epiſcopum tamen Diaconatûs ordinationem ſubjicit: quare? niſi quia Epiſcopi & Presbyteri una ordinatio eſt, uterque enim Sacerdos eſt, ſed Epiſcopus primus eſt, ut omnis Epiſcopus Presbyter ſit, non tamen omnis Presbyter Epiſcopus; hic enim Epiſcopus eſt qui inter Presbyteros primus eſt. Denique Timotheum Presbyterum ordinatum ſignificat; ſed quia ante ſe alterũ non habebat, Epiſcopus erat. Vnde & quemadmodum Epiſcopum ordinet oſtendit; neque enim fas erat aut licebat, ut inferior ordinaret majorem: nemo enim tribuit quod non accepit.

Capitulum CXXV. *Ibidem.*

ITEM in eadem poſt pauca:

Diaconos ſint unius uxoris viri, *&c. uſque ad:* Actores Dei ſunt.

Capitulum CXXVI. *Hoc capitulum non occurrit in lib. 1. offic. S. Ambroſij.*

ITEM Ambroſius in libro primo de Officiis Miniſtrorum:

Viduarum ac Virginum domos, niſi viſitandi gratiâ

juniores adire non opus est: & hoc cum senioribus, hoc est vel cum Episcopo, vel si gravior est causa, cum Presbyteris. Quid necesse est ut demus sæcularibus obtrectandi locum? Quid opus est ut illæ quoque visitationes crebræ accipiant auctoritatem? Quid si aliqua illarum fortè labatur? Cur alieni lapsus subeamus invidiam, quam multos etiam fortes illecebra decepit? quanti non dederunt errori locum, & dederunt suspicioni? Cur non illa tempora, quibus ab Ecclesia vacas, lectioni impendas? Cur non Christum reuisas, Christum alloquaris, Christum audias? Illum alloquimur cùm oramus, illum audimus cùm divina legimus oracula. Quid nobis cum alienis domibus? Vna est domus quæ omnes capit; illi potiùs ad nos conveniant qui nos requirunt. Quid nobis cum fabulis? Ministerium altaribus Christi, non obsequium hominibus deferendum recepimus. Humiles decet esse, mites, mansuetos, graves, patientes, modum nos tenere in omnibus vel tacitus vultus, vel sermo adnuntiet.

ITEM idem in eodem libro. Capitulum CXXVII. *Cap. 50. sub. init.*

De castimonia autem quid loquar, quando una tantùm nec repetita permittitur copula, *&c. usque ad verba*: quod est temperantiæ.

HIERONYMUS in Epistola ad Titum, sic de pudicitia dicit inter cætera. Capitulum CXXVIII *Ad cap. 1. ante med.*

Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab his qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, & laqueum Diaboli. Quod autem ait, *unius uxoris vir*, sic intelligere debemus, ut non omnem monogamum digamo putemus esse meliorem, sed quo is possit ad monogamiam & continentiam subditos cohortari, qui sui exemplum præferat in docendo, *&c. usque ad* necessitati carnis indulgeat. *Timoth. 3.*

Capitulum CXXIX. *Sub med.*

ITEM idem in eadem post pauca:

Sit autem Episcopus & pudicus, quem Græci σώφρονα vocant, & latinus Interpres verbi ambiguitate deceptus, pro pudico prudentem transtulit. Si autem laïcis imperatur ut propter orationem abstineant se ab uxorum coïtu, quid de Episcopo sentiendum est, qui quotidie pro suis populíque peccatis, *&c. usque ad:* Sint regula veritatis.

Capitulum CXXX. *Ibid. cap. 2. paulò ante med.*

ITEM idem in eadem post pauca:

Te ipsum, inquit, *formam præbeas bonorum operum.* Nihil prodest aliquem exercitatum esse in dicendo, & ad loquendum trivisse linguam; nisi plus exemplo docuerit quàm verbo. Denique qui impudicus est, quamvis disertus sit, si ad castitatem audientes cohortetur sermo ejus, infirmus est, & auctoritatem non habet cohortandi. Et è contrario quamvis sit rusticanus & tardus ad loquendum, si castus fuerit, exemplo suo homines potest ad vitæ similitudinem compellere. *&c. usque ad:* in incorruptione, & in pudicitia.

Capitulum CXXXI. *Sive Epist. 50. ante med. tom. 2.*

HIERONYMUS *in Apologetico ad Pammachium, inter cætera ita de Pudicitia disputat.*

In fine quoque comparationem nuptiarum & virginum, disputationem nostram hoc sermone conclusimus: Vbi bonum & melius est, ibi boni & melioris non unum est præmium: Et, ubi non unum præmium, ibi utique dona diversa. Tantum est igitur inter nuptias & virginitatem, quantum inter non peccare & benefacere: immo ut levius dicam, quantum inter bonum & melius. *&c. usque ad:* Vnusquisque ferre non potest.



ITEM HIERONYMUS *in eodem Apologetico post pauca.* Capitulum CXXXII. *Ibidem.*

Nulli dubium est, Sacerdotes de Aaron & Eleazar, & Phinees stirpe generatos, qui cùm & ipsi uxores habuerint, rectè nobis opponerentur, si errore Encratitarum contenderemus matrimonia reprobanda, *&c. usque ad:* in gradu tertio poneremus.

ITEM idem in eodem post pauca: Capitulum CXXXIII. *Ibid. in med.*

Nunc verò cum interpres magis Apostoli fuerim quàm dogmatistes, & commentatoris sim usus officio, quicquid durum videtur, ei magis magísque imputetur quem exposuimus, quàm nobis qui exposuimus, *&c. usque ad:* potiùs quàm aliorum obscuram diligentiam.

DE VIRGINIBUS, *nuptis, viduis, monogamis, bigamis, trigamis, &c. in eodem post pauca.* Capitulum CXXXIV. *Ibidem.*

Tument* contra me mariti quare dixerim: Oro te, quale illud bonum est, quòd orare prohibet, quòd Corpus Christi accipere non permittit? Quando impleo mariti officium, non impleo continentis, *&c. usque ad:* nec sensum, nec verba mutavi. *al.* * Tumeant.

ITEM idem in fine ejus Apologetici. Capitulum CXXXV.

Igitur hoc extremâ voce protestor me nec damnasse nuptias nec damnare, respondisse adversario, non meorum insidias formidasse. Virginitatem autem in cælum fero, non quia habeo, sed quia magis miror quod non habeo. Ingenua & verecunda confessio est, qua ipse careas, id in aliis prædicare. *&c. usque ad finem Apologiæ.*



Capitulum CXXXVI. *Ante med.*

ITEM HIERONYMUS in libro I. contra Iovinianum, inter cætera sic dicit:

Vis scire quid velit Apostolus? Iunge quod sequitur.
1. Cor. 7. 7. *Volo autem omnes homines esse ut meipsum.* Beatus qui Pauli similis fuerit, felix qui audit Apostolum præcipientem,
1. Cor. 4. 16. non ignoscentem. *Hoc*, inquit, *volo*, *hoc desidero ut imitatores mei sitis, sicut & ego Christi.* Ille virgo de virgine, de incorrupta incorruptus, nos quia homines sumus, & nativitatem Salvatoris non possumus imitari, imitemur saltem conversationem. *&c. usque ad*: sed simplex per se bonum volo.

CXXXVII.

ITEM idem in eodem post pauca:

Quanta felicitas non uxoris esse servum, sed Christi;
1. Cor. 6. 17. non carni servire, sed spiritui. *Qui* enim *adhæret Domino, unus Spiritus est.* Ac ne forsitan in eo quod suprà dixerat:
1. Cor. 7. 21. *Servus vocatus es, non sit tibi curæ, sed etsi potes liber fieri magis utere:* suggillasse continentiam videretur, & in famulatum tradidisse nos conjugum, infert sententiam
Ibid. 23. quæ omnem cavillationem amputet: *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum. &c. usque ad*: instantem necessitatem.

Capitulum CXXXVIII.

ITEM idem in eodem post pauca:

Ideò plus amat virgines Christus, quia sponte tribuunt quod sibi non fuerat imperatum. Majorísque gratiæ est offerre quod non debeas, quàm reddere quod exigaris. Apostoli uxoris onere contemplato: *Si talis est*, inquiunt, *causa hominis cum uxore non expedit nubere.* Quorum Dominus sententiam probans: Rectè quidem, ait, sentitis, quòd non expediat homini ad cælorum regna tendenti accipere uxorem; sed difficilis res est, & non omnes capiunt verbum istud, verùm quibus datum est.

ITEM idem in eodem post pauca:

Capitulum CXXXIX. *Ibid. paulò ante med.* *Mat. 19, 12.*

Simúlque tractanda sententia est: *Qui se*, inquit, *castraverunt propter regnum cælorum.* Si castrati mercedem habent regna cælorum, ergo qui se non castraverunt, locum non possunt accipere castratorum. *Qui potest*, inquit, *capere capiat.* Grandis fidei est, grandísque virtutis, Deĩ templum esse purissimum, totum se holocaustum offerre Domino, & juxta eundem Apostolum esse sanctum & corpore & spiritu, *&c. usque ad*: liber ad extremum solutus.

ITEM idem in eodem post pauca:

Capitulum CXL. *1. Cor. 7. 29.*

Ad maritos veniam. *Tempus breve est.* Dominus prope. Etiamsi nongentis viveremus annis, ut antiqui homines, tamen breve putandum esset quod haberet aliquando finem, & esse cessaret. Nunc verò cùm brevis sit, non tam lætitia, quàm tribulatio nuptiarum: quid accipimus uxores quas citò cogimur amittere? *&c. usque ad*: sollicitudinum partes, miseriarúmque distractus.

ITEM idem in eodem post pauca:

Capitulum CXLI.

Primus Adam monogamus, secundus agamus, qui digamiam probant, exhibeant tertium Adam digamum: quem sequantur. Verùm fac ut concesserit Paulus secunda matrimonia. Et eadem lege & tertia concedit & quarta, & quotiescumque vir moritur. Multa compellitur Apostolus velle quæ non vult, *&c. usque ad*: juxta imaginem Creatoris sui.

ITEM idem in eodem post pauca:

Capitulum CXLII. *Ibid. in med.*

Non enim potest Domini servire militiæ servus uxoris. *&c. usque ad*: in terram repromissionis induxit.

Capitulum CXLIII.
Ibidem

ITEM idem in eodem poſt pauca:

Verùm jam tempus eſt ut caſtitatis Ieſu vexillum levemus. *&c. uſque ad:* Salvatoris auxilio coopertos.

Capitulum CXLIV.
Ibidem.

ITEM idem in eodem poſt pauca:

Cúmque in ſepulturam Ieſu liber qui ex nomine ejus appellatur expletus ſit, rurſum in Iudicum volumine quaſi vivens reſurgénſque deſcribitur, *&c. uſque ad*: poſt mortem incipit coronari.

Capitulum CXLV.

ITEM idem in eodem poſt pauca:

1. Cor. 9. *Nunquid non habemus poteſtatem manducandi & bibendi, aut ſorores mulieres circumducendi?* Vbi de comedendo ac bibendo ac de miniſtratione ſumptuum præmittitur, & de mulieribus ſororibus ſic infertur: Perſpicuum eſt non uxores intelligi debere, ſed eas ut diximus, quæ de ſua ſubſtantia miniſtrabant. *&c. uſque ad*: nihil tale Scriptura ſignificat.

Capitulum CXLVI.
Ibid.

ITEM idem in eodem poſt pauca:

Poſſumus autem de Petro dicere, quòd habuerit ſocrum eo tempore quo credidit, & uxorem jam non habuerit, *&c. uſque ad*: Mater virgo Virgini diſcipulo commendatur.

Capitulum CXLVII.

ITEM idem in eodem poſt pauca:

Prov. 25. *Sicut in ligno vermis, ita perdit virum ſuum uxor malefica.* Si autem aſſerueris hoc de malis dictum eſſe conjugibus, & ego tibi breviter reſpondebo. Quæ enim mihi incumbit neceſſitas venire in dubium, utrum mala ſit an bona futura, quam duxero? *&c. uſque ad:* de ædibus ſuis, id eſt, de Eccleſia.

ITEM

ITEM idem in eodem poſt pauca: Capitulum CXLVIII. *Ibid. poſt med.*

Aut permitte Sacerdotibus exercere opera nuptiarum, ut idem ſint virgines quòd mariti: aut ſi Sacerdotibus uxores non licet tangere, in eo ſancti ſunt, quia imitantur pudicitiam virginalem. Sed & hoc inferendum: Si laïcus & quicumque fidelis orare non poteſt, niſi careat officio conjugali; Sacerdoti, cui ſemper pro populo offerenda ſunt ſacrificia, ſemper orandum eſt. Si ſemper orandum, ergo ſemper carendum matrimonio: Nam & in veteri lege qui pro populo hoſtias offerebant, non ſolùm in domibus ſuis non erant, ſed purificabantur ad tempus ab uxoribus ſeparati, & vinum & ſiceram non bibebant, quæ ſolent libidinem provocare.

ITEM idem in eodem poſt pauca: Capitulum CXLIX. *Ibidem.*

Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ut nulli vitio mancipatus ſit. *Vnius uxoris virum*, qui unam uxorem habuerit, non qui habeat. *Sobrium*, ſive ut melius in græco dicitur, vigilantem, id eſt νηφάλιον. Pudicum, hoc enim ſignificat σώφρονα. *Ornatum* & caſtitate & moribus. *Hoſpitalem* ut imitetur Abraham & cum peregrinis, immo in peregrinis Chriſtum ſuſcipiat, *&c. uſque ad:* non qui nobilior, ſed qui fortior eſt. *1. Tim. 3.*

ITEM idem in eodem poſt pauca: Capitulum CLX. *Ibid. longè poſt med.*

Ergo fratres debitores ſumus non carni, ut ſecundùm carnem vivamus. Si enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini. &c. uſque ad: ſerviamus in Evangelio novo Adam. *Rom. 8 12.*



Capitulum CLXI.

ITEM idem in eodem post pauca:

Æstimo quòd qui uxorem habet, quamdiu revertitur ad id ipsum, ne tentet eum satanas, in carne seminet, & non in spiritu, *&c. usque ad:* his copulemur, hæc sequamur.

Capitulum CLXII. *Ibid. paulo post.*

ITEM idem in eodem post pauca:

Transeamus ad Iacobum qui frater Domini dicebatur, tantæ sanctitatis, tantæque justitiæ & perpetuæ virginitatis, ut Iosephus quoque historicus Iudæorum propter hujus necem subversam Hierosolymam referat. *&c. usque ad:* in se virgine dedicaverit.

Capitulum CLXIII.

ITEM idem in eodem post pauca:

1. Ioan. 3. *Carissimi nunc filii Dei sumus, & necdum apparuit quid futuri simus. Scimus autem quoniam si apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicut est.* Et omnis qui hanc habet spem, castificat semetipsum sicut & ille castus est. *&c. usque ad hæc verba:* ad comparationem, &c. esse pollutos.

Capitulum CLXIV.

ITEM idem in eodem post pauca:

Infinitum est de Evangelio virginum exponere sacramentum quinque stultarum & quinque sapientum. Hoc solùm nunc dico, quòd quomodò absque cæteris operibus virginitas sola non salvat, sic omnia opera absque virginitate, puritate, continentia, castitate imperfecta sunt. *&c. usque ad:* de divinis libris exempla præbuimus.



ITEM HIERONYMUS in libro ſecundo contra Iovinianum, ſic dicit.

Capitulum CLXV. *Ante med.*

Cheræmon Stoïcus, vir eloquentiſſimus, narrat de vita antiquorum Egypti Sacerdotum, quòd omnibus mundi negotiis curiſque poſtpoſitis ſemper in templo fuerint, & rerum naturas cauſáſque ac rationes ſiderum contemplati ſunt; numquam mulieribus ſe miſcuerint, nunquam cognatos & propinquos, nec liberos quidem viderint. Et ex eo tempore quo cœpiſſent divino cultui deſervire, carnibus & vino ſemper abſtinuerint, propter tenuitatem ſenſus & vertiginem capitis, quam ex parvo cibo patiebantur, & maximè propter appetitus libidinis, qui ex his cibis & ex hac potione naſcuntur. Pane raró veſcebantur ne onerarent ſtomachum, *&c. uſque ad:* proprium volumen edidit.

ITEM idem in eodem

Capitulum CLXVI. *Multò ante finem.*

Diximus de nuptis, viduis, virginibus: virginitatem viduitati, viduitatem prætulimus matrimonio. *&c. uſque ad:* ruina ſtantium metus ſit.

ORIGENES in libro tertio *Levitici, inter cætera ſic dicit.

Capitulum CLXVII. *Sive homil. 3. in cap. 5. multò poſt init.*

Anima quæcumque tetigerit omnem rem immundam, aut morticinum jumentorum immundorum, & latuerit eum, & inquinatus eſt; aut ſi tetigerit ab immunditia hominis ab omni immunditia ex qua inquinetur, &c. Hæc quidẽ apud Iudæos, indecenter ſatis & inutiliter obſervantur. Vt quid enim immundus habeatur qui contigerit, verbi cauſa, animal mortuum, aut corpus hominis defuncti? Quid ſi Prophetæ corpus ſit? Quid ſi Patriarchæ, vel etiam ipſius Abrahæ corpus? Quid ſi & oſſa contigerit Samuëlis immundus erit? Quid ſi Heliſei oſſa contingat quæ mortuum ſuſcitant? immundus erit ille qui contingit, & immundum faciunt oſſa Prophetæ etiam illum ipſum quem à mortuis ſuſcitant? Vide quàm 4. Reg. 13.

inconveniens sit Iudaïca intelligentia. Sed nos videamus primò quid sit tangere, & quid sit tactus qui faciat immundum, qui verò sit tactus qui facit mundum. Apostolus dicit: *Bonum est homini mulierem non tangere.* Hic tactus immundus est: Hoc enim est illud quod Dominus in Evangelio dixit: *Si quis viderit mulierem ad concupiscendum, jam mœchatus est eam in corde suo.* Tetigit enim cor ejus concupiscentiæ vitium, & immunda facta est anima ejus. Si quis ergo hoc modo tangit aliquam rem, id est, vel per mulieris concupiscentiam, vel per pecuniæ cupiditatem, vel alio quolibet peccati desiderio, immundum tetigit & inquinatus est. Oportet ergo te si quid tale tetigeris scire quomodò offeras sacrificium, secundùm ea quæ in superioribus memoravimus, ut mundus effici possis. Vis tibi ostendam quæ est anima quæ tetigit immundum, & immunda facta est, & rursum tetigit mundũ, & facta est munda: Illa quæ profluvium sanguinis passa, & erogavit omnem substantiam suam in medicos, nec aliquid proficere potuit, per immunditiam peccati in hoc devoluta est. Tetigerat enim peccatum, & idcirco flagellum carnis acceperat. Sed posteaquàm fide plena tetigit fimbriam IESU, stetit fluxus sanguinis ejus & repentè facta est munda, quæ ante per tantum tempus vixit immunda. Et quemadmodum cùm tetigisset Dominum & Salvatorem, dixit ipse: *Quis me tetigit? Ego enim sensi virtutem exisse de me.* Illam sine dubio virtutem, quæ mulierem sanaverat & fecerat eam mundam. Sic intelligendum est, quia si quis contigerit peccatum, exeat ex ipso peccato virtus quædam maligna, quæ eum qui se contigit faciat immundum. Et hoc est verè contigisse immundum. Simili ratione etiam de morticino hominis, vel de morticino pecoris mundi aut immundi dicendum est.

1. Cor. 7. — Matt. 7. — Matt. 9. — Ibid.

Capitulum CLXVIII. *Homil. 5. antè med.*

ITEM idem in libro quinto Levitici.

Consequens est, ut secundùm imaginem ejus qui Sacerdotium Ecclesiæ dedit, etiam Ministri * & Sacerdotes

* In edit. etiam Ministri ejus sint.

Ecclesiæ peccata populi accipiant, & ipsi imitantes Magistrum, remissionem populo peccatorum tribuant. Debent ergo & ipsi Ecclesiæ Sacerdotes ita perfecti esse, & in officiis sacerdotalibus eruditi, ut peccata populi in loco sancto, in atriis testimonij tabernaculi, ipsi non peccando consumant. Quid autem est in loco sancto manducare peccatum? Locus erat sanctus in quem pervenit Moyses, secundùm quod dictum est ad eum: *Locus enim in quo stas terra sancta est.* Similiter ergo in Ecclesia Dei locus sanctus est, fides perfecta, & caritas de corde puro, & conscientia bona. Qui in his stat in Ecclesia, in loco se sancto stare cognoscat. Neque enim in terra quærendus est locus sanctus, in quo semel data sententia est à Deo dicente: *Maledicta terra in operibus tuis.* Fides ergo integra, & sancta conversatio locus est sanctus. In hoc itaque loco positus Sacerdos Ecclesiæ, populi peccata consumat, ut hostiam jugulans verbi Dei, & doctrinæ sanæ victimas offerens, purget à peccatis conscientias auditorum.

Exod. 3. *Gen. 3.*

ITEM idem in eodem libro.

Capitulum CLXIX. *Ibid. paulò ante med.*

Discant Sacerdotes Domini qui Ecclesiis præsunt, quia pars eis data est cum his quorum delicta repropitiaverint. Quid autem est repropitiare delictum*? Si assumpseris peccatorem, & monendo, hortando, docendo, instruendo, adduxeris eum ad pœnitentiam, ab errore correxeris, à vitiis emendaveris, & effeceris eum talem, ut ei converso propitius fiat Deus, pro delicto repropitiasse diceris. Si ergo talis fueris Sacerdos, & talis fuerit doctrina tua & sermo tuus, pars tibi datur eorum quos correxeris; ut illorum meritum tua merces sit, & illorum salus tua gloria. Aut non & Apostolus hæc ostendit, ubi dicit: *Quia quod superædificaverit quis mercedem accipiet.* Intelligant igitur Sacerdotes Domini, ubi est eis data portio, & in hoc vacent, atque his operam dent: non se inanibus & superfluis actibus implicent, sed sciant se in nullo alio partem habituros apud Deum, nisi in eo quod offerunt* pro peccatis; id est, quod à via peccati

*al. * pro delicto.* *al. * offertur*

conveterint peccatores. Notandum etiam illud eſt, quòd quæ offeruntur in holocauſtum, interiora ſunt; quod verò exterius eſt, Domino non offertur. Pellis Domino non offertur, nec cedit in holocauſtomata.

Capitulum CLXX. *Homil. 6. ante med.*

ITEM idem in libro quinto Levitici.

Requiritur enim in ordinando Sacerdote & præſentia populi, ut ſciant omnes & certi ſint qui præſtantior eſt ex omni populo; qui doctior, qui ſanctior, qui omni virtute eminentior, ille delegitur ad ſacerdotium, & hoc adſtante populo, ne qua poſtmodum retractatio cuiquam, ne quis ſcrupulus reſideat. Hoc eſt autem quod & Apoſtolus præcipit in ordinatione Sacerdotis dicens: *Oportet autem eum & teſtimonium habere bonum ab his qui foris ſunt.* (1. Tim. 3.) Ego tamen & amplius aliquid video in eo quod dicit, quia convocavit Moſes omnem Synagogam, & puto quod convocare Synagogam, hoc ſit colligere omnes animi virtutes in unum, & congregare in unum virtutes, ut cùm ſermo de ſacerdotalibus ſacramentis habetur, vigilent omnes animi virtutes, & intentæ ſint, ut nihil in his ſapientiæ, nihil ſcientiæ, nihil deſit induſtriæ, ſed adſit omnis multitudo ſenſuum, adſit omnis congregatio ſanctarum cogitationum, ut quid ſit Pontifex, quid unctio, quid indumenta ejus conferens intra ſacrarium cordis ſui poſſit advertere.

Capitulum CLXXI. *Homil. 6. ſubj. item.*

ITEM idem in eodem libro:

Octava ſpecies ibi ponitur campeſtre, ſive ut alibi legimus, femoralia linea, de quo hîc inter cætera ſiluit indumenta. Quid ergo dicemus? Oblivionem dabimus in verbis Spiritus ſancti, ut cùm cætera omnia ſecundò enarraverit, una eum ſpecies ſuperiùs dicta latuerit? Non audeo hæc de ſacris ſentire ſermonibus, ſed videamus ne fortè quam in ſuperioribus diximus, hoc genus indumenti indiciũ caſtitatis videri, quo vel femora operiri vel conſtringi renes videntur ac lumbi, ne fortè, inquam, non ſemper in illis qui tunc erant Sacerdotes has partes dicat eſſe

constrictas. Aliquando enim & de posteritate generis & de successu sobolis indulgetur, sed ego in Sacerdotibus Ecclesiæ hujusmodi intelligentiam non introduxerim. Alio namque rem video currere Sacramento. Possunt enim & in Ecclesia Sacerdotes* filios generare, sicut & ille qui dicebat. *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Et iterum alibi dicit: *Tam etsi multa millia pedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo* IESU *per Evangelium ego vos genui.* Isti ergo Doctores Ecclesiæ in hujusmodi generationibus procreandis aliquando constrictis femoralibus utuntur, & abstinent à generando, cùm tales invenerint auditores in quibus sciant se fructum habere non posse. Denique & in Actibus Apostolorum refertur de quibusdam: *Quod non potuimus*, inquit, *in Asia verbum Dei loqui.* Hoc est imposita habuisse femoralia, & continuisse se ne filios generarent, quia scilicet tales erant auditores, in quibus & semen periret; & non posset haberi successio. Sic ergo Ecclesiæ Sacerdotes cùm incapaces aures viderint, aut cùm simulatos* inspexerint, & hypocritas auditores imponent campestre, utantur femoralibus, non pereat semen verbi Dei, quia & Dominus eadem mandat & dicit: *Nolite mittere sanctum canibus, neque margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus, & conversi rumpant* vos.*

*In edit. add. & Doctores

Act. 16.

al. *. simulatores

Matt. 7. 6.

al. * dirumpant

Capitulum CLXXII. Cap. 5. paulò ante med.

ISIDORUS Hispalensis Ecclesiæ Episcopus in libro Officiorum secundo sic dicit:

Quod verò unius virginalis matrimonij sint qui eligantur in ordinem Pontificatûs, & in veteri lege mandatum est, & plenius scribit Apostolus dicens: *Vnius uxoris virum.* Sacerdotem enim quærit Ecclesia aut de monogamia ordinatum, aut de virginitate sanctum. A digamo autem aufertur* agere Sacerdotium. Porro quòd Episcopus non ab uno sed à cunctis comprovincialibus Episcopis ordinatur, id propter hæreses agnoscitur institutum, ne aliquid contra fidem Ecclesiæ unius* tyrannica aucto-

Levit. 21. 1. Tit. 3.

al. * Digamus autem haud fertur

al. * unius ordinantis

ritas moliretur. Ideoque ab omnibus convenientibus instituitur, ut non minus* à tribus præsentibus, cæteris tamen consentientibus testimonio litterarum. Huic autem dum consecratur, datur baculus; ut ejus indicio subditam plebem vel regat vel corrigat, vel infirmitates infirmorum sustineat. Datur & annulus propter signum pontificalis honoris, vel signaculum secretorum.

al. ac non minus quam

Capitulum CLXXIII. *Ibid. sub med.*

ITEM idem in eodem libro:

Qui enim in erudiendis atque instituendis ad virtutem populis præerit, necesse est ut in omnibus sanctus sit, & in nullo reprehensibilis habeatur, *&c. usque ad:* distributione secreta.

Capitulum CLXXIV. *Ibid. cap. 17. ante finem.*

ITEM idem in eodem libro.

Pergant igitur Virgines viam sublimitatis, pede humilitatis sequantur Christum, tenendo perseveranter quod voverunt ardenter: ita ut professi hac servata integritate, cæteris etiam moribus congruant, sine quibus procul dubio otiosa & inanis manet virginitas, *&c. usque ad:* carnem vincere potuerunt.

Capitulum CLXXV. *Ibid. sub. init.*

ITEM idem in eodem libro.

Ante adventum quippe Christi conjugia placuere Deo, post adventum virginitas, *&c. usque ad:* cœlum ad impleatur.

Capitulum CLXXVI. *Extat apud Surium; qui stilum mutavit. Multo ante medium.*

In vita Beati BASILII, *Cæsariensis Archiepiscopi, quæ de græco in latinum à quodam Græco vocabulo Eueimio est veraciter de verbo ad verbum translata; inter cætera sic legitur.*


Convenientes ergo cœtus Episcoporum, sancti Spiritus cooperatione elegerunt Basilium ad Episcopatus sedem; & consecratus gubernabat Ecclesiam Dei providentiâ.

dentiâ. Poſt quoddam autem tempus poſtulavit Deum, ut daret illi gratiam atque intellectum, propriis ſermonibus offerre inſanguineum ſacrificium illi, & venire ſuper eum ſancti Spiritus adventum. Poſt dies verò ſex ſicut in extaſi factus, adventu ſancti Spiritus ſeptima die adprehendente, cœpit miniſtrare Deo per ſingulos dies. Et poſt aliquod tempus fide & oratione cœpit propria manu ſcribere miniſtrationis myſteria: atque in una nocte adveniens ei Dominus in viſione cum Apoſtolis, propoſitionem panis faciens in ſancto altari, excitavit Baſilium dicens ei: Secundùm tuam poſtulationem repleatur os tuum laude, ut per proprios ſermones offeras inſanguineum ſacrificium. Qui non ferens oculis viſionem, ſurrexit cum tremore, & accedens ad ſanctum altare cœpit dicere: ſcribens in carta ſic: Repleatur os meum laude, ut hymnum dicat gloriæ tuæ, Domine Deus, qui creaſti nos & adduxiſti in vitam hanc: & cæteras orationes ſancti miniſterij. Et poſt finem orationis, exaltavit panem, ſine intermiſſione orans & dicens: Reſpice Domine IESU-CHRISTE Deus noſter ex ſancto habitaculo tuo, & veni ad ſanctificandum nos, qui ſurſum Patri conſedes, & hîc nobis inviſibiliter coës. Dignare potenti manu tua tradere nobis, & per nos omni populo ſancta ſanctis. Populus reſpondit. Vnus ſanctus, unus Dominus IESUS-CHRISTUS cum ſancto Spiritu in gloria Dei Patris Amen. Et dividens panem in tres partes, unâ quidem communicavit cum timore multo: alteram autem reſervavit conſepeliri ſibi: tertiam verò imponens columbæ aureæ, pependit ſuper altare.

Et poſt pauca ita ſcribitur: Capitulum CLXXVII.

Sancta exaltante ſancto Baſilio, ſignum non fuit factum ſicut erat ſolitum, movere videlicet columbam, quæ cum ſacramento Dominico pendebat ſuper altare, ſemper ad exaltationem ſancti ſacrificij moveri ter ſolens. Et cogitante eo quid hoc eſſet, vidit unum ventilantium Diaconum innuentem mulieri inclinatæ deorſum; &

transponens eum de altari, infra Ecclesiam jussit custodiri: & ita videns sancti Spiritus adventum, hortatus est omnem populum septem diebus ibidem in oratione manere.



QVÆSTIO SIVE

OBIECTIO III.

Capitulum CLXXVIII. De Iejunio

A Græcis quare jejunium agatur in Sabbatis:* INNOCENTIUS *Papa hoc rationabiliter defendit in Decretalibus*, Capitulo IV. sic dicens.

* *Supple* Objicitur.

Epist. I. *Decent. Episc. Eugubino.*

SABBATO verò jejunandum esse ratio evidentissima demonstrat. Nam si diem Dominicum ob venerabilem Resurrectionem Domini nostri IESU-CHRISTI non solùm in Pascha celebramus, verùmetiam per singulos circulos hebdomadarum ipsius diei imaginem frequentamus, ac sexta feria propter Passionem Domini jejunamus, sabbatum prætermittere non debemus, qui inter tristitiam atque lætitiam temporis illius videtur inclusus. Nam utique constat Apostolos biduo isto & in mœrore fuisse, & propter metum Iudæorum se occuluisse. Quod utique non dubium est in tantum eos jejunasse biduo memorato, ut traditio Ecclesiæ habeat isto biduo Sacramenta penitus non celebrari. Quæ forma utique per singulas tenenda est hebdomadas, propter id quod commemoratio diei illius semper est celebranda. Quòd si putant semel atque uno sabbato jejunandum, ergo & Dominicum*, & sexta feria semel in Pascha erit utique celebrandum*. Si autem Dominici diei ac sextæ feriæ per singulas hebdomadas re-

al. * Dominica

al. * celebranda.

paranda imago eſt, dementis eſt bidui agere conſuetudinem ſabbato prætermiſſo, cùm non diſparem habeat cauſam; à ſexta videlicet feria, in qua Dominus paſſus eſt, quando & ad inferos fuit, ut tertia die reſurgens redderet lætitiam poſt biduanam triſtitiam præcedentem. Non ergo nos negamus ſextâ feriâ jejunandum, ſed dicimus & ſabbato hoc agendum, quia ambo dies triſtitiam Apoſtolis, vel his qui Chriſtum ſecuti ſunt, indixerunt. Qui die Dominico hilarati, non ſolùm ipſum feſtiviſſimum eſſe voluerunt, verumetiam per omnes hebdomadas frequentandum eſſe duxerunt.

DE HAC RE ſciſcitanti Livino * HIERONYMUS reſpondens inter cætera reſcripta Epiſtolæ ſic dicit. Capitulum CLXXIX. *al.* * Licinio. *Epiſt.* 28. *ante finem.*

De ſabbato quod quæris utrum jejunandum ſit, & de Euchariſtia an accipienda quotidie quod Romana Eccleſia & Hiſpania obſervare perhibentur. Scripſit quidem & Hippolytus vir diſſertiſſimus, & carptim diverſi auctores in variis auctoribus edidere: Sed ego illud breviter te admonendum puto, traditiones Eccleſiaſticas, præſertim quæ fidei non officiant, ita obſervandas, ut à majoribus traditæ ſunt, nec aliarum * conſuetudinem, aliarum * contrario more ſubverti. Atque utinam omni tempore jejunare poſſemus. Quod in actibus Apoſtolorum diebus Pentecoſtes, & die Dominico Apoſtolum Paulum, & cum eo credentes, feciſſe legimus; nec tamen Manichææ hæreſeos accuſandi ſunt, cùm carnalis cibus præferri non debuerit ſpiritali. Euchariſtiam quoque abſque condemnatione noſtri, & pungente conſcientia, ſemper accipere, & Pſalmiſtam audire dicentem: *Guſtate & videte quoniam ſuavis eſt Dominus.* Et cum eo canere: *Eructavit cor meum verbum bonum.* Nec hoc dico quòd feſtis diebus jejunandum putem, & contextas in quinquaginta diebus ferias auferam, ſed unaquæque provincia abundet in ſenſu ſuo, & præcepta majorum leges Apoſtolicas arbitretur.

al. * aliorum

al. * aliorum

Capitulum CLXXX. *Cap. 42. & 43.*

Item ISIDORUS *Hiſpalenſis Epiſcopus in primo libro Officiorum de diverſorum dierum ac temporum jejuniis, inter cætera ſic diſputat.*

Præter hæc autem legitima tempora jejuniorum omni ſexta feria propter Paſſionem Domini à quibuſdam jejunatur. Sed & ſabbati dies à pleriſque propter quod in eo Chriſtus jacuit in ſepulcro, jejunio conſecratus habetur, ſcilicet ne Iudæis exultando præſtetur quod Chriſtus ſuſtulit moriendo. *&c. uſque ad finem cap. 43.*

Capitulum CLXXXI. *Cap. 50. ex interpret. Dionyſij Exigui.*

IN CONCILIO Laodicenſi: *Non debere jejunium ſolvi in quinta feria majoris ſeptimanæ.*

Quòd non oporteat in Quadrageſima in ultimæ ſeptimanæ quinta feria jejunium ſolvere, totámque Quadrageſimam ſine veneratione tranſire; magíſque conveniat omnem Quadrageſimam diſtricto venerari jejunio.

Capitulum CLXXXII.

SI ERGO non oportet, ut hoc cenſetur Concilio, ſolvi jejunium in Cœna Domini, multò magis eſt indecens id agendum in quinta & ſeptima feria per reliquas Quadrageſimæ hebdomadas.

Capitulum CLXXXIII. An Quadrageſimale jejunium continuatè debeat obſervari.

QUOD etiam quæritur: Cur non ceſſamus octo hebdomadibus ante Paſcha à carnium eſu, & ſeptem à caſeo & ovis; ad hoc breviter reſpondendum, quia in Quadrageſimali jejunio nos perfectiùs Dominum imitamur, qui eoſdem dies continuatim ut ipſe Dei Filius jejunamus, non dirimentes, nec interrumpentes ſpatium abſtinentiæ & jejunij, ſicut in Evangelio legitur: *Et cùm jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit.* (*Matt. 4. 2.*) Non dixit Evangeliſta quòd in unaquaque hebdomada, quintâ & ſeptimâ feriâ jejunium ſolverit, aliis diebus abſtinens, ut Græci facere dicuntur, ſed ipſis quadraginta diebus ex aſſe & per ordinem jejunans, tum demum eſurierit. Dicendum etiam quia ſive per octo hebdomadas

jejunetur, ſolvendo jejunium in ſingulis quinta & ſeptima feria, & die Dominica, ſive ſex hebdomadibus continuatim abſtineatur, excepta Dominica, in utroque tempore triginta & ſex dies in abſtinentia inveniuntur. Vnde rationabiliùs agunt qui Dominum imitantes continuatim quadrageſimale jejunium exercent, quàm qui per aliquam dierum intercapedinem illud peragere videntur.

Nam Beatus Papa Gregorius quadrageſimale computans tempus, à capite ſex hebdomadarum illud dinumerare incipit dicens his verbis: A præſenti etenim die uſque ad Paſchalis ſolemnitatis gaudia ſex hebdomadæ veniunt: quarum videlicet dies quadraginta & duo fiunt: ex quibus dum ſex dies Dominici ab abſtinentia ſubſtrahuntur, non plus in abſtinentia quàm triginta & ſex remanent. Dum verò per trecentos & ſexaginta quinque dies annus ducitur, nos autem per triginta & ſex dies affligimur, quaſi anni noſtri decimas Deo damus: ut qui nobiſmetipſis per acceptum annum viximus, auctori noſtro nos in ejus decimis per abſtinentiam mortificemus. *Homil. 16. in Evang. ſub med.*

Capitulum CLXXXIV. Quare ab eſu caſei & ovorum ſex tantum hebdomadibus ante Paſcha abſtinent Latini. Variæ obſervationes.

DE HOC etiam quod quæritur: Quare ſeptem hebdomadibus ante Paſcha ab eſu caſei & ovorum non abſtinemus, ſed tantummodò ſex; dicendum breviter quia talis exactio ſuperflua ex ſanctis ſcripturis non habet auctoritatem; nam per diverſas regiones varius exercetur abſtinentiæ uſus. Ægyptus namque & omnis Palæſtina novem hebdomadibus ante Paſcha jejunant: inſuper & pars Italiæ, cui hoc ex animo complacet, tribus diebus in hebdomada per totam Quadrageſimam à cibis igne decoctis abſtinet, tantummodò diverſis fructibus arborum & generibus herbarum, quibus Italia opulenter abundat, in cibo utens abſtinentiæ perficit votum. Quibus ergo deeſt diverſitas ac multiplicitas fructuum, nequaquam negabitur cibus ab igne decoctus. Germania etiam à lactis & butiri ac caſei, & ovorum eſu per totam Quadrageſimam generaliter non abſtinet, excepto quem ſpontanea attrahit voluntas. Denique nonnulli rationabile judicantes ſolvere abſtinentiam in Cœna Domini & Pa-

rasceva, quæ dies pro dolore Apostolorum figuram habet tristitiæ, esui ovorum, casei, lactis & butiri indebitè & stolidè indulgentes. Itaque donec gloriæ Dominicæ Resurrectionis vespere sabbati, quæ elucescit in prima sabbati, solemniter appropinquet, & unda baptismatis filii lucis renascantur, & *Gloria in excelsis Deo* & *Alleluia* præconetur Resurrectionis Christi gloriosam victoriam, & mysticus cereus sancta luce spiritaliter resplendeat, indignum ducit uti hujuscemodi cibis mater Ecclesia, quæ à primo Pastore sumpsit magisterij disciplinam.

Cùm his & aliis modis per multa spatia orbis Quadragesimali tempore ordo abstinentiæ confundatur, potissimum & optimum delegit Romana sedes continuare & extendere ante Pascha jejunium in numero quadraginta dierum. Triginta autem & sex diebus in abstinentia computatis, adjunctis & quatuor, qui à capite jejunii incipiunt egregiè compaginamur, & absque ulla reprehensione unimur jejunio Salvatoris nostri, de quo Evangelista dicit: *Et cùm jejunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus postea esuriit.* *Matth. 4.2.*

Capitulum CLXXXV.

Sanctus FAUSTINUS* *Episcopus in Dominica ante Quadragesimam, homeliatico Sermone secundùm morem illius temporis, ita de jejunio variè exsequitur, dicens:*

*Sive Faustus (*qui & *Faustinus *appellatur*) *Rhegiensis Episcop. ut conjicio.*

Permotos esse vos credo, Fratres dilectissimi, cur à superiore Dominica Quadragesimam præcurrimus; & cùm hodie sit ejus exordium, cur festivitatem ejus ante unam hebdomadam celebrare cœperimus. Reprehendi non potest observatio ista præpropera: Devotionis enim indicium est, priùs legem exequi, quàm legis statuta cognoscas; & ante obedire præceptis, quàm obedientiæ præcepta compellant. Illud amoris est, hoc timoris; hoc imperativè exigitur, illud religiosè defertur. Ibi donum muneris exhibetur, hîc debitum solvitur. Vnde & nos

religioſum munus exhibuimus Deo dum ampliùs jejunavimus: reprehendi enim non poteſt feſtinata feſtivitas; ſemper enim in gaudiis ſolemnitatem vota præveniunt, & futuram lætitiam devotio dum exoptat anticipat. Non ſolùm igitur inreprehenſibiliter, ſed & cautè factum eſt. Semper enim in rebus ambiguis oportet addere aliquid ampliùs ad cautelam; quia quod eſt ampliùs, recidi poteſt, quod minus, non poteſt prolongari. Sicut in hac obſervatione factum eſt, ne quod propter Quadrageſimam plus jejunavimus, non minuimus Quadrageſimam; integra enim nobis manet. Quòd ſi minus jejunaſſemus à numero, redintegrare non poteramus ad numerum. Sed fortaſſe illud in cauſa eſt, cur jejunium quod jejunavimus, non proficiat nobis ad Quadrageſimam. Proficiet planè nobis, quia etſi non proficit ad Quadrageſimam, proficiet ad ſalutem: ſi* non proficit ad numerum, proficit ad meritum. Cui enim nunquam* profuit orare, legere, jejunare? Cui non profuit caſtitas, ſobrietas, manſuetudo? niſi quod illos magis reprehendendos puto, qui cùm parati fuerint jejunare, poſteaquàm audierint ſolemnitatis ambiguum, neglexerunt jejunare*. Demonſtrarunt* utique non ſe volentes religiosè vivere, ſed coactos. Veriti ſunt*, credo, ne quinque* jejuniis prolongatis, caro eos* corpúſque deficeret, & exiles ac tenues Quadrageſimæ abſtinentiam tolerare non poſſent. Audiant igitur refecti pariter ac robuſti, tenues atque pallentes, quia hodie eſt Quadrageſima. Audiant illi, inquam, ut jejunare incipiant, iſti ut abſtinere non deſinant, & communiter in arcam Chriſti intrare feſtinent, immo feſtinent ampliùs, quia tardiùs abſtinere cœperunt, ut caſtigatiores & puriores introeant, quia arca Domini in periculis jejunum ſuſtentare prævalet, temulentum ſuſtentare non novit.

al. * ſed

al. * Cui non aliquando

al. * audierint ſolemnitates, neglexerint jejunare

al. * Demonſtrabant

al. * verebantur

al. * quinque dierum

al. * eis



Capitulum CLXXXVI.

Serm. 69. de Temp.

ITEM AUGUSTINUS *in Homelia de Quadragesima inter cætera sic dicit:*

Sanctus igitur & salutaris Quadragesimæ cursus est, quo adducitur ad misericordiam peccator per pœnitentiam, justus ad requiem. His enim diebus solito ampliùs & divinitas miseretur, & delinquentia deprecatur, & justitia promeretur. Patent enim omnia, & cæli ad indulgentiam, & peccator ad confitendum, & lingua ad postulandum. Salutaris, inquam, & mysticus est quadragenarius numerus: nam primùm cùm mundi faciem iniquitas hominum possideret, tot dierum curriculo Deus effusis de cælo imbribus universam terram diluvio superfudit. Vides ergo jam illo tempore mysterium in figura dispositum. Nam sicut quadraginta diebus pluit ad purgandum mundum, ita & nunc quadraginta diebus miseretur ad hominem purificandum.



QVÆSTIO

QVÆSTIO,

SIVE

OBIECTIO IV.

QVARE Presbyteri inhibeantur frontes Baptizatorum chrismate linire, INNOCENTIUS Papa in Decretalibus ita dicit:

Capitulum CLXXX-VII. *Epist. 1. c. 3.* Cur chrismate liniantur Baptizati.

DE consignandis verò infantibus manifestum est, non ab alio quàm ab Episcopo fieri licere. Nam Presbyteri, licet sint secundi Sacerdotes, Pontificatûs tamen apicem non habent. Hæc autem Pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel paraclitum Spiritum tradant, non solùm consuetudo Ecclesiastica demonstrat, verùm illa lectio Actuum Apostolorum, quæ asserit Petrum & Iohannem esse directos, qui jam baptizatis tradant Spiritum sanctum Nam Presbyteris, seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo cùm baptizant, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit conservatum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis cùm tradunt Spiritum paraclitum. Verba verò dicere non possum, ne magis prodere videar, quàm ad consultationem respondere.

Act. 8.

Capitulum CLXXX-VIII.

Legitur etiam in gestis Romanorum Pontificum, quia Silvester Papa constituit ut à Presbytero neophytus ungeretur, scilicet in cerebro sive in vertice, sic etenim ibi scribitur: Hic constituit ut baptizatum liniat Presbyter chrismate levatum de aqua, propter occasionem transitus mortis. Quo enim tempore Silvester rexit Romanæ

In lib. Pontificali qui falso ascribitur Damaso Papa.

Sedis Ecclesiam manifestum est, id est, quando Nicænum Concilium celebratum est sub Pio Imperatore Constantino. Exin ut arbitrari potest sancti Patres instituerunt, ut ungerentur Neophyti à Presbyteris chrismate consecrato ab Episcopo. Quòd si id antea agebatur, superfluum videtur constitutum esse à sancto Silvestro quod jam à Catholicis implebatur, secundùm hanc Constitutionem suspicari quilibet valet, quòd priori tempore de unctione chrismatis compleretur, usque ad illud tempus non generaliter omnes baptizabantur, præsertim cùm Imperatores & Principes eorum paganismo detinerentur, ac ideò facilè Neophytis poterat occurrere Episcopus, vel ipsi ad Episcopum venire, quia adhuc christianitas angusta erat & clanculo agebatur.

Capitulum CLXXXIX. *Epist. 9. ante med.*


GELASIUS *Papa in Ecclesiasticis institutis ut Presbyteri modum debitum servent; non chrisma conficiant; non consignent; sic dicit:*

Nec minus etiam Presbyteros contra suum modum tendere prohibemus: nec Episcopali fastigio debita sibimet audacter assumere, non conficiendi chrismatis, non consignationis Pontificalis adhibendæ sibimet arripere facultatem.

Capitulum CXC. *Ibid. paucis interjectis.* *al.* *addubitent. *al.* * putaverint.

ITEM in eodem Capitulo.

Nec prorsus addubitet*, si quicquam ad Episcopale ministerium specialiter pertinens suo motu putaverit* exequendum, continuò se Presbyterii dignitate & sacra communione privari.



QUÆSTIO,

SIVE

OBIECTIO V.

PRÆTEREA opponitur cur Clerici Barbas radunt.

Capitulum CXCI. Quare Clerici barbas radunt & tondent capita.

HIERONYMUS in prima parte Ezechielis exponit: *Et tu fili hominis sume tibi gladium acutum quasi novaculam tonsorum (sive radentem pilos) & trahe per caput tuum & barbam tuam: & assumes tibi stateram ponderis & divides eos. Tertiam partem igni combures in medio civitatis juxta completionem dierum conclusionis: & tertiam partem concides gladio in circuitu ejus. Tertiam verò aliam disperges in ventum, & gladium nudabo post eos. Et sumes inde parvum numerum, & ligabis eos in summitate pallij. Et ex eis rursum tolles & projicies in medium ignis, & combures eos igni. Ex eo egredietur ignis in omnem domum Israël.* Lib. 2. cap. 5. init. Ezech. 5. 1.

Pro tribus partibus capillorum & pilorum, quarum una comburitur in medio civitatis, alia conciditur gladio in circuitu ejus. Tertia vento huc illúcque rapienda dispergitur; de qua parum assumitur & ligatur in ora pallij; & rursum modicum quid partis tertiæ mittitur in ignem, de quo egreditur flamma in omnem domum Israël: septuaginta quatuor partes interpretati sunt. Cúmque dixissent: *Quartam partem igni combures in medio civitatis, & quartam cædes gladio in medio ejus, & quartam disperges in ventum:* quia remanebat eis quarta pars alia: addiderunt de suo: *Et quartam partem assumes & combures eam in medio civitatis*: quasi non sit ipsa quæ prima, & aliud Ibidem.

quid in prima dixerit, aliud in iſta quæ addita eſt. Denique & in conſequentibus ænigma capillorum in tres partes diviſorum, ipſe Dominus ediſſerit per Prophetam dicens: *Tertia tui pars peſte morietur, & fame conſumetur in medio tui.* Famem & peſtilentiam ignem eſſe ſignificans. *Et tertia tui pars gladio cadet in circuitu tuo*, foris cędes ac bella deſcribens. *Tertiam verò*, inquit, *partem tuam in omnem ventum diſpergam*: eos eſſe demonſtrans qui ducendi ſunt in captivitatem. Poſt quos dicit ſe nudare vel effundere gladium ſuum, ut nec captivitas noviſſimum ſit malorum, ſumeréque de ipſis diſperſis atque captivis, & ligare in ſummitate pallii ſui eos qui de captivitate redituri ſunt in Ieruſalem, & ex ipſis quoque tollere aliquam partem, & igni flammáque conſumere; ſignificans Macedones, ſub quibus habitatores Iudęæ, & pręcipuè Ieruſalem, dura perpeſſi ſunt. Quod autem dicit ex eo, id eſt, populo; ſive juxta ſeptuaginta, ex ea, ut ſubaudiatur urbe Ieruſalem, egredietur ignis in omnem domũ Iſraël, Machabæorum narrat hiſtoria, quòd quędam pars Iudæorum ſe tradidit Antiocho Epiphani, & eum ad perſecutionem populi concitarit, & multa alia quę in eadem ſcribuntur hiſtoria, & in Ioſephi voluminibus, pręcipuéque diſſenſione Hyrcani & Alexandri, per quorum occaſionem Gnæus Pompeius cœpit Ieruſalem, & Romanę ditioni ſubdidit: poſteáque ſub Tito & Veſpaſiano urbs capta templúmque ſubverſum. Et poſt quinquaginta annos ſub Ælio Hadriano uſque ad ſolum incenſa civitas atque deleta eſt, ita ut priſtinum quoque nomen amiſerit. Quomodò autem in cæſarie & barba pulchritudinis ac virilitatis indicium eſt, quæ ſi radantur fœda nuditas apparęſcit*, & univerſi corporis pars extrema, atque, ut ita dicam, emortua, in capillis ac pilis eſt. Ita Ieruſalem & populus ejus emortuus, & à vivo Dei corpore ſeparatus fami ac peſtilentiæ, cædi & gladio, captivitati ac diſperſioni traditur. De qua diſperſione ſub figura capillorum aliqua pars ligatur in ſummitate pallii, ut modicum quid rurſum tradatur incendio, de quo infinita flamma ac pænè univerſa devaſtans egreditur in omnem domum Iſraël.

al. *apparet

GREGORIUS *Papa in libro primo Moralium Beati Iob, sic inter cætera dicit:* Capitulum CXCII. *Cap. 19à post init.*

Ieremias insinuat, quòd venerunt octoginta viri de Sichem & de Silo, & de Samaria rasi barba & scissis vestibus squalentes, munera & thus habebant in manu ut offerrent in domo Domini. Egressus autem Ismaël filius Nathaniæ in occursum eorum de Maspha, incedens & plorans ibat. Cúmque occurrisset ad eos, dixit ad eos: *Venite ad Godoliam filium Aichiam. Qui cùm venissent ad medium civitatis, interfecit eos.* *Ierem. 41. 6.* Barbam quippe radunt, qui sibi de propriis viribus fiduciam subtrahunt; vestes scindunt, qui sibimetipsis in exterioris decoris laceratione non parcunt. Oblaturi in domo Domini thus & munera veniunt, qui exhibere se in Dei sacrificio orationem cum operibus pollicentur. Sed tamen si se in ipsa sanctæ devotionis via cautè circumspicere nesciunt, Ismaël Nathaniæ filius in occursum venit: quia nimirum quilibet malignus spiritus, prioris sui, sathanæ videlicet exemplo, in superbiæ errore generatus, se ad laqueum deceptionis opponit.

ITEM idem in secundo libro Moralium. Capitulum CXCIII. *Cap. 10. & 11.*

Tunc surrexit Iob & scidit vestimenta sua: & tonso capite corruens in terram adoravit. Mos autem veterum fuit, ut quisquis speciem sui corporis capillos nutriendo servaret, eos tempore afflictionis abscinderet. *&c. usque ad:* quas perdidimus, non habuisse.

ISIDORUS *Hispalensis Episcopus in libro secundo Officiorum*, sic dicit: Capitulum CXCIV. *Cap. 4. init.*

Tonsuræ Ecclesiasticę usus à Nazaræis, nisi fallor, exortus est: qui priùs crine servato, denuò post vitæ magnę continentiam, devotione completa caput radebant, & capillos in igne sacrificii ponere jubebantur, scilicet ut perfectionem devotionis suę Domino consecrarent. Ho-

rum ergo exempli usus ab Apostolis introductus est, ut hi qui divinis cultibus mancipati Domino consecrantur, quasi Nazaræi, id est, Sancti Dei crine pretioso innoventur. Hoc quippe & Ezechieli Prophetæ jubetur, dicente Domino: *Tu Fili hominis, sume tibi gladium acutum, & duces per caput tuum & barbam.* Videlicet quia & ipse sacerdotali genere, Deo in ministerium sanctificationis deserviebat. Hoc & Nazaręos illos Priscillam & Aquilam in Actibus Apostolorum primos fecisse legimus: Paulum quoque Apostolum, & quosdam Discipulorum Christi, qui in hujusmodi cultu imitandi extiterunt. Est autem in Clericis tonsura signum quoddam quod in corpore figuratur, sed in animo agitur; scilicet ut hoc signo, in religione vitia resecentur, & criminibus carnis nostræ quasi crinibus exuamur, atque inde innovati sensibus, ut comis rudibus enitescamus, *Exspoliantes nos* juxta Apostolum *veterem hominem cum actibus suis; & induentes novum, qui renovatur in agnitionem Dei.* Quam renovationem in mente oportet fieri, sed in capite demonstrari, ubi ipsa mens noscitur habitare. Quòd verò detonso superiùs capite, inferiùs circuli corona relinquitur, sacerdotium regnúmque Ecclesiæ in eis existimo figurari. Tiara enim apud veteres constituebatur in capite Sacerdotum, hæc ex bysso cōfecta rotunda erat, quasi sphæra media; & hoc significatur in parte capitis tonsi. Corona autem latitudo aurei est circuli, quæ Regum capita cingit. Vtrumque itaque signum exprimitur in capite Clericorum, ut impleatur etiam corporis quadam similitudine quod scriptum est, Petro Apostolo perdocente: *Vos estis genus electum, regale sacerdotium.* Quæritur autem cur sicut apud antiquos Nazaræos non antè coma nutritur, & sic tondetur. Sed qui hæc exquirunt, advertant quid sit inter illud propheticum velamentum, & hanc Evangelii revelationem, de qua dicit Apostolus: *Cùm transieris ad Christum, auferetur velamen.* Quod autem significabat velamen interpositum inter faciem Moysi & aspectum populi Israël, hoc significabat illis temporibus etiam coma Sanctorum. Nam & Apostolus comam pro velamento esse dicit. Pro-

Ezech. 15.
Act. 18.
Ephes. 4. Coloss. 3.
1. Pet. 2.
1. Cor. 3.

inde jam non oportet ut velentur crinibus capita eorum, qui non consecrantur, sed tantùm ut revelentur; quia quod erat occultum sacramento prophetiæ, jam in Evangelio declaratum est.

Cùm ergo Græci Latinos & Romanos redarguant cur barbas radant, qui ob munditiam utique hoc agunt, quam expressiùs Ecclesiasticum expetit & deposcit ministerium; quippe cùm diversæ nationes suam observent consuetudinem in cultu corporis & vestimentorum indumentis, & hoc sine crimine, ita dumtaxat ut non discrepet à Catholica fide, convenienter & Latini vicem quæstioni rependunt, quare Græcorum Laïci* more feminarum contra interdictum tonantis Pauli comas nutriant, qui ita Corinthiis Apostolicâ auctoritate interminat dicens: *Nec ipsa natura docet vos, quòd vir quidem si comam nutriat ignominia est illi: Mulier verò si comam nutriat gloria est illi; quoniam capilli pro velamine ei dati sunt.* Denique cùm Latini comas nutrire indignum ducant, ut non muliebri cultui assentiant, inquirendum quid Græci sanctiùs sentiant, qui quasi unitum caput cum mulieribus crinium velamine gestant. Corinthus siquidem est in Achaïa, quæ una est civitatum Græcarum in Asia* consistentium, cujus viros noluit nutrire comas Apostolus, non quilibet alius, sed ille *qui non ab hominibus, neque per hominem, sed per* IESUM-CHRISTUM, *& Deum Patrem qui suscitavit eum à mortuis*, est constitutus Apostolus. Dixit itaque quidam sanctitate & Oratorum eloquio pollens; si aliqua sanctitas subintelligeretur in corporalibus barbis, fortè aliquem posset habere locum in grandioribus hircis. Si ergo prudentia Achivorum contemnit Apostolum in nutriendis comis, nullatenus proinde inferior judicabitur munditia Ministrorum Christi pro radendis barbis, quæ inlicita resecando debet præstantiùs splendescere in operibus bonis, & omnimodis carere sordibus mentis simul & corporis.

Capitulum CXCV.

* f. Clerici.

1. Cor. 11. 14.

* Falsò, in Peloponneso.

Galat. 1. 1.



****

QVÆSTIO,

SIVE

OBIECTIO VI.

Capitulum CXCVI. De Primatu Romani Pontificis. *In antiqua editione.*

QVOD Romanæ Sedis Pontifex primus omnium habeatur, Beatus SILVESTER *Papa perdocuit in Præfatione Nicæni Concilii, ubi ista leguntur.*

BEATISSIMO Silvestro in urbe Roma Apostolicę Sedis Antistite, Constantino Augusto, & Licinio Consulibus, Paulino & Iuliano Viris Clariss. Anno ab Alexandro millesimo tricesimo quarto, mense Iunio, decimo tertio Calendas Iulias, propter insurgentes hæreses fides Catholica exposita est apud Nicæam Bithyniæ, quam sancta & reverentissima Romana complectitur & veneratur Ecclesia, quippe quam trecenti decem & octo Patres, mediantibus Victore atque Vincentio Religiosissimis Romanę Sedis Presbyteris, inspirante Deo, propter destruenda Arii venena protulerunt. Nam & nonnullæ regulæ subnexę sunt, quas memorata suscipiens confirmavit Ecclesia. Sciendum est sanè ab omnibus Catholicis, quoniam Sancta Ecclesia Romana nullis synodicis decretis prælata est, sed evangelica voce Domini & Salvatoris nostri primatum obtinuit, ubi dixit beato Apostolo Petro: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ Inferi non prævalebunt adversus eam: & tibi dabo claves regni cælorum. Et quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in cælo. Et quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in cælo.*

Ex Decreto Gelasii Papæ in Concilio Romano an. 494.

Matth. 16. 18.

Adhibita

Adhibita est etiam societas in eadem Romana urbe beatissimi Apostoli Pauli vasis electionis, qui uno die, unóque tempore gloriosa morte cum Petro sub Principe Nerone agonizans coronatus est; & ambo pariter sanctam Ecclesiam Romanam Christo Domino consecrarunt; aliisque omnibus urbibus in universo mundo suâ præsentiâ, atque venerando triumpho prætulerunt. Et licet pro omnibus assidua apud Deum omnium Sanctorum fundatur oratio, his tamen verbis Paulus Beatissimus Apostolus Romanis proprio chirographo pollicetur dicens: *Testis enim mihi est Deus cui servio in Spiritu meo in Evangelio Filii ejus, quòd sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis.* Prima ergo Sedes est cælesti beneficio Romanæ Ecclesiæ, quam Beatissimi Apostoli Petrus atque Paulus suo martyrio dedicarunt. Secunda autem Sedes apud Alexandriam Beati Petri nomine à Marco ejus discipulo atque Evangelista consecrata; quia ipse & in Ægypto primum verbum veritatis directus à Petro prædicavit, & gloriosum suscepit martyrium; cui venerabilis successit Abilius. Tertia verò sedes apud Antiochiam item* Beati Petri Apostoli habetur honorabilis, quia illic priusquam Romam veniret habitavit, & Ignatium Episcopum constituit, & illic primum nomen Christianorum novellæ gentis exortum est. Nam & Hierosolymitanus Episcopus pro tanti loci reverentia ab omnibus habetur honorabilis; maximè quoniam illic primus Beatissimus Iacobus, qui dicebatur Iustus, qui etiam secundùm carnem frater Domini nuncupatus est, à Petro, Iacobo & Iohanne Apostolis est Episcopus ordinatus. Itaque secundùm antiquorum Patrum definitionem sedes prima in Hierosolymis minimè dicitur, ne fortè ab infidelibus aut idiotis Sedes Domini nostri IESU-CHRISTI, quæ in cælo est, in terra esse putaretur. Est enim sedes ejus cęlum, terra autem scabellum pedum ejus est, quoniam ipse est, per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil, quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum. Apud Ephesum verò Beatissimus Iohannes Apostolus

Rom. 1. 9.

al. * ejusdem

lus & Evangeliſta multo tempore poſt Reſurrectionem & Aſcenſionem in cęlos Domini noſtri IESU-CHRISTI commoratus eſt, ibíque etiam Evangelium, quod ſecundùm Iohannem dicitur, divina inſpiratione conſcripſit, atque requievit. Et ob hoc Epiſcopus Epheſius pro tanti Apoſtoli & Evangeliſtæ memoria, ceteris Epiſcopis Metropolitanis in Synodis honorabiliorem obtinet Sedem.

Capitulum CXCVII. In Canonibus Silvestri c.10.

ITEM beatus SILVESTER in fine allocutionis quam fecit in Synodo acta in Trajanis tertio Calendas Iunias.

Nemo judicabit primam ſedem juſtitiam deſiderantem temperari, neque ab Auguſto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à populo judex judicabitur.

Capitulum CXCVIII. *Can. 35. ex interpret. Dionisii Exigui*

IN Canonibus Apoſtolorum: *De primatu Epiſcoporum.*

Epiſcopos gentium ſingularum ſcire convenit, quis inter eos primus habeatur, quem velut caput exiſtiment, & nihil ampliùs præter ejus conſcientiam gerant quàm illa ſola ſinguli, quæ parochię propriæ & villis, quę ſub ea ſunt, competunt. Sed nec ille pręter omnium conſcientiam faciat aliquid: ſic enim unanimitas erit, & glorificabitur Deus per Chriſtum in Spiritu ſancto.

Capitulum CXCIX. *Can. 6. ex 1. edit.*

IN Nicæno Concilio de privilegiis quæ quibuſdam Civitatibus competunt.


Antiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Libyam & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quia & urbis Romę Epiſcopo parilis mos eſt. Similiter autem & apud Antiochiam ceteráſque provincias ſuis privilegia ſerventur Eccleſiis.

ITEM in eodem Concilio : *De Episcopo Æliæ, id est Hierosolymorum.* Capitulum CC.

Quia consuetudo obtinuit & antiqua traditio, ut Æliæ Episcopus honoretur, habeat honoris consequentiam, salva Metropolis propria dignitate.

IN Concilio Constantinopolitano: *De ordine singularum Diœcesium, & de privilegiis quæ Ægyptiis, Antiochenis, Constantinopolitanisque debentur.* Capitulum CCI. *Can. 2. Discrepat hac versio ab edit.*

Qui sunt super Diœcesim Episcopi, nequaquam ad Ecclesias quæ sunt extra præfixos sibi terminos accedant, nec eas hac præsumptione confundant; sed juxta Canones Alexandrinus Antistes quæ sunt in Ægypto regat solummodò. Et Orientis Episcopi Orientem tantùm gubernent, servatis privilegiis quę Nicænis Canonibus Ecclesiæ Antiochenæ tributa sunt. Asianæ quoque Diœceseos Episcopi ea solùm quæ sunt in Asiana Diœcesi dispensent: nec non & Ponti Episcopi ea tantùm quæ sunt in Ponto; & Thraciarum quæ in Thraciis sunt gubernent. Non vocati autem Episcopi ultra suam Diœcesim non accedant propter ordinationes faciendas, vel propter alias dispensationes Ecclesiasticas. Servatâ verò quę scripta est de gubernationibus regulâ, manifestum est quòd illa quę sunt per unamquamque provinciam ipsius provinciæ Synodus dispenset, sicut Nicæno constat decretum esse Concilio. Ecclesias autem Dei in Barbaricis Gentibus constitutas gubernari convenit juxta consuetudinem, quæ est à Patribus observata. Verumtamen Constantinopolitanus Episcopus habet honoris primatum post Romanum Episcopum, propterea quòd vrbs ipsa sit junior Roma.



Capitulum CCII.
Can. 3. ex interpret. Dion. Exigui.

IN Concilio Sardicensi : *Quòd si damnatus appellaverit Romanum Pontificem, sicut nuper fecit Ignatius Constantinopolitanus Episcopus injustè, ut dicitur, depositus, id observandum quod ipse censuerit.*

Osius Episcopus dixit : Illud quoque necessariò adjiciendum, ut Episcopi de sua provincia ad aliam provinciam, in qua non sunt Episcopi, non transeant; nisi fortè à fratribus suis invitati, ne videantur januam claudere caritatis. Quòd si in aliqua provincia aliquis Episcopus contra fratrem suum Episcopum litem habuerit, neuter è duobus ex alia provincia advocet Episcopos ad judicium cognitores*. Quod si aliquis Episcopus judicatus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere, ut iterum ad judicium Concilium renovetur*; si vobis placet sancti Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur vel ab his qui causam examinarunt, vel etiam ab his Episcopis qui in propria Provincia morantur, Iulio Romano Episcopo: & si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur, & det judices. Si autem probaverit talem causam esse, ut non refricentur ea quæ acta sunt, quæ decreverit confirmata erunt. Si hoc omnibus placet? Statuatur. Synodus respondit : Placet.

al. * ne unus è duobus ex alia provincia advocet Episcopum cognitorem.
al. * ut iterum Concilum renovetur.

Capitulum CCIII.
Ibid. Can. 4.

ITEM in eodem Concilio: *Vt nullus accusati sedem usurpet Episcopi, sicut nuper fecit Photius sedem Ignatij, Neophytus & invasor Constantinopolitanæ sedis.*

Gaudentius Episcopus dixit : Addendum, si placet, huic sententiæ, quam plenam sanctitate protulistis; ut cùm aliquis Episcopus depositus fuerit eorum Episcoporum judicio qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma : alter Episcopus in ejus cathedra post appellationem ejus qui

videtur esse depositus omninò non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata.

ITEM beatus Papa SILVESTER *in allocutione Niceni Concilij fecit gradus in gremio Synodi.* Capitulum CCIV. *In Canonibus Silvestri, cap. 3.*

Vt non Presbyter adversus Episcopum, non Diaconus adversus Presbyterum, non subdiaconus adversus Diaconum, non Acolythus adversus Subdiaconum, non Exorcista adversus Acolythum, non Lector adversus Exorcistã, non Ostiarius adversus Lectorem det accusationem aliquam: & non damnabitur Episcopus Præsul, nisi in septuaginta duo testimonia; neque Præsul summus à quoquam judicabitur, quoniam scriptum est: *Non est discipulus super Magistrum.* *Matt. 10. 24.* Presbyter autem non damnabitur nisi in quadraginta quatuor testimonia. Diaconus autem Cardinalis constitutus urbis Romæ, nisi in triginta sex testimonia non condemnabitur. Subdiaconus, Acolythus, Exorcista, Lector nisi sicut scriptum est, in septem testimonia, filios & uxores habentes, & omnino Christum prædicantes, sic datur mystica veritas.

Sanctus GELASIUS Papa Acacium Constantinopolitanæ sedis Episcopum auctoritate damnavit Apostolica, Capitulum. CCV. ob maximam videlicet præsumptionem, quia Iohannem qualemlibet hominem, Catholicum tamen, à Catholicis ordinatum, de Alexandrina civitate quæ post Romanam secunda habetur sedes excluserat, Petrúmque in hęresi jam detectum atque damnatum absque sedis Apostolicæ consultatione receperat, & quia absque aliqua Synodo habita hoc audacter arripuerat, ut Calendionem Antiochenæ sedis Episcopum contra rationem deponeret, & hæreticum Petrum quem ipse dudum damnaverat, absque notitia sedis Apostolicæ rursus admiserat, Basilisco Imperatore hæretico in hac facinorosa præsumptione consentiente. Pro qua præsumptiva potestate idem Papa Gelasius ad Athanasium * Imperatorem mirabilem direxit epistolam, ut indignè usurpata potestas *Anastasium

reprimeretur, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ singulare privilegium totius Principatus inlibatè conservaretur.

Hæc autem Epistola ita incipit:

Ad Anastas. Imp. Epist. 8. init.

Famuli vestræ pietatis, filij mei, Faustus Magister & & Irenæus, atque eorum comites publica legatione fungentes, ad urbem reversi, clementiam vestram quæsisse dixerunt; cur ad vos meæ salutationis scripta non miserim. * *Et cætera usque ad finem.*

* Ita Auctor

Capitulum CCVI. *Ejusdem Epist. 13. ad Episcopos Dardaniæ.*

Item Gelasius reddidit rationes egregiè descriptas, Acacium à sede Apostolica competenter fuisse damnatum, quæ rationes tale habent exordium:

Valde mirati sumus, quòd vestra dilectio quasi novam & veluti difficilem quæstionem, & adhuc tanquam inauditum quippiam nosse desiderans*. *Et reliqua usque ad finem**. Rursus Papa Gelasius de eadem re reddidit rationem ad Episcopos Orientis, eósque admodum reprehendit, quare talibus præsumptionibus non repugnaverint. Hujus itaque rationis initium tale est:

al. * desiderat
* *Ita Æneas*

Non occurrit hæc Epistola inter edit.

Quid ergo isti prudentes viri & argutis mentibus totius Religionis interna rimantes in Orientis partibus cōstituti: *&c. usque ad finem sermonis.* Igitur quicumque hæc omnia per ordinem relegerit, Apostolica sedes quinta dignitate cunctis per orbem Ecclesiis præpolleat, & potestate sit eminentior, perspicuè ad plenum cognoscere poterit.

Capitulum CCVII. *Epistola 4.*

Item *Commonitorium Sancti* Gelasii *per Faustum Magistrum legationis officio fungentem Constantinopoli directum: quod sic incipit.*

Ego quoque mente percepi Græcos in sua obstinatione mansuros, nec cui velut inspiratum* videri potest, quod est in antè præcognitum. *&c. usque ad finem.*

al. * Insperatum.

IN HOC commonitorio inter cetera ſic dicit:

Quòd ſi dico ut Imperator hoc fecit*, hoc ipſum quibus Canonibus, quibus regulis eſt præceptum? Cur huic tam pravo facto cõſenſit Acacius, cùm auctoritas divina dicat: *Non ſolùm qui faciunt prava reos eſſe, ſed & qui conſentiunt facientibus?* Quibus Canonibus, quibus regulis Calendion excluſus eſt, vel primi urbium diverſarum Catholici Sacerdotes? Qua traditione majorum Apoſtolicam ſedem in judicium vocant? An ſecundæ ſedis Antiſtites & tertiæ, cæteríque bene ſibi conſcij Sacerdotes depelli debuerunt, & qui extitit religionis inimicus depelli non debuit? Veniant* ergo ſi alios habent Canones quibus ſuas ineptias exſequantur. Ceterùm iſti qui ſacri, qui Eccleſiaſtici, qui legitimi celebrantur, non ſolùm ſedem Apoſtolicam ad judicium vocare non poſſunt: & Conſtantinopolitanæ Epiſcopus civitatis, quæ utique per Canones inter ſedes nullum nomen accepit, in communionem recidens perfidorum, non debuit ſubmoveri? An qui homini mentitus dicitur Imperatori, & qui Imperatorem læſiſſe perhibentur, depelli debuerunt, & in Deum qui ſummus & verus eſt Imperator, Acacium delinquentem, ſincerámque communionem divini Sacramenti ſtudentem miſcere cum perfidis, ſecundùm Synodum quâ hæc eſt damnata perfidia non oportebat excludi? Sed velint nolint, ipſius judicio antiqua Canonum conſtituta firmantur*: ſed religioſi viri atque perfecti ſecundùm Canones conceſſam ſedi Apoſtolicæ poteſtatem nimirum conantur eripere, & ſibimet eam contra canones uſurpare contendunt.

al. * Quòd ſi dicunt: Imperator hoc fecit.

Rom. 1.

al. *viderint

al. * antiquæ Canonum Conſtitutione firmabuntur

Capitulum CCVIII.
Epiſt. 8. *ſub med.*

ITEM in Epiſtola ad Anaſtaſium Imperatorem, inter cætera ſic dicit:

Apoſtolicæ verò ſedis auctoritas, quod cunctis ſæculis Chriſtianis Eccleſiæ prælata ſit univerſæ, & Canonum ſerie paternorum, & multiplici traditione firmatur, *&c. uſque ad:* putas intereſſe.

Capitulum CCIX. *Epist. 13. ad Dardanos, ante med.*

ITEM in redditis rationibus inter cetera sic dicit:

al. * Non reticemus autem, quod &c.
al. * ligata Pontificum
al. * appellari voluerint.
al. * Nullum habuisse pontificium, sententiâ Sedis Apostolicæ damnatum
al. * Dicant certè qua Synodo, &c.
* *Variant hic editiones*

* Nec planè tacemus quod cuncta per mundum novit Ecclesia; quoniam quorumlibet sententiis ligatum Pontificem*, sedes beati Petri Apostoli jus habeat resolvi, utpote quæ de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio: Siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellare voluerunt*, ab illa autem nemo sit appellare permissus. Quapropter satis constat Acacium nullam habuisse Pontificum sententiam sedis Apostolicæ, sine ulla ejus notione solvendi*: qua certè Synodo* hoc ille præsumpsit, quod nec sic absque Apostolica sede fas quidem haberet efficere? Cujus sedis Episcopus? Cujus est Metropolitanæ civitatis Antistes? nonne parochiæ Heracliensis Ecclesię? Si illi certè licuit sine Synodo sententiam Apostolicæ sedis abrumpere, nulla ejus consultatione quæsita, itane verò non licuit primæ sedi Calcedonensis synodi constituta, sicut decuit exsequenti hujusmodi prævaricatorem sua auctoritate detrudere? Sed nec illa præterimus, quòd Apostolica sedes frequenter, ut dictum est, more majorum, etiam sine ulla Synodo præcedente*, jus habuit exsolvendi quod Synodus iniqua damnaverat, & damnādi nulla exsistente Synodo quos oportuit habuerit facultatem. Sanctæ memoriæ quippe Athanasium Synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum sedes Apostolica, quia damnationi Græcorum non consensit, absolvit. Sanctę memoriæ nihilominus Iohannem Constantinopolitanum Synodus etiam Catholicorum Præsulum certè damnaverat, quem simili modo sedes Apostolica etiam sola, quia non consensit, absolvit. Itemque sanctum Flavianum Pontificum Græcorum congregatione damnatum, pari tenore, quoniam sola sedes Apostolica non consensit, absolvit, potiúsque qui illic receptus fuerat Dioscorum secundæ sedis Præsulem sua auctoritate damnavit, & impiæ Synodo non consentiendo sola sum-

la summovit, & ut Synodus* Calcedonensis fieret sola decrevit: (in qua sicut sola jus habuit absolvendi eos quos Synodica decreta perculerant, sic etiam sine Synodo in hac eadem causa plurimos etiam Metrapolitanos damnasse cognoscitur.)* Quod si quis hæc ab Apostolica sede, vel secundum Synodum acta reprehendit, præter quod prisca rerum probatione convincitur, interim multo magis Acacio non licuisse fatebitur.

al. * & impiā Synodum non consentiendo submovit, ac pro veritate, ut Synodus &c. *Quæ parenthesi clauduntur in edit. non extant* * *Ista multis interjectis leguntur, sed variè.*

ITEM idem GELASIUS in eisdem post pauca.

Capitulum CCX. *Ibid paulò post med.*

Risimus autem quòd prærogativam volunt Acacio comparari, quia Episcopus fuerit regiæ civitatis: Nunquid apud Mediolanum, apud Ravennam, apud Sirmium, apud Triberos*, multis temporibus non constitit Imperator? nunquid nam harum urbium Sacerdotes ultra mensuram sibimet antiquitus deputatam, quippiam suis dignitatibus usurparunt?

al.* Treviros

ITEM idem post pauca:

Ibidem

Si certè de dignitate agitur civitatum, secundæ sedis & tertiæ major est dignitas Sacerdotum, quàm ejus civitatis, quæ non solũ inter sedes minimè numeratur, sed nec inter Metropolitanorum jura censetur. Nam quod dicitis regiæ civitatis, alia potestas est regni sæcularis, alia Ecclesiasticarum distributio dignitatum. Sicut enim quamvis parva civitas prærogativam præsentis regni non minuit, sic imperialis præsentia mensuram dispensationis religiosæ non mutat, sit clara urbs illa potestate præsentis Imperij, & religio sub eodem tunc firma, tunc libera, tunc provecta consistit; si potiùs hoc præsente propriam teneat sine ulla perturbatione mensuram.

ITEM idem in fine rationum:

Capitulum CCXI. *Ibid. paulò ante finem.*

Sicut per unum scribentem eorum omnium vulgata transgressio, qui in eadem perfidiæ reciderant actione:

ſic in uno eodémque qui pro omnibus ſcripſerat, vel ſcribendo omnium prodiderat voluntates, tranſgreſſione punita cunctorum. * Quæ ad inſtructionem veſtræ dilectionis ſatis abundéque ſufficere judicamus, quamvis eadem latiùs, ſi Dominus conceſſerit facultatem, ſtudeamus exponere; quatenus & fidelium quiſque cognoſcat, nihil Apoſtolicam ſedem, quod abſit, præproperè cenſuiſſe. * Quæ tamen ſententia in Acacium deſtinata, & ſi nomine tantummodò Pręſulis Apoſtolici, cujus erat utique poteſtatis legitimæ, probatur eſſe deprompta, præcipuè cùm ſecretim dirigenda videretur, nec custodiæ ubique præſentis * diſpoſitio ſalutaris, quibus licet * difficultatibus impedita neceſſarium habere non poſſet effectum; tamen quia Orthodoxis ubique dejectis, & hæreticis tantummodò eorúmque conſortitibus jam relictis in Oriente, Catholici Pontifices aut reſidui omninò non eſſent, aut nullam gererent libertatem plurimorum in Italia Catholicorum congregatio Sacerdotum, rationabiliter cognovit in Acacium fuiſſe prolatam: quæ congregatio facta Pontificum non contra Calcedonenſem, non tanquam nova Synodus contra veterem primámque convenit; ſed potiùs ſecundùm tenorem veteris conſtituti particeps Apoſtolicæ executionis effecta eſt; ut ſatis appareat Eccleſiam Catholicam, ſedémque Apoſtolicam, quia alibi jam omninò non poſſet, ubi potuit & cum quibus potuit, nihil penitus omiſiſſe, quod ad fraternum pertineret pro intemerata fide & ſincera communione tractatum.

Hæc in fine Epiſtolæ reperies.

** Hæc verò inedit. conjuncta videbis cum verbis:* punita cunctorum, *ſupra.*
al. * cuſtodiis ubique præſentis.
al. * quibuſlibet.

Capitulum CCXII.
Eſt Epiſt. 1a 6. in Concilij Calched. parte. 3.

ITEM *in Epiſtola* LEONIS *Papæ ad Martianum Auguſtum, quæ eſt per Licinium Epiſcopum & Baſilium Diaconum directa, de ambitu Anatolij Epiſcopi Conſtantinopolitani, inter cetera ſic legitur*:

Sciens glorioſam clementiam veſtram Eccleſiaſticæ ſtudere concordiæ, & his quæ pacificæ congruunt unitati, piiſſimum præſtare conſenſum precor, & ſedula ſuggeſtione vos obſecro, ut auſus improbos, unitati Chriſtia-

næ pacíque contrarios, ab omni pietatis vestræ abdicetis assensu,&Patris mei Anatolij nocituram ipsi,si perstiterit, cupiditatem salubriter comprimatis; nec ea quæ vestræ gloriæ atque temporibus inimica sunt cupiens majora suis velit esse prioribus; liberúmque illi sit quantis potuerit splendere virtutibus, quarum non aliter particeps erit, nisi caritate magis voluerit ornari, quàm ambitione distendi. Hanc autem improbi desiderij conceptionem, nunquam quidem debuit intra cordis sui percipere secretum.

Item LEO Papa in eadem epistola: Capitulum CCXIII. *Ibidem.*

Agite quod & Christianæ est probitatis & regiæ, ut prædictus Episcopus pareat Patribus, consulat paci, neque sibi æstimet licuisse, quod Antiochenæ Ecclesiæ sine ullo exemplo, contra statuta Canonum, Episcopos ordinare præsumpsit, quod nos amore reparandæ fidei & pacis studio retractare cessavimus. Abstineat ergo ab Ecclesiasticarum injuria regularum & inlicitos declinet excessus, ne se ab universali Ecclesia dum inimica paci tentat abscindat. Quem opto magis inreprehensibiliter agentem diligere, quàm in hac præsumptione, quæ illum ab omnibus separare poterit, perdurare.

ITEM LEO Papa ad Anatolium Episcopum inter cetera in alia Epistola scribit: Capitulum CCXIV. *Ibidem. Epist.* [illegible]

Post illa itaque ordinationis tuæ non inculpata principia, post consecrationem Antiocheni Episcopi, quam tibimet contra canonicam regulam vindicasti, doleo in hoc dilectionem tuam esse progressam*, ut sacratissimas Nicænorum Canonum Constitutiones conareris infringere, tanquam opportunè se tibi hoc tempus obtulerit, quo secundi honoris privilegium sedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Ecclesia proprietatem tertiæ dignitatis amiserit, ut his locis juri tuo subditis, omnes Metropolitani Episcopi proprio honore priventur. *al.** prolapsam

Quibus inauditis & nunquam antè tentatis, ita prævenitis excessibus, ut sanctam Synodum ad extinguendam solùm hæresim, & ad confirmationem fidei Catholicæ studio Christianissimi Principis congregatam, in occasionem ambitus trahas, & ut conniventiam suam tibi dedat impellas; tanquam refutari nequeat, quod inlicitè voluerit multitudo, & illa Nicænorum Canonum per sanctum verè Spiritum ordinata conditio, in aliqua cuiquam* sit parte solubilis: & nulla sibimet de multiplicatione congregationis synodalia Concilia blandiantur, neque trecentis illis decem atque octo Episcopis quantumlibet copiosior numerus Sacerdotum, vel comparare se audeat, vel præferre, cum tanto divinitus privilegio Nicæna sit Synodus consecrata, ut sive per pauciores, sive per plures Ecclesiastica judicia celebrentur, omni penitùs authoritate sit vacuum quidquid ab illorum fuerit constitutione diversum. Nimis ergo hæc improba, nimis prava sunt, quæ sacratissimis Canonibus inveniuntur esse contraria.

al. * unquam

Capitulum CCXV. *Ibid. ante finem.*

ITEM LEO Papa in eadem Epistola post pauca:

Fateor enim ista me dilectione universæ fraternitatis obstringi, ut nemini prorsus in his quæ contra se posuit, assentiam, *&c. usque ad* : universalis Ecclesiæ pace privabis.

Capitulum CCXVI. *Paulo ante finem Act. 5. In Symb. centũ Quinquaginta Episc. &c. in med. Multum distat ab edit. vers.*

ITEM in Concilio Calchedonensi commemoratur sic auctoritas primæ sedis:

Nos ergo Scripturarum divinarum attestationem evidentiùs manifestantes, propter hos qui substantiæ secretum evertere insectabantur, dicentes, hominem sine divinitate fuisse creatum, ex venerabili Virgine MARIA impudenter & vulgariter, contra venerabilis quondam Episcopi Cyrilli Alexandrinæ Ecclesiæ literas, & totius Orientis congrua scripta adversus Nestorii amentian; in

quibus manifesta expressio * certi atque salutaris Symboli desiderantibus; Epistolámque Archiepiscopi Leonis primæ sedis, quæ destinata & directa videbatur ad venerabilem sanctæ memoriæ Flavianum; ad intercipiendam* Eutychis malignitatẽ; quamvis * sancti Petri confessione nobis concordante, & una atque similis pagina visa est, adversus obtrectantium audaciam evidenter edocere convenit integritatem fidei credentibus.

Supple * est
f. * intercidendam.
al. * ut pote

LEO Papa in Epistola quam sanctæ Synodo apud Calchedonem direxit, inter cetera sic scribit;

Capitulum CCXVII.
In Conc. Calched. p. 3. n. sive Epist. 16.

Fratres Carissimi de custodiendis quoque sanctorum Patrum statutis, quæ Synodi Nicænæ * inviolabilibus sunt fixa decretis, observantiam vestræ sanctitatis ad moneo, ut jura Ecclesiarum sicut ab illis trecentis octodecim Patribus divinitus inspiratis sunt ordinata permaneant, nihil alienum improbus ambitus concupiscat, nec per alterius imminutionem suum aliquis quærat augmentum. Quantumlibet enim exortis assentationibus se instruat vanitatis elatio, & appetitus suos Conciliorum æstimet nomine roborandos, infirmum atque irritum erit, quidquid à prædictorum Patrum Canonibus discreparit.

al.* In Synodo Nicæna.

GREGORIUS Iohanni Episcopo Syracusano:

Capitulum CCXVIII.
Lib. 7. Epist. 64.

Veniens quidam de Sicilia dixit mihi, quòd aliqui amici ejus vel Græci vel Latini, nescio, quasi sub zelo sanctæ Romanę Ecclesię de meis disputationibus murmurarent dicentes: Quomodò * Ecclesiam Constantinopolitanam disponit comprimere, qui ejus consuetudines per omnia sequímur* ? Cui cùm dicerem: Quas sequimur? Respondit. Quia *Halleluia* dici ad Missas extra Pentecostes tempora fecistis: quia Subdiaconos spoliatos procedere: quia *Kyrie eleyson* dici; quia orationem Dominicam mox post Canonem dici statuistis. Cui ego respondi: Quia in nullo eorum aliam Ecclesiam secuti su-

al.*Quoniam
al.* sequitur.

mus. Nam ut *halleluia* hîc diceretur, de Hierosolymorum Ecclesia ex beati Hieronymi traditione, tempore beatæ memoriæ Damasi Papæ traditur tractum. Et ideo magis in hac sede illam consuetudinem amputavimus, quæ hîc à Græcis fuerat tradita. Subdiaconos autem spoliatos ut procedere facerem, antiqua consuetudo Ecclesiæ fuit. Sed quod placuit cuidam nostro Pontifici, nescio cui, eos vestitos procedere præcepit. Nam vestræ Ecclesiæ nunquid traditionem à Græcis acceperunt? Vnde habent ergo hodie, ut Subdiaconi in tunicis procedant, nisi quia hoc à matre sua Romana Ecclesia perceperunt. *Kyrie eleyson* autem nos neque diximus * sicut à Græcis dicitur; quia in Græcis omnes simul dicunt: apud nos autem à Clericis dicitur, à populo respondetur, & totidem vicibus etiam *Christe eleyson* dicitur, quod apud Græcos nullo modo dicitur. In quotidianis autem Missis alia quæ dici solent tacemus: tantummodò *Kyrie eleyson* & *Christe eleyson* dicimus, ut in his deprecationis vocibus paulò diutiùs occupemur. Orationem verò Dominicã idcirco mox post precem dicimus; quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodò orationem oblationis hostiam consecrarent. Et valde mihi inconveniens visum est, ut precem quam Scholasticus composuerat super oblationem diceremus, & ipsam traditionem quam Redemptor noster composuit, super ejus corpus & sanguinem non taceremus. Sed & Dominica oratio apud Græcos ab omni populo dicitur, apud nos verò à solo Sacerdote. In quo ergo Græcorum consuetudines secuti sumus, qui aut veteres nostras reparavimus, aut novas & utiles constituimus; in quibus tamen alios non probamur imitari? Ergo vestra caritas cùm occasio dederit, ut ad Catenensem civitatem pergat, vel in Syracusana Ecclesia, eos quos credit aut intelligit quia de hac re murmurare potuerunt, facta collocutione doceat, & quasi alia occasione eos instruere non desistat. Nam de Constantinopolitana Ecclesia quod dicunt, quis eam dubitet & sedi Apostolicæ esse subjectam. Quod & piissimus dominus Imperator, & frater noster ejusdem civitatis Episcopus assiduè pro-

In edit. ad. * neque dicimus

fitetur. Tamen si qui boni vel ipsa vel altera Ecclesia habet, ego & minores meos quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus sum. Stultus est enim qui in eo se primum existimat, ut bona quæ viderit discere contemnat.

De privilegio principatus Apostolicæ Sedis pauca ex multis & diversis auctoritatibus Canonũ & Romanorum Pontificum collecta sunt, in quo omnia Concilia sanctorum Patrum unanimiter concordare videntur, nec in aliquo aberrare dinoscuntur. Postquàm enim Constantinus Imperator Monarchiam mundani sæculi tenens, Dei inspirante clementia Christianitatis suscepit signaculum, & pro Dei amore & Principis Apostolorum honore sua sponte thronum Romanæ urbis reliquit, dicens non esse competendum* duos Imperatores in una civitate simul tractare commune imperium, cùm alter foret terrę, alter Ecclesiæ Princeps, tandem ut cunctis legentibus liquet Bizantium adiit, ubi ex suo nomine Constantinopolim construens Regiam sedem fecit. Proficiscens verò Romanam ditionem Apostolicæ Sedi subjugavit, necnon etiam maximam partem diversarum provinciarum eidem subjecit. Denique subrogata potestate, & solemniter regia auctoritate Romano Pontifici contradita, loco cessit, & ob capescendum cœleste imperium Deo sanctóque Petro honorem regni inposterum ampliandum reliquit. Itaque singulare privilegium & mirabile testamentum toto tunc orbe vulgatum Apostolicæ Sedi conscribi jussit, eidémque obsequendum diversa regnorum prædia perpetualiter delegavit, sacrásque leges in diversis ordinibus & cultibus, ac Ecclesiasticorum indumentorum ornatibus innumerabilia superaddens donaria, nobilissimè ac splendidè augmentavit, in quibus etiam inter alia specialiter continere voluit, ut apicem omnis principatus Romanus Papa super omnem Ecclesiam ejusque Pontifices perenniter velut jure regio retineret. Hæc & alia quamplurima, & ad computandum copiosissima, in eodem releguntur privilegio, cujus exemplaribus Ecclesiarum in Gallia consistentium armaria ex integro potiuntur.

Auctor loquitur.

* f. competens.

Iſta cùm ita ſint, oppidò mirandum, quare Conſtantinopolitani Præſules ab initio non ſua uſurpare audeant, præſertim cùm in nullo Conciliorum eadem urbs inter principales connumeretur Sedes, Conſtantinopolitano excepto, cui regius ejuſdem civitatis ſemper arriſit favor. Repugnante ergo totius æquitatis ratione huic ſtolidæ præſumptioni vires tantum conanti, latenter innuens conſentanea Regum voluntas indebitè ſubminiſtrat, ex quo inibi imperium ſtatuit habere caput. Plerique ſiquidem hoc faſtigium Apoſtolicæ dignitati debitum Conſtantinopolitani appetentes, totiens ignominioſè cum dedecore ſunt devicti, quotiens tumore extollentiæ inflati id agere adorſi. Nam relegatur Epiſtola B. Gregorii Papæ ad Iohannem Conſtantinopolitanum Antiſtitem, pro ſatis irridendo ambitu, qui ſe in Synodo ubi ipſe præſidebat univerſalem Papam appellari & conſcribi fecit, ibíque qui legerit clariùs perſpicere poterit, cum quanta ſeveritate eum Apoſtolica auctoritas protervum comprobans in tantum condemnaverit, ut eumdem Apoſtatæ Angelo æquiparans infeliciter compararet, qui per ſuperbiam latera diſtendens, ſic fœtido eructavit anhelitu: *In cælum conſcendam, ſuper aſtra cæli exaltabo ſolium meum; ſedebo in monte teſtamenti in lateribus Aquilonis, aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo.* Cujus etiam tumor per omnem epiſtolam honeſtiſſimè texitur, & niſi ab inlicitis reſipiſceret, eundem damnationi ſubmittere promittit. Proinde etiam Conſtãtinæ Auguſtæ epiſtolam dirigit, ut in talibus tam ipſa quàm Imperator nunquam aſſenſum præbeant, ne fortè aliquis infidorum beati Petri privilegia infringere quoquomodo pertentet. Si harum plenitudo epiſtolarum revolvatur, melius ſollicitè addiſcentes ſatis abundéque perdocere quibit. Etenim in deſcriptionibus Romanorum Pontificum, hæc eadem præſumptio crebriùs ac diſtrictiùs coërcita reperitur.

Lib. 4. ep. 31.


Iſai. 14. 6.

In lib. 4. ep. 34. & ad Maurit. Auguſt. ep. ſt. 32. ibid.

Igitur quòd IGNATIUS Conſtantinopolitanæ Sedis Epiſcopus nuper Apoſtolicam Sedem juxta ſtatuta Patrum canonicè reclamans, indignè dicitur damnatus; & PHOTIUS

Cauſa ſchiſmatis Græcorum hac tempeſtate exorti.


PHOTIUS Neophytus in loco ejus contra regulam Ecclesiasticam constitutus, non Episcopus dicendus, sed potiùs invasor, à conjugio illico solutus & tonsoratus, quantum à ratione aberrat, apertè cognoscere valet, qui synodalium definitionum inscitia caret. Pro simili invasione olim miserabilis dispendii exitium passa est Romana Ecclesia, veluti sub temporibus VIGILII Pontificis contigit, qui SILVERII venerabilis Papæ sedem ipso adhuc vivente & exsilio deportato turpissimè vi arripuit; necnon etiam sub beato Stephano Papa, à sancto Petro nonagesimo sexto evenit, quando Dux quidam vocabulo Toto fratrem suum Constantinum subitò tonsorari fecit, & alia die contra statuta Canonum idem in Diaconum consecratus, & proximiori Dominicâ non dignè Pontifex acclamatus, sed potiùs invasor Apostolicæ Sedis judicandus, Romanam Ecclesiam discordiæ cladibus & cruentis homicidiis fœdavit: qui ob tantæ cupiditatis voraginem ad hoc usque pervenit, ut ex sede arrepta turpissimè dejiceretur, & carcere reclusus, tandem à filiis nequitiæ oculorum lumine privaretur. Ista itaque cùm natio Græcorum cognoverit, aut fortè si non antè, vel nunc discere poterit, instantiùs stupendum, cur Neophytum extemplò uxoria copula solutum sine aliquo intervallo & probatione temporum in sedem falsò damnati Ignatii subrogaverit. Vix à muliebri amplexu avulsus, & à pollutione corporea nec-dum perfectè mundatus, etiam in Pontificem totius munditiæ erigitur & veneratur sublimatus. His & aliis tempestatum procellis sancta centupliciter concussa Ecclesia horret nefandissima non solùm opere perfecta, verumetiam voto peragendi cogitatu concepta. Hæc de privilegio Apostolici primatus breviter perstricta sufficiant.





QVÆSTIO, SIVE OBIECTIO VII.

Capitulum CCXIX. Quam ob causam Diaconi quodam saltu Episcopi consecrentur.



E HOC autem quod quæritur, quare apud Romam plerumque Diaconus quodam saltu non percepta presbyterali benedictione in Episcopum subitò consecretur, dicendum simplicitatis affectu, quia deperit rationalis responsio hujuscemodi adstipulationibus subnixa, cùm illa quæ ignorat depromere sermo veridicus pudicè refugiat, maximè si in propatulo lingua distendatur eloquio, & nequaquam sustentari possit sanctarum Scripturarum auxilio. Vultu tamen suppresso sub arbitrio intellectui* verecundè cedendum*, quòd fortè illi qui istiúsce ordinationi assentiunt, hoc intelligi velint, quia qui benedictione pontificali perfungitur, reliquarum benedictionum honore decoretur, sive quia in consecratione corporis Christi & sanguinis officium Præsulis ac Presbyteri mysticè uniatur. Sicut enim in terrarum Rege diversę dignitates adscribuntur: nam Imperatores ex Consulibus creati, propter regale commercium quondam non omittebant, nec mutabant Consulis & Patricii nomen: ita credi potest quòd in sublimitate majoris Pontificis consistat etiam honor minoris Sacerdotis. Forsitan autem illi qui de Diacono ordinant Episcopum, prætermissa benedictione presbyterali, assertioni B. Hieronymi in epistola loquentis ad Titum ex parte concredere videntur, qui officium Presbyteri in aliquo comparticipari affirmat ministerio episcopali. Sed ne fortè aliquantula in nobis excitetur motio majorum Dominorum, nostram omittentes in hujus negotii quantitate* diffinitionem, ipsius sancti Hieronymi verba sine

f. * intellectus.
f. * credendum.
al. *qualitate

nostrorum intermixtione verborum fideliter ponamus. Sunt enim talia in supradicta epistola, ubi hanc eleganter exponit sententiam.

Et constituas per civitates Presbyteros, sicut ego tibi disposui. Audiant Episcopi qui habent constituendi Presbyteros per urbes singulas potestatem, sub quali lege Ecclesiasticæ constitutionis ordo teneatur: nec putent Apostoli verba esse, sed Christi, qui ad discipulos ait: *Qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui me misit. Sic & qui vos audit, me audit. Qui autem me audit, audit eum qui me misit.* Ex quo manifestum est eos qui Apostoli lege contemptâ, Ecclesiasticum gradum non merito voluerint alicui deferre, sed gratiâ, contra Christum facere, qui qualis in Ecclesia Presbyter constituendus sit per Apostolum suum in sequentibus exsecutus est. Moyses amicus Dei, cui facie ad faciem Deus locutus est, potuit utique successores principatus filios suos facere, & posteris propriam relinquere dignitatem; sed extraneus de alia Tribu eligitur Iesus, ut sciremus principatum in populos non sanguini deferendum esse, sed vitæ. At nunc cernimus plurimos honorem* beneficium facere, ut non quærant eos qui possunt Ecclesiæ plus prodesse & Ecclesiæ erigere columnas*; sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel pro quibus malorum* quispiam rogaverit, & ut deteriora taceam, qui ut Clerici fierent, muneribus impetrarunt. Diligenter Apostoli attendamus verba dicentis: *Vt constituas per civitates Presbyteros, sicut ego tibi disposui.* Qui qualis Presbyter debeat ordinari, in consequentibus differens, hoc est, *Si quis est sine crimine unius uxoris vir, &c.* Postea intulit: *Oportet enim Episcopum sine crimine esse, tanquam Dei dispensatorem.* Idem est ergo Presbyter qui Episcopus, & antequam Diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis: *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ:* communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur: Postquàm verò unusquisque eos quos baptizaverat putabat suos, non

S. Hieronymus lib. 1. in Epist. ad Tit. cap. 1. 5.

Luc, 10.

al. * hanc rem

al. * ut non quærant eos in Ecclesia columnas erigere.

al. * majorum

Tit. 1. 5.

Ibid. 6.

1. Cor. 11.

Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis cura Ecclesiæ pertineret, & schismatum semina tollerentur.

al. * Putet Putat* aliquis non Scripturarum, sed nostram esse sententiam, Episcopum & Presbyterum unum esse, & aliud ætatis, aliud esse nomen officii, relegat Apostoli ad Philippenses verba dicentis: *Paulus & Timotheus servi Christi* IESU, *omnibus Sanctis in Christo* IESU *qui sunt Philippis cum Episcopis & Diaconis, gratia vobis & pax.* Et reliqua. Philippi una est urbs Macedoniæ, & certè in una civitate plures, ut nunc putantur * Episcopi esse non poterant. Sed quia eosdem Episcopos illo in tempore quos Presbyteros appellabant, propterea indifferenter de Episcopis quasi Presbyteris est locutus. Adhuc alicui hoc videatur ambiguum, nisi altero testimonio comprobetur. In Actibus Apostolorum scriptum est, quòd cùm venisset Apostolus Paulus Miletum miserit Ephesum, & vocaverit Presbyteros ejusdem Ecclesiæ, quibus postea inter cetera sit locutus: *Attendite vobis, & omni gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos pascere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Et hîc diligentiùs observate, quomodò unius civitatis Ephesi Presbyteros vocans, postea eosdem Episcopos dixerit. Si quis vult recipere epistolam, quæ sub nomine Pauli ad Hebræos scripta est, & ibi æqualiter inter plures Ecclesiæ cura dividitur. Siquidem ad plebem scribit: *Parete Principibus vestris & subjecti estote: Ipsi enim sunt qui vigilant pro animabus vestris, quasi rationem reddentes, ne suspirantes hoc faciant: siquidem hoc utile vobis est.* Et Petrus qui ex fidei firmitate accepit nomen, in epistola sua loquitur dicens: *Presbyteros ergo in vobis obsecro Compresbyter, & testis Christi passionum, qui & ejus gloriæ, quæ in futurum revelanda est, socius sum: Pascite eum qui in vobis est gregem Domini, non quasi cum necessitate, sed voluntariè.*

[Margin notes: al. * ut nuncupantur. — Philip. 1. 1. — Act. 20. 17. — Ibid. 28. — Heb. 13. 17. Varia est lectio. — 1. Pet. 5. 1. Varia quoque]

Hæc propterea, ut ostenderemus apud veteres eosdem fuisse Presbyteros quos Episcopos. Paulatim verò ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delatam. Scut ergo Presbyteri sciunt

se ex Ecclesiæ consuetudine ei qui sibi præpositus fuerit esse subjectos; ita Episcopi noverint se magis consuetudine quàm dispositionis Dominicæ veritate Presbyteris esse majores, & in commune debere Ecclesiam regere, imitantes Moysen, qui cùm haberet in potestate solus præesse populo Israël, septuaginta elegit cum quibus populum judicaret. Videamus igitur qualis Presbyter sive Episcopus ordinandus sit. *Si quis est sine crimine, unius uxoris vir, filios habens fideles; non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet enim Episcopum sine crimine esse, tanquam Dei dispensatorem.* Et reliqua. Tit. 1. 6.

Si autem controversiæ fortunâ* istæ alicui displicuerint, non supercilium tumoris Christi imputetur vernaculis, quia non evidentior in præfata propositione potuit inveniri responsio rationalis, quæ videlicet præstantior esset auctoritate docentis. f. * fortè




FRAGMENTUM SERMONIS SANCTI FAUSTINI EPISCOPI.

Duo extant FAUSTINI *Sermones de Quadragesima in MS. codice Corbeiensi, qui in San-Germana Bibliotheca asservatur, cum hac epigraphe :* ADMONITIO S. FAUSTINI EPISCOPI DOMINICA ANTE QUADRAGESIMAM. *Prior quidem editus atque ascriptus S. Cæsario Arelatensi Episcopo reperitur, ésique Homilia 2. in Bibliotheca Patrum. Sic incipit:* Rogo vos & admoneo, Fratres charissimi, ut in isto legitimo, &c. *Sed ille, cujus priorem partem suo adversus Græcos libro inseruit Æneas Parisiensis sup. pag. 86. cùm hactenus latuerit, operæ pretium existimavi reliquum heìc attexere, quò integer habeatur.*

ADMONEMUS ergo nunc, sicut jam antea diximus, nostri temporis homines, ut ab hujus mundi turbinibus ad domum Dei certatim unusquisque confugiat, sicut & sui temporis homines Noë justus admonuit. Admonuit enim illos, & futurum diluvium prędicare non destitit. Et licet vox prædicationis non sit audita, tamen etsi tacebat linguâ, opere loquebatur: Et si silebat voce, Arcâ personabat: cùm enim ædificabat tam grande opus arcę, illius causam cur fieret, ipso opere testabatur. Testabatur enim ipso apparatu nova tabernacula novis periculis profutura. Sapiens enim quisque intelligere poterat naufragii nescio quid imminere, cùm domus talis fieret, quę non hæreret in terra, sed nataret in gurgite. Cùm hospitium hujusmodi pararetur, quod nec pavimentum solo defigeret, nec fluctibus unda submergeret. Quis, inquam, sapiens non intelligeret adesse diluvium, cùm videret tale domicilium fieri, quod susceptos intra se non tam clauderet, quàm portaret; quod non tam pluviarum imbres repelleret, quàm nau-

fragii procellas arceret. Quis, inquam, ex hoſpitio non adverteret periculum hominum, in quo hoſpitio non habitandum eſſet, ſed potiùs exulandum in qualibet parte mundi futurum eſſet, cum ipſis habitaculis peregrinum. Ipſo ergo ſanctus Noë opere populis prędicabat, & dicebat illud evangelicum Domini dictum: *Si mihi non creditis, operibus credite.* Iohan. 16. 38.





S. PETRI DAMIANI
S. R. E. CARDINALIS, EPISCOPI OSTIENSIS, SERMONES V.

Incipit Sermo Primus PETRI DAMIANI *De Oratione Dominica.*



ACCEPISTIS auditum fidei, Fratres Chariſſimi, formam Dominicæ orationis audite: Chriſtus breviter orare docet, qui citò vult poſtulata præſtare: aut quid petentibus ſe non dabit, qui ſeipſum non petentibus dedit? aut in reſpondendo quam facit moram, qui in dictandis precibus vota ſupplicum ſic prævenit? Hodie quod audituri eſtis ſtupent Angeli, miratur cælum, pavet terra, caro non fert, auditus non capit, non attingit mens, tota ſuſtinere non poteſt creatura; ego dicere non audeo, tacere non poſſum. Deus det ut vos & audire poſſitis & dicere. Quid eſt magis tremendum, quòd ſe dedit terris Deus, aut quòd vos dat cælo: Quòd ſocietatem carnis intrat ipſe, aut quòd vos facit conſortium divinitatis intrare: quòd mortem ſumpſit ipſe, aut quòd vos reſumit ex morte: quòd ipſe in veſtra naſcitur ſervitute, aut quòd vos ſibi gignit in liberos, quòd ſuſcipit paupertatem veſtram, aut quòd vos facit heredes ſuos, ſui Vnici coheredes? Eſt utique terribilius, quòd terra transfertur in cælum, homo deitate mutatur, ſervitutis ſors dominationis jura ſortitur. Sed hoc quamvis metuendum ſit, tamen

Valdè mirum & ſtupendum quòd homo ſit Filius Dei & cohæres Chriſti.

quia

quia causa non dicentem respicit sed jubentem; accedamus filioli, quo vocat caritas, trahit amor, invitat affectio, Deum Patrem viscera sentiant, vox personet, loquatur lingua, spiritus clamet. Totum quod in vobis est respondeat gratiæ, non timori; quia judicem mutavit in patrem; amari voluit, non timeri.

Pater noster qui es in cælis. Hoc cùm dicis non sic habeas, quasi non sit in terris; non sic accipias, quasi sit loco clausus qui claudit omnia; sed intellige esse tibi genus è cælo, cujus pater habetur in cælo. Et age, ut vivendo sanctè sancto respondeas Patri. Dei filium ille se probat, qui vitiis non obscuratur humanis, qui divinis virtutibus elucescit. Matt. 6. 9. Luc. 11. 2.

Sanctificetur nomen tuum. Cujus genus sumus, ejus censemur & nomine. Rogamus ergo ut nomen ejus quod in se & per se sanctum est, sanctificetur in nobis. Nomen enim Dei aut honoratur ex nostro actu, aut nostris actibus blasphematur. Audi Apostolum dicentem: *Nomen Dei per vos blasphematur in Gentibus.* Quomodò filium se probat homo. Rom. 2. 24.

Veniat regnum tuum. Et quando non regnavit Deus? Petimus ergo ut qui sibi regnavit semper, modò regnet in nobis, ut & nos in illo regnare possimus. Regnavit Diabolus, regnavit peccatum, regnavit mors, & fuit diu captiva mortalitas. Petimus ergo ut regnante Deo pereat Diabolus, deficiat peccatum, moriatur mors, captivitas captivetur, ut nos liberi perpetuam regnemus in vitam.

Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Hoc est regnum Dei, quando in cælo & in terra Dei voluntas est sola, quando in omnibus hominibus est. Deus vivit, Deus agit, Deus regnat, Deus est totus; juxta illud Apostoli: *Ut sit Deus omnia, & in omnbus nobis.* 1. Cor. 15.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Qui patrem se nobis dedit, qui sibi nos adoptavit in filios, qui secum nos fecit heredes, qui nos nomine sublimavit, qui nos suo & honori donavit & regno, ipse nos ut panem quotidianũ postulemus addixit. In regno cæli inter munera divina quid quærit paupertas humana? tam bonus, tam pius, tam largus pater panem filiis non tamen postulatus indul-

Matt. 6. 31. get. Et ubi est illud: *Nolite solliciti esse quid manducetis, aut quid bibatis, aut vistiamini?* Hoc Pater jubet quod prohibet cogitare: quid tenemus? Cœlestis Pater cœlestem panem, cælestis Filij ut postulemus hortatur: ipse dixit: *Ego sum panis qui de cælo descendi.* Ipse est panis, qui satus in virgine, fermentatus in carne, in passione confectus, fornace coctus sepulcri, in Ecclesiis conditus, illatus altaribus, cælestem cibum quotidie subministrat fidelibus.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Homo sine peccato esse non potes, & vis semper dimitti tibi, totum dimitte semper: quantum vis dimitti tibi dimitte tantum. Quotiens vis dimitti tibi, totiens tu dimitte, immo quia vis totum dimitti tibi, totum dimitte. Homo intellige quia remittendo alij, tibi veniam tu dedisti.

Et ne nos inducas in tentationem. Quia in hoc sæculo est Iob. 7. 1. ipsa vita tentatio. *Tentatio*, inquit, *est vita hominis.* Rogamus ut nos nostro arbitrio non relinquat, sed in omni actu paterna nos pietate constringat, & in vitæ tramite, cœlesti moderatione confirmet.

Sed libera nos à malo. A quo malo? à Diabolo quippe ex quo est omne malum. Rogamus nos liberari à malo, quia malo qui non caruerit, frui non potest bono. Si adhuc non nati, si adhuc in utero constituti panem petunt, expetunt regnum; quare fit quæstio, quòd semper Dei Filius in Dei Patris mysterium, & quòd in Patre Deo Dei filius fuerit. Quomodò humana ratione tractatur? Non est, non est humano modo divinitas æstimanda. Audisti Deum, nihil terrenum cogites, nihil humanum. Audisti Patrem Christi, hoc per substantiam crede: Audisti Patrem tuum, hoc crede per gratiam: ille esse Filius habuit semper; te esse filium dedit modò. Sic ergo te filium scito, & servum te esse non nescias. Sic audi ad Christi similitudinem te reductum, ut semper Christo te cognoscas esse subjectum.





ITEM SERMO
VNDE SVPRA SECVNDVS.

CONDITIO mortalis, terrena compago, limosa substantia, ad vitæ pensa ac mortis in certo labore attrita, consumpta pœnis, putredini pulveris subjecta natura capere non valet, credere pertimescit, quod hodie cogitur confiteri. Tantam donorum gratiam Dei, proximorum magnitudinem, munerum largitatem, fragilitas humana, unde promereri valeat, non potest invenire. Hoc, reor, ambiguum Prophetam mentis intuitu prævidisse, dum tanto pavore concussus, & hujus auditus taliter exagitatus tremore dicit: *Domine audivi auditum tuum & timui; consideravi opera tua, & expavi.* Hab. c. 3. 2. secund. 70. Auditum timuit, non quia tunc Propheta tantus audierat Dominum, sed quia tunc servus Dominum suum sibi conversum reperit. Et audivit in partem, vel quia mundi hujus fabricam, elementis ita sibi dissonis consonantem, contemplatus expavit: Sed quia pietatis erga se tanta considerans tunc opera, admirationis tremore concussus est & pavore: *Consideravi*, inquit, *opera tua & expavi.* Adoptatum se tunc expavit in filium, quando perdiderat ipsius fiduciam servitutis. Denique ut sciatis hujus orationis, quam vobis hodie divinitas insinuat & infundit, affectum Prophetam tunc auditu cælitus percepisse, hujus muneris quodammodò pavore solutum, quid iterum dixerit pervidete: *Custodivi me*, inquit, *& expavit venter* Ibid. 16. *meus, à voce obsecrationis labiorum meorum.*

Posteaquàm divini muneris tantam senserat largitatem custodivit se, ne se hostem, ne inimicum, ne latronem se iterum in paradiso sustineret, fit vigilantior, fit sollicitior sui custos, qui se post tantæ rei jacturam, cælestem thesaurum senserat reperisse dicente Paulo: *Portamus hunc thesaurum in vasis fictilibus. Custodivi me, &* 2. Cor. 7. Habac. 3. 16.

expavit venter meus. Ventrem cordis interna nominat hic Propheta; quia sicut cibis ita cor sensibus pascitur & repletur. *Et expavit venter meus à voce obsecrationis labiorum meorum.* Si intellectus cordis fuderat ori vocem, labiis dederat verba, cur vota sua, cur desideria sua, cur ex hoc est exhortaturus? Expavit, quia non suggestione sui cordis, sed divini Spiritus loquebatur affatu. Audi Paulum dicentem: *Misit Deus Spiritum Filij sui in corda nostra, clamantem Abba Pater.* Quod cùm auditum ad interna transmitteret, tantum se meruisse mirabatur, & interna tota hominis pavebant, meritò adjecit; *& intravit tremor in ossa mea.* Quia ipsius Prophetæ viscera vexabantur. *Et subtus me*, inquit, *commota est virtus* * *mea.* Quid subtus me? quia unus ipse idemque homo, rursum per gratiam jam levatus, jacebat subtus pristinam * per naturam, nec virtutem cœlestem virtus poterat sustinere terrena. Iam firmavit mons Sina, cùm daturus legem Deus descendit in montem.

Galat. 4. 6.
Habac. 3. 16.
al. * habitudo
f. * pistrinam

Quid caro faceret cùm descendit Deus in carnem? carnis gratiam collaturus venit Pater, quia homo Deum, servus Dominum non ferebat. Et quia fidelis est in verbis suis, qui dixit: *Aperi* * *os tuum, & implebo illud.* Aperite nunc ora vestra, ut ipse ea tali prece tali repleat & clamore. Vbi sunt qui de Dei promissione diffidunt? Ecce quàm citò est fidei remunerata confessio, mox ut Deum unici Filij confessus es Patrem; tu ipse es Dei Patris adoptatus in filium, ut esses cæli heres, quia paradisi exul habebaris, & terræ. Et ideo nunc vocas: *Pater noster qui es in cælis.* Quia fuit tibi quondam pater, qui te resolvit in limum, qui te ad claustra duxit & pertraxit inferni. Terram nesciat, amorem carnis ignoret, patrem pulveris non requirat, nihil in se vitij licere permittat, qui à Deo patre cœlestem repetit ad naturam, ut qui se Dei filium credit, actu, vita, moribus, honestate tanto generi respondeat, ne iterum ad terrena descendens, ad ipsam tanti genitoris tendat injuriam.

Psal. 80. 11.
al. * dilata

Sanctificetur nomen tuum. Si nomen Christi cæcis visum, cursum claudis, defessis vario languore sanitatem, mor-

tuis vitam, téque ipsum, homo, totámque sanctificat creaturam. Quemadmodum tu ipsius nominis oras & expostulas sanctitatem, quia à Christo vocatus es Christianus, & ideo supplicas, ut prærogativa tanti nominis, meritis in te subsequentibus roboretur.

Adveniat regnum tuum. Devotionem mandat, exigit desideria, vota perquirit ipse, qui adventus sui vitam in sua continet potestate. Fidelis est ille miles, qui Regis sui præsentiam sitit, & tot regni expetit, & concupiscit triumphos. Sed hîc petis ut tibi & in te adveniat regnaturus, in quo Diabolus arcem, mors imperium, diu infernus cessit & tenuit potestatem. Oremus ergo, Charissimi, ut Christus semper suo regnet in milite, ut miles semper suo triumphet in Rege.

Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Beatus dies ille qui terrenorum jungit, sociat, & exæquat cœlestibus voluntatem, ut inter dispares substantias una eadémque fiat voluntas. Hæc est fida pax, inconcussa concordia, gratia perseverans, quia unius Domini ordinem, naturam, familia per diversa voluntatem sita, una eadémque reperitur & sensu.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Post cœleste regnum, panem quis postulet temporalem ? sed quotidianum. Et inde vult nos in sacramento sui corporis, panis viaticum postulare : Vnde & hoc ad perpetuum diem, & ipsam Christi perveniamus ad mensam, ut unde hîc gustum sumpsimus, inde plenitudinem ibi totásque satietates capiamus.

Et demitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debita debitoribus nostris. Qui sic petit debita, non relaxat; iste se etiam per quod orat accusat, qui sibi tantum donari postulat, remitti tantum, quantum ipse remittit & donat ad placitum, Deum taliter invitat ad pactum; quantum ipse præstiterit alteri, tantum sibi exigat & ipse præstari. Dimittenda sunt autem, fratres, debita, non pecuniæ solùm, sed omnium causarum, culparum, criminum, quicquid homo incurrere potest. In his tibi cùm


incurrerit alter, ignosce: fidus peccati sui petit veniam quia peccanti libenter ignoscit.

Et ne inducas nos in tentationem. Hoc petere multis modis cogimur, fratres, ne fragilitas plus ausa, & de se temerè præsumens, nihil virium suarum colligens, in conflictum *malè cauta succumbat; deinde offensus Deus tradat tentationibus quos relinquit.

f.* in cnofl. Qu

Sed libera nos à malo. Satis de se humiliter sentit, nec salvari per se præsumit, quia ut à malo per Deum liberetur, implorat. Signate vos. Intelligite, filioli, quanta perfectorum, quanta fortium gloria sit & potestas, quando tanta virtus in ipso conceptu, tanta majestas aperitur in partu. Nondum natus Patrem vocat, sanctitatem postulat, regnum petit. Dat jura terris, terrenas celestibus exæquat voluntates, & laboribus profuturis exigit jam devotus annonam. *Panem*, inquit, *quotidianum da nobis hodie.* Beati estis qui cœpistis ante pugnam vincere, antè triumphare, quàm vivere; antè ad Patris gremium, antè ad Patris promptuarium, quàm matris ad gremium pervenire; antè partum gregis, quàm succum lactis invadere totum; antè victoriarum sonare jubilo, vagitu respondere, quàm cunarum. Verè ut dixit Apostolus; *Infirmum Dei fortius est hominibus.* Aut quis poterit tanti conceptus referre sacramentum, ubi Virgo mater parit orbem quotidie, nec relinquit posteros ad laborem, sed à terreno germine præmittit ad gloriam.

1. Cor. 1. 25.





SERMO CVIVS SVPRA DE EODEM TERTIVS.

OMNIA quæ divinitus dicta factáque referuntur, sunt miraculo, sunt stupori, sunt pavenda mortalibus, ipsis etiam sunt cœlestibus tremenda. Sed nihil ita stupet cœlum, pavet terra, expavescit universa creatura, quàm quòd vos estis hodie nobis dicentibus audituri. Servus Dominum Patrem vocare audet, judicem suum reus nuncupat genitorem; conditio terrena suâ se voce adoptat in filiũ, qui terrena perdidit, æstimat se divinitatis heredem. Sed audemus, quia præsumptio dicentis non est, ubi auctoritas est jubentis. Ipse enim vos hodie dicere voluit, qui nos docuit sic orare. Et quid mirum si tunc homines Dei consecravit in filios, quando se hominis dedit & aptavit in filium; carnis tunc naturam transtulit in divinam, quando deitatem humanam detulit ad naturam. Tunc hominem sibi in cœlestibus præstitit coheredem, quando se participem reddidit terrenorum: aut homini negare quid amoris potuit, quid muneris, quid honoris, qui totum quod erat hominis, & peccatum suscepit & mortem? Aut quomodò hominem in suis prosperis non habebit, qui in adversis homini se fecit esse consortem? Homo redi ad Deum sic amatus à Deo, & ad illius gloriam da totum te, qui se totum propter te ad tuam deduxit injuriam, & voca Patrem fidens, quem tanto amore tum probas, sentis, intellegis esse genitorem.

Pater noster qui es in cælis. Quod nondum natus Patrem vocat, nemo miretur. Deo nata sunt nascitura, futura facta sunt Deo: *Fecit*, inquit, *quæ futura sunt.* Hinc est quod in utero suum Iohannes sensit auctorem, & extat núncius matri, qui erat nescius vitæ. Hinc est quod Iacob antè legitur bellasse, quàm nasci; cœpit antè triumphare, quàm vivere. Hinc est quòd jam sunt Deo, qui sibi adhuc Eccle. 6. 10.

non sunt; quoniam electi estis ante constitutionem mundi. *Pater noster qui es in cælis.* Non quòd ille non sit in terra sed ut tu per hoc germen esse noveris te cæleste. Et si te, Dei filium tu fateris, vive quasi Dei filius, ut actu, vita, virtutibus tanto possis respondere genitori.

Sanctificetur nomen tuum. Quia à Christo vocatus es Christianus, petis ut prærogativa tanti nominis sanctificetur in te, quia nomen Dei quod per se & sanctum sibi est, aut sanctificatur in nobis nostro actu, aut nostro actu blasphematur in Gentibus.

Luc. 17. 21. *Adveniat regnum tuum.* Ipse dicit: *Regnum Dei intra vos est.* Si intra vos est, veniat quid oramus? Est in fide, est in spe, est in expectatione, sed ut veniat jam precamur. Veniat autem nobis, non illi qui semper conregnat Patri suo, semper regnat in Patre, sed veniat
Matt. 25. 34. nobis: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Dicimus *veniat regnum tuum*, ut sic Deus regnet in nobis, quatinus in nobis desinat mors regnare, desinat regnare peccatum.
Rom. 5. 14. *Regnavit*, inquit, *mors ab Adam usque ad Moysem.* Et
Ibid. 15. alibi: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.*

Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Nunc in terra multa fiunt pro Diaboli voluntate, pro seculi nequitia, pro desiderio carnis. In cælo verò fit nihil præter Domini voluntatem. Petimus ergo ut interempto Diabolo, ut novo sęculo, ut mutato corpore, destructo mortis imperio, ut abolita dominatione peccati, in cælo & in terra, in Deo & hominibus una Dei, & eadem sit voluntas.


Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Post regnum cæleste, terrenum panem petere non jubemur,
Matt. 6. 13. prohibente ipso cùm dicit: *Nolite solliciti esse quid manducetis, aut quid bibatis.* Sed quia ipse est *panis qui de*
Johan. 41. 50. *cælo descendit*, petimus & precamur, ut ipsum panem quem quotidie, id est jugiter sumimus, in æternitate ad victum corporis mentísque capiamus.

Et dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Sic dicendo homo indulgentiæ modum, mensuram venię statuisti, & ut tibi dedisti? qui à Domino

Domino tantùm tibi petis dimitti quantum dimiseris ipse conservo. Dimitte ergo delinquenti in te totum, suis ipse de tuis nihil Domino debere delictis. In altero dimitte tibi, si vis ipse vindicem vitare sententiam.

Et ne nos inducas in tentationem. Deus neminem tentat, Iac. 1. 13. sicut scriptum est, sed tentare dicitur, cùm contumaciter euntes ad tentationũ laqueos delinquit. Sic Adam tentatoris incurrit insidias, dum sui pręcepta deserit Conditoris. Vnde autem & à quo tentatur homo prodidit sic dicendo: *Sed libera nos à malo*: : hoc est à Diabolo, qui totius mali & auctor est & origo. Diabolus natura fuit cælestis, nunc est nequitia spiritualis, ætate major sæculo, nocendi usu tritus, lædendi arte peritissimus. Vnde non jam malus sed malum dicitur, à quo est omne quod malum est. Hinc est quod propriis viribus homo liberari non potest carnalibus vinculis illigatus. Petendum est ergo nobis, ut Deus nos à Diabolo liberet, qui Christum terris ut Diabolum vinceret commodavit. Clamet, clamet homo ad Deum, clamet *libera nos à malo*, ut à tanto malo solo Christo vincente liberemur.

Pater noster qui es in cælis, orandi thema, materiam petendi, supplicandi normã paucissimis in verbis ipse tibi, qui tibi est, exorandus indulsit, ut ex hoc tu petendi sumas sensum, ut intellectum postulandi capias, mensuram colligas impetrandi, & brevi magisterio orandi latissimam capias disciplinam, simul quia ad amoris judicium Rex ipse officio functus est advocati, ut precibus quibus responsurus erat ipse dictaret. Cunctatio ablata est tota promerendi, quando ipsum se legit in precibus qui rogatur. Metus locum non habet, ubi à Patre Filius interprete* *f.* *interpres* desiderat quæ sancta sunt impetrare.



SERMO CUIUS SUPRA DE EODEM QUARTUS.



RATRES Chariſſimi, qui vos donavit credere, ipſe vos docuit & orare, & totam petendi formam paucis aptavit in verbis; quia cùm Patrem poſtulat, multa prece Filius non laborat. Sicut enim petere cogit neceſſitas genitum, ita urget caritas dare genitorem. Pater ergo qui ſponte præſtat, non tam ut petatur, quantum quod petatur oſtendit, ut filius petendo juſta placeat, qui poteſt ſtulta poſtulans diſplicere. Audite Patrem, & vos filios eſſe jam credite, ut quæ petieritis incunctanter impetrare poſſitis. Quid valeat fides, credulitas quid poſſit, ſit quanta confeſſio hodie monſtratur in vobis. Ecce Trinitatis trina confeſſio in cæleſtem ſobolem de terrena vos ſuſtulit ſervitute: ecce fides quæ Deum locuta eſt Patrem, Patrem vobis Deum hodie conquiſivit, ecce vox quæ confeſſa eſt Dei filium, vos Dei adoptavit in filios, ecce credulitas quæ Deum ſpiritum proclamavit, de carnis ſubſtantia mortali in vitalem ſpiritûs ſubſtantiam vos mutavit. Quis pietatis tantæ dignus invenietur aſſertor? Deus Pater homines dignatur heredes, Deus filius non dedignatur ſervulos coheredes: Deus Spiritus carnem conſortem divinitati juris ditione ſuſcipit in ſupernis, Apo-
1. Cor. 6. 3. ſtolo probante cùm dicit: *Aut neſcitis quia Angelos judicabimus?* Vocat ergo Dominum Patrem, vóſque & ſi nondum natos, jam tamen deſignatos filios eſſe: jam credite, & date operam quatinus ſit vobis cæleſtis vita, ſint vobis divini mores, & forma deitatis tota veſtra præferatur in filium; qui cæleſtis Pater reſpondentes generi filios muneribus ditat divinis, degenerantes ad pœnalem revocat ſervitutem.

Pater noſter qui es in cælis. Succumberet conſcientia

servulis, terrena conditio solveretur, nisi nos ad hunc clamorem ipsius Patris auctoritas, ipsius Filij Spiritus excitaret: *Misit*, ait, *Deus Spiritum filij sui in corda nostra clamantem Abba Pater.* Lassescit mens, caro deficit ad divina, nisi Deus quæ fieri jubet impleat ipse qui jubet. Gala. 4. 6.
Quando ausa est mortalitas Deum vocare Patrem, nisi modò, quando superna virtute homines animãtur in terra? *Pater noster qui es in cælis.* Homo quid commune cum terris tibi, qui confiteris tibi genus esse in cælis? Ergo cælestem vitam monstra in habitatione terrena, quia si quid in te gesserit terrena, cogitatio cælo maculam, cælesti generi intulisti injuriam.

Sanctificetur nomen tuum. Nos petimus ut sanctificet nomen suum Deus, quod sanctitate sua totam salvat & sanctificat creaturam. Fratres hoc nomen est supernæ potestatis, pavent quod tremenda suscipiunt servitute: hoc nomen est, quod fugat Dæmones: hoc solum nomen est, quod absolvit animas Diaboli feritate captivas: hoc nomen est, quod mundo perdito dat salutem. Sed petimus ut nomen Dei actu nostro sanctificetur in nobis. Nobis enim bene agentibus benedicitur nomen Dei; nobis malè agentibus blasphematur. Audi Apostolum dicentem: *Nomen Dei blasphematur in Gentibus.* Rom. 2. 24.
Petimus ergo, petimus ut quantùm nomen Dei sanctum est tantùm nos ejus mereamur in nostris moribus sanctitatem.

Veniat regnum tuum. Quasi non semper fuerit; accessit sic regnum Christi ut veniat nunc rogamus. Et ubi est illud regnum Dei? Intra nos est. Intra nos est fides: Sed ut re veniat supplicamus. Fratres, quandiu Diabolus vario nequitiarum genere, multimoda arte fallendi, rerum faciem turbat, sensus hominum moresque confundit, sævit idolis, sacrilegis furit, fallit auguriis, divinatione mentitur, signis decipit, illudit arcis*, spectaculis occupat, obsidet vitiis, peccatis vulnerat, criminibus sauciat, desperatione prosternit, Christi regnum prolongat & absentat à nobis. Petimus ergo ut veniat tempus, quo mali tanti auctore pereunte

* artibus

mundus totus, creatura tota, totam solius Christi regnet, triumphet ad gloriam: & fiat quod sequitur:

Vt sicut in cælo ita & in terra una Domini voluntas, fit terra cælum, vita Deus, tempus æternitas, patria requies, census innocentia, honor immortalitas, furia castitas, Deus totum.

Addidit, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Post paternitatem Dei, post divini nominis sanctitatem, post cæli regnum, quotidianum panem jubemur exposcere. Christus oblivioni non subjacet, Christus mandatis suis contraria non demandat. Ipse dicit: *Nolite solliciti esse quid manducetis, aut quid bibatis.* Sed quia ipse est panis qui de cælo descendit, qui legis & gratiæ molatus est in forma, qui crucis confectus est in farina, qui crucis confectus est passione, qui magno pietatis fermentatus est sacramento, qui conspersionis levamentum sustulit de sepulcro, qui divinitatis suæ calore coqueretur ipse clibanum decoxit inferni, qui ad cœlestem cibum quotidianis Ecclesiæ defertur ad mensam, qui in remissione frangitur peccatorum, qui edentes se perpetuam pascit & enutrit ad vitam. Hunc panem quotidie nobis dari petimus, donec illo in die perpetuo perfruamur.

Matth. 6. 31.

Et dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Homo penes te est potestas veniæ, in te est indulgentia ejus, tu tibi remissionis auctor es constitutus, gratis petis veniam, qui tibi in alio indulgere contemnis. Homo tu tibi misericordiæ factus es ipse mensura: quantum quæris misericordiam fac tantum.


Et ne nos inducas in tentationem. Tentatio est, Fratres, species fallens, quæ prosperat in adversis, adversa occultat in prosperis, humanámque ignorantiam dolosos deducit in lapsos. Petimus ergo ne peccatis impellentibus in tentationum foveas incidamus. Inducere autem Deus dicitur currentes ad crimina, cùm relinquit.

Sed libera nos à malo. Hîc malum mali designat auctorem, hoc est Diabolum. Petimus ergo unum ut munere hoc malis omnibus cum malo careamus auctore.

Pater noster qui es in cælis. Nemo cùm se filium clamat,

manere se miretur in habitu servitutis. Ad divinum germen hodie designatus es, non promptus, spem non rem te noveris consecutum. Audi Apostolum. *Spe salvi estis: spes autem quæ videtur non est spes: quod enim videt quis quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus.* Hodie adoptionis est dies, hodie promissionis tempus est. Audi, crede, expecta: crede creditori tuo, qui tibi credidit debitori: expecta parumper ut veniat, qui te diu sustinuit ut venires. Da illi inducias, sed promissori, qui tibi quicquid erat debiti jam donavit: ut quid tu fatigaris spe Dei? fide vivat. Agricola nunquam sereret anhelus, si fructum laboris sui de tempore non speraret; viator labori prolixi itineris non subiret, nisi se ad destinata crederet pervenire: Nauta maris non intraret incerta, si lucris sequentibus compensaturum discrimina non pensaret: miles tota juventutis tempora non ageret in periculis, si senectutis honores copiosissimos non speraret: filius paternæ dominationis tempora non duraret, si se substantiæ paternæ non speraret heredem. Et tu si te jam filium Dei credis, juxta Prophetam: *Expecta, viriliter age, & confortetur cor tuum, sustine Dominum.* Expecta ut heredem* Dei de expectationis fide, & de virtute patientiæ consequaris. Audi Apostolum: *Filii Dei sumus; sed nondum paret quid sumus*. Cùm apparuerit similes ei erimus.* Et iterum: *Vita vestra absconsa est cum Christo, cùm apparuerit Christus vita vestra, tunc & vos apparebitis in gloria.* Fratres, beati sunt filii Dei, quia & hereditatem omnium rerum possidebunt, & de excessu Patris luctûs tempora non videbunt.

Rom. 8. 24.
Psal. 26. 20.
f. *hereditatem.
Iohan. 3. 2.
al. erimus
Coloss. 3. 3.



SERMO CVIVS SVPRA DE EODEM QVINTVS.



VOD ego modò cum magno tremore dicturus sum, quod vos estis nunc terribiliter audituri, immo terribiliter vocaturi. Stupent Angeli, pavescunt supernæ Virtutes, cælum non capit, sol non videt, terra non sustinet, tota non assequitur creatura. Quid ad hæc mortale pectus? quid ad hæc mens hominis imbecilla? quid ad istud humani sensus angustiæ? quid ad hæc humanæ vocis aura? quid ad istud humana lingua citò tacitura? Hoc Paulus invisibiliter cùm vidisset, prodidit non prodendo, dicens: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Hoc Isaïas, cum suo vix cepisset auditu, adhuc hominum pervenire posse debet ad auditum dicens: *Domine quis credidit auditui vestro?* Hoc Ieremias cùm divino concepisset auditu, partus supernorum sensuum sustinebat clamans: *Ventrem meum doleo, & sensus cordis mei perturbati sunt.* Hoc Abacuc divini Spiritus perorabat afflatu, cùm dicit: *Custodivi me, & expavit venter meus à voce obsecrationis labiorum meorum, & intravit tremor in ossa mea; & subtus me commota est virtus**. Elevatus virtute Dei, sensit suam sub se succubuisse virtutem. Longum est super hoc sacramentum pavores prosequi & dinumerare Sanctorum, tempus non sinit diu me in hoc timore dinumerari*, cœlestis partus impetus non potest tardare nascentium. Dico ergo & vos in utero adhuc penetrali voce compello, providâ exhortatione præmoneo, ut antequam videatis matrem vocetis istius patrem; ante blandimenta matris, patris tendatis & festinetis ad regnum, ante patris perveniatis ad panem, quàm matris ad ubera pendeatis. Nec in vos quicquam sibi aut matris necessitas, aut ætatis tempora vendicent, sed in vobis

1. Cor. 2. 9.

Isai. 53. 1.

Ierem. 4. 19

Habac. 3. 16. secund. 70.

al. * habitudo

f. * immorari

totum divino, patris totum cœlestis respondeat & occurrat auctorem.

Pater noster qui es in cælis. Hoc est quod pavebam dicere, hoc est quod tremebam proferre, hoc est quod neque cælestium neque terrestrium quemquam sinebat servitutis propriæ conditio suspicari, cæli & terræ, carnis & Dei, repentè tantùm posse provenire commercium, ut Deus in hominem, homo in Deum, Dominus in servum, servus verteretur in filium, fierétque divinitatis & humanitatis ineffabili modo una & sempiterna cognatio, ac divinitatis erga nos dignatio; tanta est ut scire nequeat quid potissimum mirari debeat creatura, utrum quod se Deus ad nostram deposuit servitutem, an quod nos ad suæ divinitatis rapuit dignitatem. Hinc est quòd homo quod & divinitus adoratus, tanto nunc tuo amore flammatur, quòd adhuc in utero voce tua te Deus adoptat in filium, ... O vos beatos quibus dominari datum est antequam nasci, ante regnare quàm vivere, ante ad Dei Patris gloriam pervenire, quàm prosapiam propriæ vilitatis agnoscere. Ecclesia felix mater, quæ vos tales respicit, quæ cùm virgo permanet, genuisse tantos vos & taliter se miratur.

Olim partus iste præcedentibus designabatur exemplis. Hinc est quod Iacob & Esau gemini in utero de primatûs honore prçliantur, retardant partus, nec antè lucem cupiunt videre quàm vincere. Hinc est quod Iohanne exultante, & antè suo occurrit auctori genitricis ex utero, quàm procedat. Et humana pignora sic antè Deo militant, quàm noscantur parentibus, quàm vivant sæculo. Quid mirum, si Ecclesiæ divina germina, si Deus sua sobole in utero adhuc quod sit superni germinis jam fatetur: *Pater noster qui es in cælis.* Stupor insurgit, Christus Dei Patris de pectore matrem vocat & fatetur in terra, & homo de matris utero Patrem vocat & confitetur in cælis: *Pater noster qui es in cælis.* Quò te homo repente provexit gratia, quò te rapuit cœlestis natura, ut in carne & in terra positus adhuc, & carnem jam

nescires & terram dicendo : *Pater noster qui es in cælis.* Qui ergo tanti Patris filium confitetur & credit, respondeat vita generi, moribus patri, & mente atque actu asserat quod cælestem consecutus est per naturam.

Sanctificetur nomen tuum. Cujus utique genus esse cœpimus, ejus utique censemur & nomine Et ideo petimus ut in nobis illius nominis sanctificatio perseveret, honor & prærogativa nominis, quod sublimavit sic tanti genitoris celsitudo.

Adveniat regnum tuum. Non illi petimus cui nunquam deest, nec defuit regnum, immo qui est ipse sibi regnum, totámque in se regni continet potestatem. Sed qui nos vult ad promissam regni sui gloriam pervenire, monet nos expetere omnibus hoc votis, in hoc vult nos totis mentibus inhiare. Quantum namque est temerarius, qui discutit de genere, ignarus est qui non audeat, æstuat, anhelat, cùm promissum intendit & pertendit ad regnum.

Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Tunc jam totum est cælum : tunc autem Dei mens una omnibus, tunc in Christo omnes & in omnibus Christus, quando omnes solius Dei sapiunt & faciunt voluntates; tunc omnes unum, immo unus omnes, quando Dei Spiritus in omnibus vivit unus.


Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, sicut in
Psal. 67.22. Psalmo : *Benedictus Dominus die quotidie.* Ita hîc *panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quotidianum jugem dicimus. Iugis panis ille est qui de cælo descendit : *Ego sum panis qui de cælo descendi.* Perfectæ ergo beatitudinis est ille panis. *Hodie* hoc est in præsenti illius panis jam cibo vivere, cujus perpetuitate, quod est quotidie, saginabimur in futurum.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. De supplicantis pectore veniæ fons emanat, & ad veniam refluet quicquid pietatis exuberat, & effundet in alterum, quando indulget sibi tantum, quantum alteri condonarit. *Dimitte nobis debita nostra,*

sicut

ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Satis poteſt homo miſericors, qui cum Deo de pietate confligit, cùm tantum ſibi dari quantum dederit, quantum donaverit, tantum deſiderat & donari. Homo ſemper in pectore tuo venia ſi vis crimina non timere.

Et ne nos inducas in tentationem. Hæc interpretatione non indigent, quia tentatio Diaboli prævia & amara miniſtra eſt. Quamdiu verò hoc fragili continetur in corpore, neceſſariò precatur, ut in nos nec tentationi pateat aditus, ne Diabolo tribuatur acceſſus. *Sed libera nos à malo:* ipſe autem Dominus noſter Iesus Chriſtus liberet nos à malo, & perducat ad omne bonum, qui vivit & regnat Deus modò & ſemper, & per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.



LIBER
DE STVDIO THEOLOGICO
NICOLAI DE CLAMENGIIS,
Ad Iohannem de Pedemontio Baccalarium in Theologia, eruditum ac discretum virum.

al. * Diserte

NON fuit animus, Vir Discrete*, quando ad tuam ante aliquanta tempora charitatem, quæ me suis prioribus litteris ad calami invitaverat officium, rescripsi, te à Libri, quem Sententiarum dicunt, publica lectione graduúmve aspiratione deterrere. Neque enim noveram ea de re aut tecum amicos aut te cum amicis egisse, téque eatenus jam provectum quod tibi feliciter cedat ignorabam: absit enim ut homines generosæ indolis, ingenio acutos, politos eloquio, spiritu ferventes, affectu sinceros, bonam de futuro in Ecclesia Dei profectu spem præferentes, qualẽ te fore prima specie ex tuis ipse conjicio scriptis à labore velim studii revocare. Scio in illo tyrocinio futuros Christi milites probari, exerceri, armis instrui. Ibi boni coloni agrum Dominicum colere discunt, inde semina accipiunt, quæ posteà uberiùs spargant. Illic operarii vineæ Dominicæ putare, fodere, propagare docentur: illos tantummodò perfunctoriè ac transeunter, tunc meus sermo notâ aliquantulâ perstrinxit, qui titulos magis affectant quàm scientiam, florem quàm frugem; nomen vanum, quàm dogma sanum; non ipsos quidem gradus arguens, sed inanem ostentationem, sed otium, sed inertiam, sed pompam, sed ambitionem. Non enim in culpa est gradus, sed mens vitiosa quæ illo non rectè utitur: quemad.

modum nec in culpa est Episcopatus, si quis illum adeptus illo abutitur, quem *si quis*, ut ait Apostolus, *desiderat, bonum opus desiderat*. Vbi attende quòd Episcopatum non dignitatem, non auctoritatem, non primatum aut præsidentiam vocavit, sed opus bonum; ut sciat qui ad Episcopatum assumitur; non tam se ad præsidentiæ dignitatem, quàm ad bene operandum vocari, de gradu Magisterii vel Doctoratûs eâdem licet ratione sentire. 1. Tim. 3. 1.

Audimus Apostolum dicentem quosdam Dominum in Ecclesia dedisse Apostolos, quosdam Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores & Doctores. Quis audeat malum dicere quod Dominus in Ecclesia sua Apostolico testimonio instituit. Et vide quòd duo novissima signanter invicem conjunxit cùm superiora singula posuisset, ut intelligant qui Pastores sunt Doctores se esse debere; quoniam quidem & pascere nihil aliud est nisi vitâ, verbo, exemplo bene ad salutem docere. Non sunt ergo Pastores nisi qui Doctores, nec Doctores vicissim habendi, nisi iidem Pastores sint. Ad quid autem instituti sunt in Christi Ecclesia Pastores & Doctores nisi ad pascendum & docendum? Quis tam ignarus, ut nesciat verbalia ista, Pastor & Doctor nomina esse officiorum & actuum? Nec solùm ut Pastor aliquis sit aut doctor verbi actus exigitur, sed ars simul usus & habitus. Neque enim continuò textor est qui semel texuit, nec confestim pictor qui semel pinxit. Dicunt Grammatici, & propriè dicunt verbalia ista activis à verbis exorta actum significare in habitum conversum; quod, meâ quidem opinione, nihil aliud est, nisi quòd illi qui tales dicuntur, frequentia & assiduitate operandi habitum debent illius actionis quæ suo nomini congruit induisse, ut aptè, promptè, faciliter ubi & quotiens opus est illam exequi possint: quemadmodum in omni artificio facilè operatur, qui ex habitu operatur. Est itaque Pastor qui pascendi arte peritus, habitu exercitatus, usu assuetus, affectu voluntarius, facilè, paratè, congruè, delectabiliter pascit. Et ad eundem modum de Doctore & Oratore cæterísque similibus possumus dicere.

Ephes. 4. 11. Qui verè Pastores in Ecclesia dici debent.

Quæ si vera sunt, qua impudentia Pastorum nomina sibi vendicant, qui nec prima quidem rudimenta pastoriæ artis audierunt, nec ullum unquam ejus actum exercere studuerunt, qui artem ipsam oderunt, vilémque & indignissimam judicant, qui loca pascuorum, quæ sunt amęnissima vireta Scripturarum, nec visu habent, nec auditu comperta, qui denique salutaria gramina à noxiis ac venenatis discernere nesciunt. Quale ergo est quàm absurdum si textorem se dicat qui nunquam texuit, nunquam texere didicit, nunquam studuit, nunquam tentavit nec tẽtare proponit, qui nunquam ad textrinum sedit, nec staminis & subtegminis distantiam novit? Quid magis à rerum natura alienũ quàm de cœco speculatorem facere, de muto & elingui Doctorem, de lupo vel fure Pastorem? Quomodò illos Pastores possumus appellare, qui non oves quidem ipsas, sed de ovium succo ac sanguine seipsos lupino more lautè pascunt: qui nihil sua interesse putant, utrum oves fame vel macie, morbo vel peste pereant, dum vel pellem habeant; qui non feras ab ovili arcent, non lupos cornibus, sed gregem ventilant, & quasi pacto cum lupis inito hunc ipsum gregem lacerant, inde lupos pro arbitrio lacerare permittunt? Quis illos Pastores dixerit, qui nec saltem mercenariorum nomen merẽtur, cùm nec pro temporali etiam mercede gregẽ pascant? Lupos nimirũ vel fures non pastores dixerim, qui luporum vel furum non Pastorũ opera sectantur. Quid agit lupus in ovili? Non nostra sed Salvatoris verba respondeant: *Lupus*, inquit, *rapit & dispergit oves.* Si luporum est dispergere, quid aliud quàm lupi erant de quibus Dominus per Ieremiam imprecando loquitur: *Væ Pastoribus qui dispergunt & dilacerant gregem pascuæ meæ.* Porro quæ sint furis opera idem quoque Salvator exprimere curavit, cùm de eo ait: *Fur non venit nisi ut furetur & mactet, & perdat.* Quales erant quos per Ezechielem Dominus increpat: *Væ pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos: lac comedebatis & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis.* Quales præterea singulos esse qui aliunde quàm per ostium, quod est Christus, ingrediuntur, teste rursus

Iohan. 10. 12.

Ierem. 23. 1.

Iohan. 10. 10.

Ezech. 34. 2.

Evangelio didicimus. Pauca iſta non tam ex propoſito, quàm ex oblata occaſione de Paſtoribus breviter dixerim, quę uberiorem longè poſcunt tractatum, & quę mihi tamen in reſponſione ad tua poſtulata ſuffragari poterunt.

Quæris enim per me patefieri, quid tibi ad ſalutem congruentius exiſtimem, ad gradúmne tendere, an ſine gradu agere; magiſterium amplecti, an reſpuere. Legiſti, ut credo, apud Terentium, quæ eſſe in homine bona dicuntur, parentes, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, divitias perinde eſſe, ut illius animus eſt qui ea poſſidet. Qui uti ſcit, ei bona; illi qui non utitur rectè, mala. Quæ ſententia veritatis certitudine pulcherrima non ſolùm illa complectitur, quæ ille exempli gratiâ enumeravit, ſed juxta formam verborum ſuorum cuncta propemodum quæ in homine dicuntur eſſe bona. Inter bona autem hominis unum ex præcipuis & maximè commendabilibus, eſt ſalubriter docere, quoniam ad Chriſti imitationem illa potiſſimùm re acceditur, cujus tota vita in docendo acta eſt. Modò namque diſcipulos docuit, modò turbas, modò Phariſæos interdum in Synagoga, aliquando in templo, nunc in terra, nunc in mari, nunc in monte, nunc in planitie ſæpè plurimos; nonnunquam ſingulos plerumque verbis, ſemper autem factis laudabiliúmque operum exemplis. Quis ergo illud non fateatur eſſe optimum quod Chriſtus omnis boni forma in mortali carne vivens inceſſabiliter operari curavit? Quid autem eſt Doctorem eſſe, niſi arte, uſu, exercitio, ſalutis æternæ affectu alios docere? Non cappa quippe Doctorem facit, non birreti magiſtralis impoſitio, non cathedra ſublimior aut locus ſuperior. Signa iſta extrinſecus adhibita, quòd* quis vita, moribus, fidei integritate, copiâ eruditionis alios docere idoneus ſit demonſtrant; ſed nemo verè Doctor cenſendus eſt (ſicut licet ex ſuperioribus agnoſcere) niſi ad artem docendi actus pariter & habitus acceſſerint. *f. * quibus* *Quis Doctor cenſendus eſt.*

Quare ſi quæris utrum te Doctorem eſſe expediat, facilè & incunctanter reſpondeo omnino expedire, nec

ullum posse tibi statum perfectiorem inter mortales contingere. Si verò quæris utrum ad apicem vel gradum magisterii signis illis exteriorbus designari soliti te provehi tibi conducat, non me super ea re debes interrogare, sed teipsum. Id enim est ex bonis mediis quibus & bene uti licet & abuti, quæ unicuique juxta Comicum talia sunt qualis est animus. Tuum itaque super hoc consule animum, tuam mentem, tuum propositum tecum ipse diligentiùs investiga. Quibus ex causis ad hoc impellaris, quibus motibus attraharis, latebras ac penetralia tui cordis evolvendo tecum specta ac considera. In qua tua consideratione si affectum ad mundanam pompam & vanos sæculi honores, ad ambitionem prætereà amplificandæ rei familiaris tibi vehementiores ad hoc stimulos ingerere senseris, tu tibi potes testis esse, quia non tam docere quæris, quàm ditari & honorari in sæculo: sícque non tam spiritualem tuæ & aliorum salutis, quàm temporalis abundantiæ aut excellentiæ tibi finem præstituis. Si verò ratio vel exuta tali affectu, vel quia illum prorsus exuere perdifficile est, non illo magnopere vel principaliter adducta se illo potissimum gradu ad propriam & proximorum salutem persollicitæ prædicationis officium uti velle responderit, eáque de causa ad id conari atque aspirare; quis hanc sanctam & cælitus immissam voluntatem non jure debeat laudibus attollere?

Quo animo quis Doctor effici debeat.

Et quia tu sacræ Theologiæ studium sæcularibus & quæstuosis omissis professionibus, ad quas hodierna tempestate omnes penè convolant, cœlesti, ut credo, ductu expetendum duxisti, satis, ni fallor, intelligis quàm turpe, quámque indignum sit hanc spiritualem & sacro-sanctam sapientiam non humanitus inventam, sed ad Dei cognitionem æternámque beatitudinem capessendam divinitus ordinatam ac revelatam, ad quæstum vel ad vanitatem convertere, & non aliter quàm de manuali aliquo artificio inde lucrum quærere, opes cumulare, insatiabilíque cupiditatis æstu temporalia aucupari. Magna sanè spiritualis intentionis sinceritate debet hujus nobilissimæ scientiæ studium suscipi, quę tantò cæteris præstat scien-

tiis, quantò Creator creaturis, cælum terris, æterna & inconmutabilia caducis ac mutabilibus. Non ad illam debent cupidi accedere aut ambitiosi, ut illam suarum ambitionũ ministram faciant; sed potiùs ut per illam edocti mundum & omnia quæ in eo sunt contemnere discant, æternæque felicitatis desiderium amplecti. Ex cęteris licet scientiis, quæ circa terrena versantur, quantum ęquitas & recta conscientia permittunt, terrena emolumenta adipisci; ex ista autem talia captare, tam absurdum est, tam vile ac fœdum, quàm Deum propter stercora diligere: sic enim temporalia commoda appellat Apostolus. Nec debet hujus salutiferæ doctrinæ professor timere, ne dum ad patriam se ac cæteros per illam dirigit, terrena sibi subsidia in via deficiant: *Primùm*, inquit, *quærite regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis*. Non temporalia quæri mandat viatica, sed de esca & tegumento, cæterísque vitæ mortali necessariis sollicitudinem adimit, in Dominicíque agri cultura diligenter laborantibus hæc ultrò adjicienda promittit. Ergo ne ille qui super injustos & peccatores, & suis contumaciter mandatis obsistentes tantam bonorum copiam sæpè pluit, super justos & obedientes nubes suspendet, operariósque vineæ suæ pondus diei & æstus sufferentes nullo imbre gratiæ suæ irrigabit? Audi verba Psalmi: *Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in eis qui sperant super misericordia ejus: ut eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame*. Quare sint de vitæ necessariis solliciti, super quos indeclinato aspectu ne fame pereant Deus assiduè respicit? Tantùm firmam in ipsum fidem habeamus, spémque inconcussam in eo figamus, & superflua non desideremus, & tunc certi esse poterimus, quòd nobis necessaria non deerunt.

Quàm perfecti & sancti esse debent Doctores.

Matt. 6. 33. Luc. 12. 31.

Psal. 32. 18.

Sed nos sub prætextu necessariorum sinum nostræ cupiditatis ad ambienda superflua nimium laxamus, quibus inflati & suffarcinati nec jam ad Deum ipsi contendimus, nec alios trahere curamus; verùm desidioso potiùs otio corrupti recedimus: levem siquidem & valde expeditum illum esse oportet qui ad Deum properat, quoniam &

arcta est via quæ ducit ad vitam, & porta angusta qua
Matt. 7. 14 ad eam intratur. Quis autem ingentibus sarcinis onustus aut per arctam viam transire, aut per angustam potest portam nisi onera deposuerit intrare? Hinc
Matt. 10. 10. Marci. 6. 8. Lucæ 9. 3. & 10. 4. est quod præconibus verbi cælestis in prædicationem missis Salvator præcipit, ut nihil in via secum ferant. Sciebat quippe vitæ necessaria illis nequaquam defutura, sed ab his quos erudirent, quosque ad fidem adduerent statim præbenda; unde & propter expeditum levémque
Isaiæ 60. 8. discursum nubes illos Propheta vocat: *Qui sunt isti qui ut nubes volant?* Si autem apud Ethnicos & infideles prædicaturi de alimentorum penuria non timere jubentur, quo pacto fidelis Prædicator fidelibus prædicaturus debet de necessariorum ministratione diffidere? Quæ res majorem homini gratiam, majorem amorem apud populum conciliat, quàm bona vita, bona doctrina, & zelus fervens salutis animarum? quæ si in aliquo esse cernantur, ita colitur & diligitur ut felicem se is existimet de cujus ille dignatur bonis accipere. Invitatur ille, undique trahitur, undique urgetur, undique fortunata indicatur domus quæ talem meretur hospitem excipere, nunquid tali magnum imminet periculum ne fame laboret?

Qui recta docet & malè vivit magnũ sibi & Ecclesiæ adfert detrimentum.

Ad Theologum igitur sive Prædicatorem (hæc enim pro eodem habeo) in primis pertinet bene secundùm Deum vivere, in mandatorúmque ejus observatione, morúmque compositione formam ceteris ac speculum se præbere, ut ad Christi imitationem, qui, ut legimus,
Act. 1. 1. *cæpit facere & docere*, non à doctrina sed ab opere incipiat, quæque alios agere monet, prior ipse agat, ne dum recta docet, & perversa facit, operum exempla, quæ plus verbis excitant, vim suæ prædicationis evacuent. Si quis claudicans formam doceat rectè ambulandi, nonne risum omnibus movet potiùs quàm attentionem? Quis fornicatorem aut adulterum de castitate prædicantem non contemnat. Quis sui tenacem, alieni rapacem, si ad dandas liberaliter eleëmosynas exhortetur non rideat? Nequit animis audientium contemptum vanitatis homo vanus & pompaticus ingerere. Si ad pacem contentiosus

ac

ac discordiosus admoneat, ad mansuetudinem iracundus, ignavus ad strenuitatem, nonne quisque eorum meritò audiat, *Medice cura teipsum?* Non magnam potest efficaciam persuasionis illa oratio habere, quam ipse etiam auctor rebus impugnat. Posset aliquis auditorũ audacior frontem talis Prædicatoris magno his verbis rubore perfundere: te qui nobis in via morum & laudabiliter agendæ vitæ ducem profiteris, in ipsa quam doces & nosti via præcedere oportuerat, nos sequi qui nescimus, quid tanta nobis de pudicitia præceptor impudicus verba facis? Si ea ad paradisum via est quam prædicas, cur illam non tenes, sed per contrariam incedis? Non boni ductoris est ad Orientem quos ducendos suscepit mittere, & ipsum ad Occidentem proficisci, pedes Ducis non linguam attendere convenit, gressus non verba sequi. Quid nobis prodest ductorem habere egregiè de recta via disputantem, & suo erroneo ducatu non nos ad patriam, sed ad hostilia potiùs regna ducentem? Quis ejus verbis credat quem re videt fallere? Quis fidem de via illi habeat quem videt errare? Aut igitur per viam ambula quam monstras si bonam nosti, aut nos circumvenire desine si ut malam abhorres.

Luc. 4. 23.

Vide quid ad hæc ille confusus posset respondere. Ergo reprehensorem vitiorum maxime à vitiis decet alienum esse, ne Apostolicam illam sustineat exprobrationem: *Qui ergo alium doces, teipsum non doces. Qui prædicas non furandum, furaris. Qui dicis non mœchandum, mœcharis.* Quid turpius quàm contra semetipsum testimonium de aliquo gravi crimine in publico dicere. Qui autem id committit quod palam arguit, quid aliud quàm publicum contra se perhibet testimonium? Quantò meliora dixerit, tantò gravior sui ipsius accusator erit. Sicut maximum pondus habet illa doctrina, quam virtus & vita confirmant; ita illa quæ horum caret commendatione perdit fidem, perdit pretium, perdit pondus & auctoritatem: levis quippe solet & parvi momenti haberi oratio, quæ non ex loquentis animo procedere creditur. Quis autem illam credat ex animo venire, cui

Rom. 2. 21.

apertè videt opera repugnare? Signa sunt animorum verba, signa sunt & opera; sed ista illis longè certiora minúsque fallacia. Propterea Christus ad Pharisæos verba

Iohan. 5. 36. sua calumniantes: *Opera quæ ego facio ipsa testimonium*

Iohan. 10. 38. *perhibent de me.* Etiterum: *Si verbis non creditis, saltem operibus credite.* Vtinam omnes prædicatores suum possent hoc Christi argumento confirmare sermonem; sed

Gen. 27. 22. infinitos hodie videmus quibus illud aptari potest: *Vox quidem vox Iacob est, sed manus manus sunt Esau.* Illud quo-

Matt. 23. 3. que Evangelicum de Pharisæis: *Omnia quæcumque dixerint vobis servate & facite. Secundùm verò opera illorum nolite facere. Dicunt enim & non faciunt.* Plenus est mundus Sacerdotibus, plenus est Doctoribus & Prædicatoribus, & quare tantam abundantiam iniquitatis ubique cernimus, nisi quia inanis est prædicatio, quam charitas quæ nescit esse otiosa non adjuvat? Quomodò corda accendet qui sine igne est? Quomodò sursum ducet qui in imis jacet? Quo pacto vocem virtutis habebit qui sine spiritu & virtute est? Virtutem voci Prædicatoris Spiritus sanctus tribuit, cor ejus zelo caritatis inflammans. Illa est quæ corda penetrat & transfigit, intimísque facit hærere verba præcordiis, sine qua etiam si linguis hominum loquatur quis & Angelorum factus est velut æs sonans aut cymbalum tinniens.

Quibus studere debeant Doctor ac Prædicator.

Quæris forsan testimonium? Audi abundè ex verbis

Psal. 67. 10. Psalmi qui de Spiritu sancto canitur: *Pluviam voluntariam segregabit Deus hereditati suæ, & infirmata est;*

Ibid 35. *tu verò perfecisti eam.* Quid sunt nubes nisi prædicatores, de quibus in eodem Psalmo: *Magnificentia ejus & virtus ejus in nubibus?* Quid pluvia voluntaria quam segregat Deus hereditati suæ, nisi sancta & sibi placita spiritualium prędicatio quam per eos populo suo ministrat? Quid enim quod ait; *Infirmata est & tu perfecisti eam,* nisi quod hominum prædicatio ad fructum spiritualem ex seipsis invalida & infirma, sed aspiratione Spiritus

1. Cor. 3. 7. sancti perficitur & fœcundatur? Plantet Paulus, riget Apollo, spargat sator, pluant nubes, *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat Deus.* Quod apertè ejusdem Psalmi sequentia manifestant: uno-

enim interjecto versiculo apertiùs subditur: *Dominus dabit verbum Evangelizantibus virtute multa.* Et in fine Psalmi: *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis.* Dat Spiritus voci suæ vocem virtutis, quia illi voci aspirat, & virtutem quæ ex charitate procedit, non ex pulvere cupiditatis vel vento inanis gloriæ, illámque suam non loquentis vocem deputat, quam charitas emittit, non terrenæ ambitionis alicujus occasio elicit, juxta verbum Christi. *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.*

Psal. 67. 12.

Matt. 10. 20.

Summopere igitur studeat Prædicator quando ad verbũ Dei dispensandũ accedit, ut in charitate & gratia sit, quatinus ex radice charitatis sua surgat prædicatio; & non tam ipse quàm Spiritus sanctus suo ore loquatur, suam verbis ejus flammatis virtutem largiter influens ad transfigenda velut igneis quibusdam sagittis corda audientium, ut possit quilibet auditorum illis sagittis ardentibus ad cordis intima percussus dicere: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescit ignis.* Illæ enim sagittæ potentis acutæ sunt, & valido nimiùm feriunt ictu quæ sunt cum carbonibus desolatoriis, id est, quæ ex igne & cum igne veniunt charitatis, desolationem in peccatore consolabiliter agente juxta vocem Psalmi: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Nec tantâ debet vigilantiâ verbi seminator ad cultum aut ad formam sermonis curiosúmve artificium attendere, quàm ut sana & incorrupta sit radix illa. Quem enim possunt radice viciata rami fructum producere? Non antè Isaïas ad prædicandum se ingessit, quàm Seraphin, qui interpretatur incendium, calculo de altari sublato os ejus & labia tetigit ac mundavit. Supra quippe causam taciturnitatis ostendens dixerat: *Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum.* Ieremias ex matris utero sanctificatus ad increpanda populi vitia directus, trepidus atque cunctabundus se excusat, & antequam onus aggrediatur hæç verba præmittit: *Et misit Dominus manum suam & tetigit os meum, & dixit ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo.*

Psal. 38. 4.

Psal. 93. 19.

Isaïa 6. 7.

Ibid. 5.

Ierem. 1. 9.

Quid est autem os Prædicatoris à Domino tangi nisi cor mundari, rubiginémque ab eo non sinceræ intentionis igne charitatis excoqui & abstergi? Os nempe in Scripturis sacris sæpe non pro organo exteriori, sed pro corde ponitur, sicut etiam verbum frequenter non pro linguæ sermone, sed pro mentis accipitur conceptu. Inde est il-
Psal. 36. 30. lud de Psalmo: *Os justi meditabitur sapientiam.* Constat autem non vocalis organi sed cordis esse meditari. Cor autem est quod in homine purificari opus habet, quia
Matt. 15. 18. illud est quod verè polluitur & hominem polluit. *De corde siquidem*, ut ait Salvator, *exeunt cogitationes malæ*, & cuncta quæ coinquinant hominem, quo mundo omnia munda sunt, & quo polluto nihil est mundum, quantumcumque foris nitidum aut cultum appareat. Denique ad
Isaia 6. 7. Isaïam missus ait Seraphin: *Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Certum est autem non labiorum tactu sed cordis peccata mundari.

Concionatorem sæpiùs meditari in lege Dei oportet.

Vt autem charitas Dei copiosiùs in corde Doctoris per Spiritum sanctum diffundatur, & per ejus vocem, quæ verbi ejus & charitatis velut quoddam vehiculum est, in cordibus etiam figatur auditoris, necesse est ut in lege Dei vigilanter & assiduè meditetur. Illa etenim lex sancta & spiritualis & immaculata convertens animas, si attenta investigatione ac meditatione ruminetur munda animalia facit, & digna Domino offerri, spirituales quoque in omnibus maximè parit affectus, ut pote à Spiritu sancto instituta. Hos autem inducendo carnales educit, mundanos expellit, vagos & curiosos exturbat. Gaudet admodùm Spiritus sanctus dum ex ore Prædicatoris sua audit verba sonare, illis adest, illa dirigit, illa sequitur & comitatur, & in cordibus impressa audientium fructificare facit. Aliena verò non ita fovet & complectitur, nec spiritualis incrementi tantam illis largitur virtutem, qua-
Matt. 15. 13. re illa facilius tollit atque eradicat inimicus. *Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cælestis eradicabitur.* Quæ autẽ doctrina ita est Patris plantatio, sicut scriptura quam Pater sanctificavit & misit in mundum? Audimus in

parabola seminantis semen quod secus viam cecidit conculcatum esse à viatoribus, à volucribúsque cæli comestũ, quod interpretans Christus ita dicit: *Qui secus viam hi sunt qui audiunt, deinde venit Diabolus & tollit verbum de ore eorum, ne credentes salvi fiant.* Totum itaque Theologi viri studium Canonis sacri debet invigilare lectioni, & in illius intelligentia non de viribus ingenii quantumlibet acutus fuerit præsumere, sed ut profunda ejus mysteria possit agnoscere ex illustratione Spiritus sibi tribui oportere persuasum habeat, qui testimonio Apostoli, *Omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Vnde & post verba ista protinus adjungit idem Apostolus: *Quis enim scit hominum quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis qui in ipso est; ita & quæ Dei sunt nemo cognovit nisi Spiritus Dei?* Si autem nemo cognovit nisi Spiritus Dei, quis alius potest nota facere nisi ille, vel cui ille revelaverit? Proinde legat diligenter Theologus sanctorum Patrum libros ac commentarios qui Spiritu sancto illustrante edocti conscripserunt, cælestiáque illarum sacramenta literarum enodaverunt. Illi fuerunt viri verè spirituales, spiritu humiles, virtute sublimes, sensu fœcundi, affectu fervidi, sermone clari, fructu copiosi. Illi sunt velut rivuli quidam ex fonte sacrorum eloquiorum decurrentes, & sicut rivus ad fontis notitiam atque conspectum retrorsum ascendendo perducit, ita aquâ, id est, doctrinâ horum rivulorum homines potati paulatim mundanorum contemptu ascensiones in corde suo disponunt, & ad haustum cælestis sapientiæ, cujus fons in excelsis manat, per Scripturarum intelligentiam perveniunt; de quo fonte legimus dictum: *Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis.*

Matt. 13. 19.

Sacræ Scripturæ intelligentiam non ex ingenij subtilitate, sed à Spiritu sancto assiduè exposcat.

1. Cor. 2. 10.

Ibid. 11.

Legat SS. Patrum libros.

Eccli. 1. 5.

Quocirca miror Theologos nostri temporis paginas divinorum Testamentorum ita negligenter legere, & nescio quarum satis sterilium subtilitatum indagine sua ingenia conterere, útque verbis utar Apostolicis, *Languere circa quæstiones & pugnas verborum*, quod Sophistarum est non Theologorum. Quid est autem languere circa quæstiones ac pugnas verborum; & quid sibi volunt illa verba Apostolica? Illos procul dubio reprehendere vo-

1. Tim. 6. 4.

sunt, qui omissa fertili & fructuosa arbore sacrarum Scripturarum in silvaticis & sterilibus pabulum doctrinæ requirunt, inter quas languere dicuntur, id est, fame & jejunio, nullo ibi reperto fructu, tabescere; & si quem fortè in illis fructum invenire contingat, similis est pomis Sodomorum, quæ exteriori quidem specie pulchra & decora videntur, ubi verò ea manu carpes in pulverem ac fumum solvuntur. Pulchra namque primo conspectu videntur sophismata, ingeniosa, acuta, subtilia, sed si verborum soluta intricatione fructum ibi requiras velut fumus evanescunt, quia intus inania fuerunt. Propterea scriptum est: *Qui sophisticè loquitur odibilis est; omni enim sapientia defraudatus est.* Non tam subtilia vult nos Deus quàm utilia & discere simul & docere, qui per Isaiam dicit: *Ego sum Deus tuus docens te utilia.* Et iterum per eundem: *Confundantur pectentes & texentes subtilia, & erunt irrigua ejus flaccentia. Omnes qui faciebant lacunas ad capiendos pisces.* Solebant antiqui Patres & Theologi, quorum per Ecclesiam sunt approbata scripta, nihil dicere vel astruere, nisi quod Scripturarũ testimonio posset confirmari. Vnde & Hieronymus ait: „ Quod de Scripturis sacris non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur qua probatur. Rectissimè planè illi quidem, quoniam in his quæ divina sunt nihil debemus temerè definire, nisi ex cælestibus possit oraculis approbari: quæ divinitus enunciata de his quæ scitu de Deo sunt necessaria, aut ad salutem oportuna, si diligenter investigarentur nos sufficienter instruunt. *Omnia*, inquit Christus ad discipulos, *quæ audivi à Patre meo nota feci vobis*: subaudi ad salutem vestram & illorum quos docturi estis expedientia, aut de mea cum eodem Patre sempiterna divinitate per vos sciri necessaria. Neque enim omnia divinitatis arcana quæ à Patre & cum Patre æternaliter cognoscebat nota illis fecerat, cùm de tempore adventus sui & die Iudicij, quod utique compertum habebat, vehementer rogatus indicare recusaverat, sciens non ad salutem conferre id aperiri.

Eccli. 37, 23. — Isaia. 19. 9. — Iohan 15. 15.

Error Theologorum Scholastic.

Nunc autem plerosque videmus scholasticos sacrarum

inconcussa testimonia literarum tam tenuis æstimare momenti, ut ratiocinationem ab auctoritate ductam velut inertem & minimè acutam sibilo ac subsannatione irrideant, quasi sint majoris ponderis quæ phantasia humanæ imaginationis adinvenit, quàm quæ divinitas cælitus aperuit, cùm, teste Apostolo, *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis sit ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum & erudiendum in justitia: Vt* perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus, ad quæ illa sunt parum utilia in quibus hodie plurimi exercentur, quæ licet intellectum utcumque acuant, nullo tamen igne succendunt affectum, nullo motu excitant, nullo alimento pascunt, sed frigidum, torpentem, aridum relinquunt. Inde est quod ad prædicandum tardi adeò & ignavi sunt, quia scientiam ad hoc utilem minimè didicerunt, supervacuisque occupati utilia & necessaria omiserunt. Illa est vera scientia quæ Theologum decet, quámque omnis debet Theologus expetere, quæ non modò intellectum instruat, sed infundat simul atque imbuat affectum. Per hanc & sibi homo proficit, & aliis per hanc placere Deo in primis studet, & illud opere exequi: *Miserere animæ tuæ placens Deo*: Et cùm Deo placere animam suam bene vivendo docuerit, ceteros certat ex charitate ad illum bene prædicando attrahere, juxta illud viri sapientis: *Si sapiens fueris, tibi* & aliis *eris, si verò stultus** *solus portabis malum.* Ad quod pertinet illud Iohannis in Apocalypsi: *Qui audit, dicat veni*: hoc est qui cœlestibus obedire didicit præceptis, proximum ad viam Domini vocando secum venire hortatur. Paulus quoque ad Timothæum loquens hunc ordinem servandum præscribit: *Attende*, inquit, *tibi, & doctrinæ; insta in illis.*

1. Tim. 3. 16.

Eccli. 30. 24.

Prov. 9. 12.

a. * illusor

Apoc. 22. 17.

Isti sunt fines quorum gratiâ omnis debet Theologus studere, & ad quos suum totum conferre studium. In his assiduè versari, jugiter exerceri: quoniam in his tota legis pendet perfectio, totáque summa Scripturarum, imò vitę humanæ ad hæc referenda est. *Plenitudo namque legis*, sicut Apostolica nos docet auctoritas, *est dilectio*. Quomodò autem diligit Deum, qui fratris salutem negligit?

1. Tim. 16.

Rom. 13. 10.

1. Iohan. 3. 10. *Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodò potest diligere?* Verba sunt beati Iohannis in epistola. Quomodò autem fratrem diligit, qui illius pro viribus saluti subvenire negligit, maximè si artem docendi habet, locum & officium tenet. Neque enim illa censenda est vera dilectio nobis illo præcepto divino indicta, si hominem ad temporales divitias, aut mundanos honores, aut sæculi auctoritatem diligamus, cùm nosmetipsos magis ad salutem quàm ad talia debeamus diligere, qui proximum tanquam nos ipsos diligere jubemur. Quid aliud est scientia, quæ omni pio exuta affectu solam intelligentiam instruit, nisi fomentum vanæ gloriæ, & lampas sine oleo, qua à regni cælorum ingressu fatuæ virgines laudibus hominũ delectatæ excluduntur? Illa Luciferum luce cognitionis adeò sublimiter insignitum in illã insanissimam extulit superbiam, qua à summis cælorum ad ima inferorum pręcipitatus est. Illam signavit Apostolus
1. Cor. 8. 1. quando dixit: *Scientia inflat.* A quo hydropico tumore
Ibidem. sanari non potest nisi per charitatem, de qua subdit: *Charitas verò ædificat.* Ista est oleum quod lampadem cognitionis extingui non sinit; quódque omnes sapientes virgines, id est, omnes doctæ animæ veráque & cęlesti sapientia institutæ secum in vasis suis semper portare debent; quo lampas, seu lucerna doctrinę vacuata quantò ante conspectum Sponsi interno conscientię splendore nimis lucere potest, tantò magis exteriùs ante homines, quibusdam quasi crebris scintillis cum atra quadam fumi caligine foras emicantibus, lucere videri affectat; sed lux illa solido pabulo quo alatur & conservetur destituta facilè cum fumo ipso evanescit.

Quis scopus illius qui Theologiæ studium impendit.

Summa igitur illius qui theologicum recta intentione amplectitur studium ea sit, ut formam se virtutis ad imitandum ceteris præbeat: nisi enim amicus Dei sit, sua sibi secreta non manifestabit; nisi foris luce virtutis effulgeat, alios oportunè ad virtutem ędificare non poterit. Vt præterea ad intelligentiam Scripturarum totis virium conatibus elaboret, assidua lectione, sedula meditatione, frequenti oratione, quæ illam maximè impetrat intelligentiam

tiam

tiam, ut ad illas totum suum conferat studium, & quæcumque extra illas viderit aut legerit, illarum gratia videat; ut doctrinas supervacuas, plúsque curiositatis quàm utilitatis habentes effugiat, quæ contemptum & fastidium sacrarum litterarum in animis pariunt, curámque vanæ ostentationis, & consequenter ambitionis solent immittere: ut diligenter, libenter, frequenter prædicet, quæque de cęlesti sapientia sibi fuerint communicata aliis etiam impertiendo communicet, quo ad majora & ampliora capessenda magis idoneus sit; ut virtutes doceat, vitia dedoceat, à malis suppliciorum comminatione deterreat, ad bona spe mercedis ac præmiorum alliciat: nunc arguat, increpet, objurget, & quasi duro verbi gladio asperè vulneret, nunc erigat & consoletur, fomentísque suavioribus saucios animos recreet; ut non tam subtilia quàm utilia dicat (quem enim fructum afferre poterunt quæ capacitatem audientium non intellecta transgrediuntur? ut non palpet, non assentetur, non placere sed prodesse contendat. *Si hominibus placerem*, inquit Apostolus, *Christi servus non essem.* Sic quippe *laudatur peccator in desideriis animæ suæ*, & in majoris erroris pręcipitium inducitur. Vnde cùm in persona quorumdam dixisset Isaïas, *Dicite* nobis placentia*, protinus addidit: *Videte nobis errores.* *Galat.* 1. 10. *Psal.* 10. 3. *Isai.* 30. 10. *al.* * loquimini.

Non ergo Theologico det eo fine operam studio ut Theologiam sciat, hoc enim quædam curiositas est; non ut vulgi favorem aut plausum populi sibi per hoc acquirat, quia ventus inanis est; non ut famâ celeber & clarus habeatur, quia cassa & sterilis gloriatio est; non ut opes & divitias per eam assęquatur, quia cupiditas est; non ut ad honores & dignitates perinde promoveatur, quia ambitio est; non ut Rabbi vocetur, ceteris præcellat, primus honoretur, quia superbia est; non ut in quiete & otio studii speculetur, quia torpor & remissio quædam animi est, de qua servus piger reprehenditur, quòd pecuniam Domini sui iu sudario repositam apud se servaverit, nec de illa negotiando lucrum fecerit, sed ea mente ac proposito Theologiæ agrediatur studium, ut de talento doctrinæ

sibi divinitus commisso, fideliter Deo serviendo, secum ad salutem æternam quoscumque poterit perducat ac lucrifaciat. Hoc enim vera charitas est, quę ut definit Apostolus, *Finis est præcepti, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Illi namque superiores fines temporales sunt vani & vitiosi. Cælestem autem sapientiam tales sibi fines constituere, taliúmque fieri instrumentum valde absurdum est atque iniquissimum, quæ toto pene suo decursu vana suadet & vitiosa, tantâ instantiâ contemni, ad supernæque felicitatis gaudia immarcessibilia suspirare.

1. Tim. 1. 5.

Pravorum Doctorum vitia describuntur.

Quam ob causam summopere caveat Theologus (qui quanto gradu & doctrina meritísque sublimior est, tantò majori debet humilitate ceteris præstare) ne gradum magisterii cæcæ faciat ambitionis occasionem, quales licet hodie per multos cernere, qui ad alta titulorum nomina festinant, non ut doceant, sed ut habeant & ampliùs habeant; qui posteà quàm magisterium assecuti fuerint, ejúsque adeptione non suum modò patrimonium consumpserunt, sed amicorum quoque loculos sumptuoso conviviorum apparatu exhauserint, maximóque obstrinxerint ære alieno, totam reliquam vitam in angustiis degunt. Magistralem cupiunt magnificentiam in cultu, victu, vestitu ne aliis inferiores sint ostentare. Crescit cum statu & gradu impensa, domi egestas est atque inopia, urgentur à creditoribus, non est unde ulterius argentum tantis jam debitis onerati mutuentur. Vide quantis inter hæc curis, quantis ærumnis ac miseriis afficiuntur. Vide quantum sibi cumulum sollicitudinum, quantum aggerem ambitionum struxerunt. Coguntur mendicare, coguntur servire, coguntur potentiorum limina frequentare, illorúmque quomodolibet gratiam captare. Blandiuntur Prælatis & Pontificibus, ad Ecclesiasticas promotiones mira importunitate, mira atque inexplicabili aviditate ardescunt, & nihil est quod non pro illis extorquendis agant; quas postquam tandem obtinuerint quomodò his utantur mea meritò debet oratio ubi res loquitur silere. Talibúsne, quæso, utilius fuerat titulum

nunquam ambiisse magisterii, quàm ex illa ambitione in tot tantásque alias ambitiones, tantos angores & cruciatus incidisse, à quibus vix & raró illi evadunt, qui non pura & sincera mente ad gradus accedunt, & qui ex gradibus præsertim theologicis temporalem sibi pro fine quæstum non fructum spiritualem constituunt? Vna enim inordinata affectio alias innumerabiles parit, quibus nunquam satisfieri possit. Inde est illa inexplebilis sitis beneficiorum, qua hodie ita incredibiliter homines æstuant. Ad honores quippe & opulentiam & magnificos status omnes propemodum aspirant, eóque velut ad signum sagittæ suas curas, sua studia, suos conatus & opera dirigunt. Quid autem ita insatiabile sicut ignis cupiditatis, in quem quò plura congesseris, eò semper vehementiùs accenditur.

An præstabilius sit in Scholis docere, quàm salutem animarum concionibus procurare.

Cùm itaque finis theologici studii secundùm præmissa sit se atque alios ad vitam æternam convenienter instruere, videamus quid præstabilius salubriúsque existimandum sit, utrumne zelo salutis animarum, officium sedulæ prędicationis apud populum exercere, an jugiter in loco studii post gradum magisterii adeptum legendo disputandóque, & scholasticos instruendo residere. In qua quidem quęstione, sicuti in tuis scriptis commemorasti, Doctor quidam, quem vulgato nomine schola Solemnem nuncupat, asserit perfectius esse & salubrius hominem bonæ spei in studio remanere, quàm se ad prædicationis officium ingerendo salutem animarum procurare. Quibus autem ex causis ad ita sentiendum inducatur, nec in tuis ipse expressisti scriptis, nec me aliàs aut legisse aut audisse memini, ut suis possim rationibus ad secum opinandum trahi. Pace autem tanti Doctoris mihi prima facie videtur contraria probabilior opinio. Nam primùm quæro cujus rei gratia in studio residere optimum contendat; Si ut legat quis & disputet & Theologiam doceat, quæro rursum quare hæc facere optimum judicet; & meâ quidem sententiâ nullam potest verisimilem assignare causam, nisi quia Theologiam alios docendo illos homo erudit, quorum possit eruditio ad salutem & vitam æter-

nam alios erudire. Cùm ergo finis gratia cujus cetera aguntur in uno quoque genere rationem optimi perfectissimíque sortiatur; si bonum est Theologiam propter salutem animarum alios docere, nónne melius est salutem ipsam prædicando & ædificando procurare, quàm illos instruere qui hæc facere valeant, & forsitan nunquam faciant. Sicut enim fini congruit esse optimum, ita quantò aliquid eorum per quæ finis habetur finem ipsum magis è proximo immediatóque attingit, tantò melius censendum est. Id quoque irrefragabiliter melius esse necesse est, cujus causa aliud bonum existit. Constat præterea ubi simili æqualitate cetera constant, bonum certum incerto jure præferendum atque fortuito.

Porro quid attinet me gloriari, mihíque laudem vendicare de alienis laboribus ac meritis, méque de summa perfectione extollere, quòd illos ego auditores discipulósque habuerim, qui alios noverint & possint ad salutis æternæ iter me quieta otia agente adducere? Coronam in stadio non meretur qui agonistam in arte certandi instruxit, sed qui superatis aliis in certamine victor evasit.
2. Tim. 2. 5. *Non coronabitur*, inquit Paulus, *nisi qui legitimè certaverit*. Non palmæ gloriam reportat qui pugillatorem armavit; sed qui hostem in arena prostravit. Si peritus aliquis medicus ac fidelis sua me diligenti operâ ex acerba aliqua ægritudine liberaverit, cui mercedem reddere debeo, aut grates agere, illíne suo præceptori qui Hipocratis eum docuit aphorismos, aut Avicennæ antidota, an illi qui meo corpori opem, curam, medicamenta adhibuit? Quid quòd plerumque in studiis non tam spiritualis animarum scientia discitur, quàm superba & curiosa plena ostentationis, quæ illam humilem doctrinam quæ sauciatis medetur animabus, quámque Deus, scientiarum Dominus parvulis suis largitur non alta sapientibus, alta & rugosa fronte dedignatur. Denique de quo licet homine spem ampliorem ac meliorem concipere, quàm de illo qui fervore accensus charitatis alios per exemplarem vitam, sollicitæque prædicationis instantiam ad Deum attrahere satagit? Nonne anteponenda

eſt charitas ſcientiæ, cùm hac abuti multis modis homines cernamus, illa verò unquam abuti nemini liceat: cùm præterea ſecundùm Apoſtolum *charitas nunquam excidat*, ſcientia autem magna ex parte velut bonum imperfectum ſit evacuanda: quæ ſi ſine charitate comite obvenerit, plurium ſolet eſſe malorum quàm bonorum alumna, non ex ſe quidem ſed ex perverſitate malè utentium. Quæ enim major ad nocendum pernicies quàm ingenio, ſcientiâ, eloquentiâ armata iniquitas; ſtudij autem finis fere eſt ſcientia, charitas verò prædicationis. Hortatur Paulus Epheſios ſcire ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti: quo apertè præeminentia charitatis ad ſcientiam oſtenditur: quoniam, ut ait Hugo, ubi charitas intrat, ſcientia etiam foris ſtat: neque enim eò ſolent homines notos quoſque ſuos admittere, quò charos atque dilectos introducunt. Porrò Chriſti atteſtatione inſtruimur non Theologiam noſſe beatum efficere, ſed ſecundùm Theologiam operari. Cùm enim multa ſalutaria veræ perfectionis inſtituta diſcipulis dediſſet, ad ultimum adjecit: *Si hæc ſcitis, beati eritis, ſi feceritis ea.* Sicut enim *intellectus bonus eſt omnibus facientibus eum*, ita ſcientia aut intelligentia operis executione deſtituta gravior & culpæ & pœnæ ſarcina eſt. *Scienti* enim *bonum, & non facienti, peccatum eſt illi. Servus* quoque *ſciens voluntatem Domini ſui & non faciens vapulabit multis; neſciens autẽ vapulabit paucis*: quia ſua eum ignorantia, niſi deſidioſa aut voluntaria fuerit, aliquatenus excuſabit.

1. Cor. 13. 8.
Iohan. 13. 17.
Pſal. 110. 10.
Iacob. 4. 17.
Luca. 12. 47. 48.

Pravos Paſtores inſectatur.

Fruſtra igitur inertes homines otio in ſtudiis marcentes, ſibi de ſtudii reſidentia blandiuntur tanquam illa ſuam excuſet ignaviam, & hi præſertim qui regendarum animarum curam ſuſceperunt, qui niſi ſuper gregem ſuum diligenter vigilaverint, de ſanguine pereuntium ovium ſuarum rationem tandem exactiſſimam reddituri ſunt. Quot enim Paſtorum negligentia perire putamus animas, aut quæ temporalia poſſunt commoda pereuntis animę jacturam compenſare? Conterunt infiniti ovium Rectores totam in ſtudiis ætatem; *ſemper diſcentes*, ut de quibuſdam ait Apoſtolus, *& nunquam ad ſcientiam veri-*

2. Tim. 3. 7.

tatis pervenientes. Quę est autē ſcientia veritatis niſi ſcien-
Contra beneficioru̇ multiplicitatem appetentes.
tiâ qua ad Chriſtum qui veritas eſt pervenitur ? Nec tam procul dubio diſcere cupiunt, quàm ſub titulo & umbra ſtudij multiplicandis Eccleſiaſticis beneficiis atque promotionibus ſine ulla unquā ſatietate inhiare. Quem mihi dabis qui ſua ſit ſorte aut vocatione contentus, cui non protinus habita vileſcant, qui non inſana cupiditate ampliorum beneficiorum jugiter ardeat ? Iejunant interea oves impaſtæ, & lupis fortaſſis aut furibus pro cura atque regimine commendatæ. Didiciſſe debent & docti eſſe qui metuendam illam ſarcinam humeris ſubeunt, non tunc præpoſtera rerum converſione ſtudia ſectari. Sed, ô ſors iniqua temporum, immo rerum ! cùm ſuis quiſque pecudibus paſtorem peritum & diligentem magna curet attentione providere, Chriſti ovibus abſque delectu, abſque cura & proſpectu homines ignari & inutiles, moribúſque corruptiſſimi temere & paſſim præficiuntur, qui non oves verbo paſcant, exemplo doceant, ſubſidio foveant, ſed vitiis potiùs ſuis inficiant, rapinis opprimant, lacte exhauriant, lana diſpolient, qui abſentiâ an præſentiâ plus noceāt non facilè judicaverim, & quam poterunt infeliciſſimi in diſtricti judicis examine de perdito grege reddere rationem ? an ſe putant excuſandos eſſe quòd ſtudio & litteris operam dederunt, qui non ea re ſtuduerunt ut ovibus prodeſſent, ſed ut titulo gradûs & doctrinæ rem ſuam augerent, armáque uberioris promotionis litteras haberent. Si enim ut ovibus prodeſſent ſtudia ſecuti eſſent, ſaltim poſt graduum adeptionem ad illas deberent paſcendas accedere, quas tamdiu eſurientes maciéque confectas omiſerunt; ſed tunc nimirum illas ex toto à ſe abdicare ſatagunt, pinguioráque ovilia quæ nihilo magis paſcant ſuſcipere.

Qualis igitur erit excuſatio abſentiæ hauriendis in ſtudio litteris propter ſuas explendas concupiſcentias inſudaſſe ? Non fictis tunc licet verbis judicem fallere, dolis eludere, mendaciis circumvenire, quibus ſæpe ſolent artibus judices humani decipi. Nihil illic palliatus ſermo, nihil fraudibus adoperta proderit duplicitas.

Omni ſublato velamine nudæ erunt conſcientiæ, patebunt cordium latebræ, cuncta animorũ revelabuntur occulta, quæ tanta nunc arte ac ſtudio teguntur hominibus.

Sed fortè dicent ſecum fuiſſe ne cum ovibus reſiderent per Pontificem ſuperiorem diſpenſatum. Cur diſpenſationem petebas inquiet Iudex? Quare importunè licentiam non id agendi, ad quod te teneri ſciebas, extorquebas? Quam ob cauſam nomen tenebas officij, ſi officiari nolebas? Ad hoc Rector eras factus ut regeres, ideò Paſtor ut paſceres: tantine erant tua ſtudia, ut propter illa meas perire oves oporteret, pro quarum volui redemptione meum ſanguinem fundere? Quare idonei locum paſtoris occupare voluiſti & opus minimè exequi? Paviſſet alius gregem meum, ſervaſſet, curaſſet, minaſſet, aſſiduus cum eo fuiſſet, lucrum mihi de illo profectúmque retuliſſet. Idcircóne te paſtorem factum arbitrabare, ut, grege meo neglecto in deſertóque derelicto, per oppida, urbes & compita cum laſcivis & otioſis, dum lupi meum gregem diſſipant, vagareris? Nunquid ſolent opiliones, qui greges divitũ paſcendos ſuſcipiunt, in agris abſque cuſtodia oves deſerere, aut alienis mercenariis illas committere? An neſciebas te meum ſervum eſſe qui ex denario diurno mecum conveneras? Quare ergo calce abjeciſti ſervitium meum ad quod te vocaveram, alienúmque quæſiſti diſpenſatione non ſerviendi famulatum? Neſciebas in perſona Petri tibi dictum: *Si diligis me paſce oves meas*? Quid tibi apud me defuit? Nunquid cibo eguiſti aut veſtimento? Nunquid pacta mercede fraudatus es? Mulſiſti, totondiſti, lac habuiſti, lanam cepiſti, peculium omne in tuam ſortem cedere permiſi, lautus & pinguis ovium ſucco vixiſti. Quare ergo, perfidiſſime, non paviſti? Neſciebas lege communi periculo paſtorum fieri ſi una eorum negligentia periret ovicula, totúmque reddere debere quidquid contingeret illorum culpâ interire? Aut igitur meum mihi numerum reſtitue, aut tot ovium tuâ abſentiâ incuriáque perditarum tuo ſanguine ſanguinem lue, acerbiſſimóque compenſa cruciatu. Dura nimium & graviſſima

Iohan. 21, 15 & 17.

hæc erit ſententia, quæ tam levi immo nullo metu formidatur, à qua tamen nulla poterit relevare provocatio.

Sed ad rem redeamus. Quæ poteſt vita perfectior eſſe quàm Apoſtolorum: & nunquid in publico ſtudio legere juſſi ſunt? Nuſquam prorſus hoc legimus, ſed in omnibus Evangeliis illos ad prædicandum miſſos invenimus. Quis niſi inſanus dixerit tantum fructum Doctorem Gentium in aliquo Studio legendo facere potuiſſe, quantum in tot orbis partibus evangelizando profuit; qui ab Ieruſalem per circuitum uſque ad Illyricum Chriſti Evangelium replevit? Non Dialectici argumentatores in acutis Syllogiſmis, non ſuaviloqui oratores in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, non tumidi Philoſophi in ſectarum atque opinionum varietatibus fidem Chriſti Gentium pectoribus infuderunt; ne ſapientiâ verbi evacuaretur crux Chriſti; ſed ſimplices & illiterati piſcatores propter ſuam humilitatem & ſimplicitatem cælitus edocti. Dominus enim ſua ſecreta mundi ſapientibus & prudentibus magna de ſe præſumentibus plerumque abſcondit, & revelat ea parvulis: *Cum ſimplicibus* quoque, ut ſcriptum eſt, *graditur ac ſermocinatur**.

Matth. 11. 25.

Prov. 3. 23. al. * Cum ſimplicibus. ſermocinatio ejus.

Sed, inquies, propter hæreſes extirpandas, erroréſque eliminandos neceſſarios eſſe Magiſtros ac Doctores, qui talia ſuis ſcriptis ac diſputationibus impugnent. Non inficior utiles eſſe & neceſſarios, non tantùm ad mala & falſa dedocenda, ſed primùm quidem ac principaliter ad vera & utilia docenda, ne ex defectu atque inopia fructuoſæ prædicationis homines ignari in errorem labantur. Bonum quidem eſt inſurgentes errores falce argumentationum reſecare; ſed melius & ſalubrius eſſet non eſſe errores quos refellere oporteret, qui ex negligentia fructuoſæ prædicationis ſæpe ſolent oriri: neceſſarij ſunt medici in republica, ſed melius eſſet homini bene valere, quàm propter plagam aut febrem neceſſarium habere medicum. Acutè adverſus hæreticos, errorúmque ſeminatores in ſcholis diſputatur, ſed de ſimplicium cordibus populorum negligenter errores ipſi perniciosiùs

niciosiùs inoliti evelluntur. Quis non intelligat utilius esse errores de cordibus expelli, quàm de codicibus? Malè & perfidè penè ubique in plerisque rebus sentit hodie vulgus, magicis utitur artibus, superstitionibus variis implicatur, divinos & pythones consulit, sortilegiis delectatur, in principalibus prӕterea graviter claudicat fidei articulis. Si contra hӕc subtiliter in scholá differitur quid ad illos qui longè positi non audiunt nec noverunt, ad quos nulli accedunt Theologi, qui eos instruant? Nonne utilior est medicus, qui postquam artem didiscerit ægrotos visitat, & medendo sanat, quàm qui de morbis ac vulneribus nunquam artem experiendo semper in schola disputat? Scripsit contra quosdam hæreticos Iohannes Apostolus suum Evangelium ab Asianis efflagitatus Episcopis, de Verbíque æternitate subtilissimè disseruit. Scripsit contra Psudoapostolos diversas ad diversos Paulus epistolas, nunquid idcirco cum aliis Apostolis & Discipulis ad prędicandum non missi sunt? Immo qni alij ad hoc officium secũdùm antiquum ritum Ecclesiæ sunt destinandi, quàm qui insigni eruditione pollentes ad alios sunt instituendos idonei? Qui alij celsiorem gradum perfectionis in Ecclesia obtinent, quàm Pontifices, quorum maximè est creditos sibi greges doctrina pascere, quod ut facere valeant ex doctissimis sunt hominibus assumendi?

Quid studium Theologicum

Itaque nihil est aliud studium Theologicum, nisi quædam, ut ita dicam, Pastorum ac Prædicatorum officina, ex qua evocandi sunt atque eligendi qui artem norunt pastoriam, ut vacuis per scientiam præficiantur ovilibus.

Quibus aureola dabitur in cælo.

At Doctoribus, inquies, pro labore & sollicitudine docendi in justorum retributione singulari prærogativa dabitur aureola. Vide ne non tam de illis hoc intelligendum sit qui in locis studiorum torpuerint, quàm de his qui de suo talento plebem Christianam erudiendo vigilanter & strenuè negotiati fuerint (Negotiosis quippe illa dabitur non otiosis) qui animas sua doctrina & prædicatione plurimas Deo acquisierint, secúmque ad cælestem

Ierusalem Angelorúmque consortium pariter adduxerint; qui denique illi mandato obedierint, *Negotiamini dum venio.* Quis enim ita desipiat, ut gradui & bireto, non profectui atque operibus illam deberi existimet? Quòd si qui pertinaciter certare voluerint de scholasticis id intelligendum esse Doctoribus, non de his qui in Ecclesia epulis sacri eloquii populos pascunt, audiant tamen Apostolum spirituales plebium ædificatores talibus antè-ferentem: *Quosdam*, inquit, *posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos; secundò Prophetas; tertiò Doctores:* ubi apertè liquet Prophetas prælatos esse Doctoribus, sicut Prophetis Apostolos. Qui autem sint Prophetæ paulò post exponit inferens: *Qui prophetat hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem & consolationem.* Nullis potuit verbis manifestiùs spirituales sanctæ Ecclesiæ Prædicatores explicare, quos idcircò, ut puto, Prophetas appellat; quia per divinas Scripturas, quas insatiabili aviditate discutiunt edocti, ingruentia solent populo pericula pronunciare, flagelláque Dei & judicia ex peccatis hominum surgere solita, Spiritu intus illustrante prædicere.

Luc. 19. 13.

Ephes. 4. 11.

1. Cor. 14. 3.

Sed ne scholas videar omni modo velle vacuare, possunt illi in studio legere, liberéque residere, qui non ad majus aliquod officium erudiendarum vocati sunt animarum; qui verò oneri illi cervices supposuerunt non ausim leviter credere mentem fuisse hujus Doctoris, qui salubrius in studio præsertim convenienter imbuti demorentur, quàm in sua consistendo Ecclesia suum gregem pascerent. Et utinam tales opiniones non dederint occasionem permultis suas caulas & ovilia relinquendi, in studiísque exiguo fructu ætatem conterendi. Prona satis est ad negligentiam natura humana, opúsque debitum segniter exequendum; nec indiget ad id induci aut armari; quoniam paucos hodie conspicimus ad magistrales in studiis gradus provectos in suis Ecclesiis aut parrochiis, quarum pastoralem sunt curam sortiti, residere. Cuncti propè in studiis versantur quanto tempore vivunt, suásque idiotis mercenariis regendas oviculas committunt

qui utinam verba Christi de hujusmodi mercenariis studiosa secum meditatione revolverent, suáque & gregum suorum ex Propheticis pariter & Evangelicis sententiis vellent considerare pericula. Et quid mirum si errores pullulent in laïcorum sæculariúmque hominum pectoribus, pabulo & doctrina carentium, quibus extirpandis quid utilitatis afferre possunt Rectorum in studiis agentium determinationes, quorum nunquam sit ad illos aura famæ tenuissima perventura? Sanè non modò illos qui doctorale jam sunt fastigium assecuti plebes suas gubernare debere, verùm eos quoque qui ad illum gradum necdum pervenerunt, si modò competenter ad prædicandum imbuti sunt, pastoraléque sunt officium adepti, probabilius esse crediderim, quàm quod Doctor ille, quod cum ipsius bona venia dictum velim, agendum opinatur atque persuadet. Si autem pascere & docere non sint habiles, viderint ipsi quâ audaciâ ad animarum se gubernacula ingesserunt. Viderint præterea Prælati qui hanc curam sibi mandarunt, quare onus illud gravissimum periculíque plenissimum, invalidis illorum humeris imponendum putaverint. Ex his satis te puto posse colligere, quæ mea sit de tuis quæsitis sententia; quæ si votis animi tui nequaquam valeant satisfacere veniam meæ dabis ignorantiæ, à peritioribúsque exquires quod per me tenuiter doctum minus fuerit explicatum.



MISCELLANEA EPISTOLARVM.

An. Christi 827.

AMALARII EPISCOPI HIEREMIÆ SENONENSI ARCHIEPISCOPO. De Nomine IESV.*

** Caput est 45. lib. 3. de Off. Ecc. quod in omnibus desideratur editionibus.*

I. CHARISSIMO Patri & accuratissimo Rhetori IHEREMIÆ Vati in nostra Ierusalem AMALARIUS. Scribunt nostri Salvatoris IHESU nomen per aspirationem: cujus rationis expers sum. Scio autem vobis ignotam non esse si alicujus rationis causa postponatur post I aspiratio in nomine IHESU, quam intimate filio vestro si adsit. Scio si est affore in promptuario mentis vestræ quod fluat ad me. Antequam pergeret domnus CAROLUS Romam novissimè audivi Secerdotes Galliæ nostræ sonare GISUS, quod neque cum Hebræis neque cum Græcis conveniebat. Ab illo tempore audio IESUS, ut opinor, quod convenit cum Hebræis, quorum Ducis nomen legimus Iesus. Qui Iesus nomine suo præfigurabat nostrum IHESUM ut Sedulius:

--- Iam tunc famulata videbant
Sydera venturnm præmisso nomine Iesu.

Nam Græci his notis I. C. scribunt illud nomen; & legunt Isus. Vnde mihi videtur, si tamen vobis non alîàs, oportere scribi per I. & H. & C. sive S. quod legimus Ihesus. Quibus notis memoratum nomen scribere debeam oro ut mandetis.

RESPONSIO

IHEREMIÆ Archiepiscopi.

II. PORPHIRIUS Philosophus nomen IESU in anacrostica sua latinè scribit hoc modo IESUS, quem novimus utriusque linguæ peritissimum fuisse, usus videlicet H grçca littera. Porro H longam quam græci in lingua propria pro I longa semper sonant. Latini verò pro E longa. Alia verò ratione imitantes Hebræos IHSUM pronunciamus, non per aspirationem, sed per H græcum scribentes.

AMALARIUS

IONÆ venerabili Episcopo.

Fragmenta epistolarum Amalarii, & Ionæ Aurel. Episcopi.

III. PATER intimate quibus notis inferiùs figuratis rectiùs videatur vobis pingi nomen Iesu IH̄C an IH̄S.

At ille, inquit, sicut X & P græcis litteris, & alia qualicumque latina convenienti superioribus scribitur Christi nomen, ita I & H addita convenienti latina scribitur IH̄S.

AMALARII

Ad RANTGARIUM Episcopum Noviomensem.

IV. AMALARIUS RANTGARIO Episcopo Reverentissimo civitatis Noviomensis.

Memini me interrogatum à vestra Paternitate quomodò intelligerem quod scriptum est in Dominica institutione*: *Hic est calix sanguinis mei novi & æterni Testamenti, mysterium fidei.* Quia comperi vos velle scire quomodò intelligerem illud, ideóque scriptis paucis litteris intimo quomodò sentiam. Fuit enim calix veteris Testamenti de quo in Exodo scriptum est, Cap. XCVIII*.

* *In Canone Missæ.*

* Sic olim, nunc verò cap. 24. 6.

Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis & misit in
Ibid. 8. *crateras: partem autem residuam fudit super altare.* Et paulò post: *Hic est*, inquit, *sanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his.* Hunc calicem
Luc. 22, 17. consummavit Dominus in cœna sua secundùm Lucam dicentem: *Et accepto calice gratias egit & dixit: Accipite & dividite inter vos. Dico enim vobis, quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.* Calix veteris Testamenti sanguine animalium irrationabilium redundabat. Ille sanguis figura fuit veri sanguinis Christi. Quem calicem, id est, in quo bibimus sanguinem Christi, initiavit nobis ipse in memorata cœna post consummatum priorem calicem, ut idem Lucas memorat in sequentibus:
Ibid. 20. *Similiter & calicem postquam cœnavit, dicens: Hic est calix novi Testamenti in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Hic calix est in figura corporis mei in quo est sanguis qui manabit de latere meo ad complendam legem veterem, quo effuso deinceps erit novum Testamentum; quoniam novus sanguis & innocens, id est, hominis absque peccato effundetur pro redemptione humana, quod antèa non est factum sanguine alicujus animalis. Iste sanguis novus est, qui effusus est pro salute nostra, quia non est animalis alicujus irrationabilis, sed hominis rationalis, propterea dicitur *novi Testamenti*; quoniam illo effuso vetera transierunt, & facta sunt nova. Ipse vocatur *æterni Testamenti*, quia novum Testamentum non mutabitur ad aliud Testamentum, sicut mutatum est vetus in novum. Ipse vocatur *mysterium fidei*, quoniam qui credit se redemptum ab eo sanguine, & imitator fit passionis ipsius, ei proficit ad salutem & ad vitam æternam. Vnde ipse
Iohan. 6. 54. Dominus dicit: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobismetipsis.* Hoc est, nisi participes fueritis meæ passionis, & crediderit is me mortuum pro vestra salute, non habebitis vitam in vobis. Mysterium græcè, latinè secretum, quia fides ista latet in cordibus Electorum, propterea vocatur secretum fidei. Mysterium fides est, ut Augustinus in epistola ad Bonifacium Episcopum: Sicut ergo secundùm

quendam modum sacramentum corporis Christi, corpus « *Epist. 23. sub finem.*
Christi est, Sacramentum sanguinis Christi, sanguis «
Christi est; ita sacramentum fidei, fides est. Simili modo «
possumus dicere: *hic est calix sanguinis mei novi & æterni Testamenti*; ac si dicat: hic est sanguis meus qui pro vobis datur, unde deinceps novum & æternum Testamentum à me accipiatur & teneatur. Sequitur, *mysterium fidei* hoc credere debetis, id est, hanc fidem habere debetis, ut per illum remissio vobis sit omnium peccatorum.

*AD HETTONEM**

Monachum.

* *Is forsitan Hetto sive Hettus qui Abbas fuit Epternacensis post Episcop. Treverensis.*

V. DIGNATA est Fraternitas vestra nobis mandare, ut auctorem illum vobis nominarem, qui distinctionem facit inter Seraphin, quando neutri generis est, & quando masculini. Non omnia mihi in promptu possunt occurrere, quæ de illis agminibus legistis & legi. Tamen illum auctorem modò promam qui discernit inter Cherubin neutri generis & masculini, necnon & illum qui Seraphim per *m*, masculini generis dicit, & neutri per *n*. Opinor quod eisdem finalibus terminetur apud Græcos Cherubin & Seraphin. Dicit Hieronymus in tractatu Ezechielis tertii libri: Quanquam plerique Che- «
rubin neutrali genere numeróque plurali dici putent, nos «
scire debemus singulari numero esse Cherub generis mas- «
culini, & plurali ejusdem generis Cherubim, non quo «
sexus in ministris Dei sit, sed quòd* unumquodque juxta « *al.* * *quo*
linguæ suæ proprietatem diversis appelletur generibus. «
Angeli vocantur numero plurali Malachim, & Cherubim «
& Seraphim ejusdem generis & numeri. Vbi sanctus Hie- «
ronymus dicit: Nos scire debemus quòd latinus latinis fuit locutus. Ipse erat latinus, Paula & filia ejus Eustochium latinæ erant. Ex hoc intelligere possumus, quòd nos latinè debemus illorum ministrorum nomina masculino genere tenere juxta hebraïcam auctoritatem, quam Hieronymus interpretatus est, ubi dicit: Non quo sexus «

» in ministris Dei sit, sed quòd unumquodque juxta linguæ
» suæ proprietatem diversis appelletur generibus.

Ex hoc intelligimus quòd alterius generis sunt ministri memorati in peregrina lingua. Dicit Beda in libro pri-
» mo de tabernaculo & vasis ejus: Et quidem numero sin-
» gulari Cherub, plurali autem Cherubin dicitur, &
» est nomen generis masculini; sed græca consuetudo neu-
» tro genere posuit Cherubin, *m* litterâ in *n* mutatâ. Ve-
» rùm noster interpres hebræum secutus idioma, masculi-
» no genere posuit,

Monstrabo iterum ubi idem interpres Hieronymus ponat Seraphin neutro genere. Scribit in libro, quem fe-
Cap. 6. post init. » cit de Seraphin, quæ leguntur in Isaïa inter cetera: Nul-
» lum Prophetarum extra Isaïam vidisse Seraphin circa
» Deum stantia, & ne ipsa quidem Seraphin alibi lectitari. Novit Caritas vestra quando dixit stantia, & ipsa neutro genere ea protulisse. Habemus & non minimam auctoritatem ex consuetudine Ecclesiæ, quæ solet quotidie in oratione quæ fit super mensam proferre, *Beata Seraphin*.

AMALARIVS GVNTARDO

Filio in disciplina Christi.

Ex hac Epistola Amalarius probatur Sacerdos.

VI. FILI mî recordatus sum percunctatum esse pollens ingenium tuum, quare non me cum majori cautela custodirem, ne illicò post consumptum sacrificium spuerem. Addidisti, quod non videres ceteros Sacerdotes hoc facere, id est statim spuere post comessam Eucharistiam. Quando hoc audivi à te nec multum tibi dixi, nec cogitavi ex hoc tibi respondere. Nausiam duxi talem percunctationem, jam in itinere degens aporiatus sum tua dilectione, ne aliqua suspicio remaneret tibi falsa in pectore. Quasi ergo protervè hoc agerem contra nostram religionem, & ne remaneres in aliquo errore ignorantiæ, iccirco potissimùm quoniam sensi te sensisse me agere contra consuetudinem religiosorum Presbyterorum, malui ex itinere formare tibi animum meum, quàm diutiùs remanere

remanere ardens ingenium tuum in suspicione inutili. Attendite primò, Fili mi, sententiæ Pauli dicentis: *Spiritualis judicat omnia; ipse autem à nemine judicatur.* Si quod circa spiritum est in suo ordine manet, ea quæ per corpus geruntur recta deputantur, dicente eodem Apostolo: *Omnia munda mundis.* Multi sunt qui munditiam corporis observant secundùm usum Pharisæorum, ex quorum tamen mentibus immunda procedunt, quæ Dominus computat in Evangelio dicens: *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ: hæc sunt quæ coinquinant hominem.* Inter ista non deputatur sputum, nec procedit ex mala cogitatione quæ coinquinat hominem. Sputum naturale est nobis, sine peccato procedit ex nobis, sanitati nostræ proficit ejus processio, sine vituperatione religiosorum hominum agimus quod Christus egit pro salute nostra, docente Evangelio: *Lutum fecit Dominus ex sputo, & linivit oculos cæci nati.* Et iterum secundùm Marcum: *Misit digitos suos in auriculas, & expuens tetigit linguam ejus.* Corpus Domini saluti hominum consecratum est in æternum. Ejectio sputi salutem præstat temporalem. Ad hoc deprecamur sanitatem temporalem, ut potiùs occurramus æternæ saluti. Quod est officium æternę salutis, non est contra institutionem Domini. Quamvis Apostolus dixisset: *Quando infirmor tunc fortior sum & potens.* Tamen sanitati studebat, ut novimus ex admonitione facta ad Timothæum cùm dicat: *Noli aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum & frequentes tuas infirmitates.*

1. Cor. 2. 15.
Tit. 1. 15.
Matt. 15. 20.
Johan. 9. 6.
Marci 7. 32.
2. Cor. 12. 10.
1. Tim. 5. 23.

Tu Fili in redargutione tua non propter aliud ostendisti mihi tali displicere me sputo, nisi quia ceteros Sacerdotes perspexisti à sputo diutiùs se abstinere post sacrificium. Tu adhuc puerulus non vidisti multos Sacerdotes; forsan quos sæpissime vidisti venatoribus juncti sunt, qui solent manus lavare à recenti sanguine bubalorum suorum & hircorum, sicut & populares faciunt quando ad communem mensam accedunt? Non hoc dico, quòd non debeamus venerari Corpus Domini præ omnibus

ſumptibus, ſed quòd ſi veneratum fuerit ab interiore homine, quicquid naturaliter ab exteriore agitur, Dominico honori deputatur. Quamvis ſagacitas infantiæ tuæ nobiliſſima mihi quod diſpliceret non oſtenderet, tamen, ut reor, video quòd tibi diſpliceat meo ſputo, hoc eſt, quaſi ſumptum corpus ſimul cum ſputo projiciam. Fili non ita retur animus patris tui: illum precor cui dicit Pſalmi-
Pſal. 58. 10. ſta: *Fortitudinem meam ad te cuſtodiam.* Flegmaticus homo ſi ſtuduerit ſanitati ſuæ, ſæpiùs curabit flegma ejicere. Non eſt prohibitus flegmaticus à promotione ſacrorum Ordinum. Non enim ignoravit Paulus humores nocivos, & nimium abundantes, ſæpiùs fore neceſſe exire ab homine: tamen quando abnegavit Epiſcopum ſuperbum, iracundum, vinolentum, percuſſorem, turpis lucri cupidum, non abnegavit flegmaticum. Fortè tui animales inflati munditia corporis poſſunt videre vitia nociva in ſecreto figmento ſuo, quæ Paulus Apoſtolus non potuit
f. * fortè parte * videre in Spiritu ſancto. Abſit Fili mi.

Si potuiſſem me abſtinere tamdiu à ſputo quamdiu ſatisfacerem tuis, ut non haberent quod reprehenderent
Rom. 12. 17. in me, hoc ultrò curarem, præcipiente Apoſtolo: *Providentes bona non tantùm coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus.* Sed quia hoc mihi difficile eſt, tamen confido in Domino, ſi mens mea pura fuerit & humilis in conſpectu ejus, ut faciat intrare corpus ad animam meam vivificandam, & quod exeundum eſt propter ſanitatem corporis, faciat exire ſine diſpendio animæ. Si quis hoc non credit eum poſſe ſi voluerit, non credit eum omnipotentem eſſe. Et qui non ſperat eum hoc velle, non
1. Tim. 2. 4. recipit ſententiam Pauli dicentis: *Qui omnes homines vult ſalvos fieri*: id eſt illos qui ſalvationi deputati ſunt. Fili mi recordare quod ſæpiſſimè ſolebas mihi proferre: *Niſi*
Pſal. 126. 2. *Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.* Si aliquod ſcrupulum tuæ menti adhuc hæret de re prælibata, vita comite noli patri tuo abſcondere. Tene quod tenes, Dominus tibi multiplicet ſenſus prælibatos,
f. * ultra petere quàm ſcias. ultro quàm petere ſcias*.

De Corpore Domini quod ſumimus eſt mihi dicen-

dum: quamvis sit dispar exemplum præsenti rei, quod Valentinianus Imperator dixit militibus, qui ei socium adsciscere voluerunt: Vestrûm fuit, inquit, quòd me constituistis Imperatorem, meum est socium eligere quem voluero. Ita verò vestrûm est velle & precari Dominum cor mundum, suum est corpus suum per artus & venas diffundere ad salutem nobis æternam. Ipse enim dixit quando panem tradidit Apostolis: *Hoc est Corpus meum quod pro vobis tradetur.* Suum corpus quando voluit, & quando vult in terra versatur. Etiam post Ascensionem suam non dedignatus se Paulo Apostolo monstrare in templo Hierosolymis quod erat in terra: *Domini est terra & plenitudo ejus.* Omnis terra in sua conditione consistens benedicit Domino. Sola mala voluntas facit vas suum pollutum ad suscipiendum Dominum. Hæc propterea dico, ut si fortè me ignorante, aut non consentiente exierit de ore meo* ex corpore Domini, non me putes alienum à religione Christiana, quasi contemptui habeam corpus Domini mei; aut ipsum illuc dirigatur quo non voluit, seu non vult venire. Per hoc corpus anima nostra vivit, dicente eodem Domino: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobismetipsis.* Si enim ipsum corpus vita nobis est, non ei aufertur propter nostram separationem ubicumque fuerit quod ex se habet, & nobis ex se tribuit.

Lucæ. 22. 19.

Psal. 23.

*al. * aliquid aut quid simile.*

Iohan. 6. 54.

Fili mi dic Presbyteris tuis, ut caveant ne unum verbum ex his quæ Dominus locutus est in Evangelio excedat de corde eorum, quoniam & ipsum vita nobis est, sicut panis consecratus. Dicit Dominus in Evangelio: *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Præceptum est mihi in lege: *Si aliquid remanserit de agno, ut igne comburam illud.* Ille agnus Christi carnem præfigurabat. Reliquiæ Agni quæ igne comburi videbantur, mysteria sunt divinitatis, quæ capi non possunt à nobis, sed Domini præcepto igne caritatis assumenda sunt in cælesti oblatione. Illi, id est igni caritatis, omnia commendo mea, ut & illo vitia consumantur, & boni affectus assumantur.

Iohan. 6. 64.

Exod. 12. 34.

Ita verò sumptum corpus Domini bona intentione, non est mihi disputandum, utrum invisibiliter assumatur in cælum, an reservetur in corpore nostro usque in diem sepulturæ, aut exhaletur in auras, aut exeat de corpore cum sanguine, aut per poros emittatur, dicente Domino: *Omne quod intrat in os in ventrem vadit, & in secessum emittitur.* Hoc solùm cavendum est, ne Iudæ corde sumam illud, & ne contemptui habeatur, sed discernatur saluberrimè à communibus cibis.

Matt. 15. 17.

De altero unde redarguisti patrẽ, non modò respondeo per omnia: fortè dederit Dominus, ut te aliquando aliquo modo adhuc videã, & loquar de eo ore ad os. Interim dico: Dic, fili, quare non cecinisti patri tuo virgilianũ istud:

Frigidus, ò pueri, fugite hinc latet anguis in herba.

Præcipitur in Canonibus: ut omnes ingredientes Ecclesiam communicent, quòd si non communicaverint, dicant causam quare non communicent, & si rationabilis extiterit indulgeatur illis, sin autem, excommunicentur. Comperi te anchoram mentis tuæ fixisse in pelago & non in portu; fixisti illam in Gennadio Massiliensi Episcopo. Hortor ut potiùs figas illam in portu tutissimo Augustino, scilicet testificato per universas Ecclesias. Hortatus est te Gennadius ut præcipuè per dies Dominicos communices; fortè non erat consuetudo illius ut per singulos dies Missam celebraret. Si enim esset, non hortaretur per solos Dominicos dies potissimùm communicare: Græcorum aliquorum Presbyterorum consuetudo est, ut à quinta feria se præparent & sanctificent ad Missam celebrandam; potest evenire ut in tertia feria sive quarta peccatum committamus, quod non abluatur usque post finitum diem Dominicum. Quapropter non ritè communicamus per singulos dies Dominicos: & potest fieri ut Deo placeamus per singulos dies unius hebdomadis, in quibus gustare & videre fas est quàm dulcis sit Dominus. A tam dilecto hospite non oportet dilectores diu abesse, quem compulerunt secum hospitari in die Resurrectionis ejus duo ex discipulis in Emmaus.

Can 9. Apost. ex interpret. Dionysij Exigui Concil. Antioch, 1. can. 2.

Fuge, fili mi, à pelago ad tutum portum Augustinum,

ipse enim tibi dicit ad Ianuarium : Rectiùs inter eos forte quispiam dirimit litem , qui monet ut [a] in Christi pace permaneat [b]. Faciat unusquisque quod secundùm suam fidem piè credit faciendum esse : Neuter eorum exhoreat [c] corpus & sanguinem Domini, sed [d] saluberimũ sacramentum certatim honorare contendant [e] : neque enim litigaverunt inter se, aut quisquam eorum se alteri præposuit Zacheus & ille Centurio, cùm alter eorum gaudens in domum suam suscepit Dominum, alter dixerit : *Non sum dignus ut intres sub tectum meum.* Fili mi, si te cognoscis peccatorem , oportet ut à te non repellas Dominum, sed satis ei fac per pœnitentiam, & in Spiritu contrito & humiliato suscipe illum ; si justus es , gaudens suscipe illum ; si infirmus, precare ab illo sanitatem, & cade in faciem ante pedes ejus, sicut unus de decem leprosis gratias age, ut dicat tibi : *Surge & vade, quia fides tua te salvum fecit.* Et ne differas de die in diem converti ad illum, quia quocumque die conversus ingemueris salvus eris. Iuxta Augustinum , quando videbis pium affectum esse in te, sume corpus Domini, ut tibi vitam sempiternam præstet. Noli differre ad diem Dominicum, quia nescis si contingas illum.

Epist. 118. — *al.* [a] monet ut præcipuè — *al.* [b] permaneant. — *al.* [c] Neuter enim eorum exhonorat. — *al.* [d] si — *al.* [e] contendunt. — *Lucæ.* 19. 5. — *Matt.* 8. 8. — *Lucæ.* 17. 19.

DE OBSERVATIONE Quadragesimæ.


VII. CAVENDUS quoque est usus multorum. Solent enim plures qui se jejunare putant, mox ut signum audierint ad horam nonam manducare ; qui nullatenus jejunasse credendi sunt , si ante manducaverint quàm vespertinum celebretur officium. Concurrendum enim est ad Missas, & postea auditis Missarum solemniis , sive vespertino officio, largitis priùs eleëmosynis , ad cibum accedendum est. Si verò aliqua necessitate constrictus quis fuerit , ut ad Missam venire non valeat, æstimata vespertina hora & completa oratione sua , jejunium solvere debet.

Sic finem imponit lib. 3. Amalar. in Ms. cod.

Sciendum quoque est, quòd in singulis diebus Domi-

nicis in Quadragesima præter hos qui excommunicati sunt, sacramenta corporis & sanguinis Christi ab omnibus fidelibus sumenda sunt, & in Cœna Domini, & in vigiliis Paschæ, & in die Resurrectionis Domini penitùs ab omnibus fidelibus communicandum est: & ipsi dies Paschalis hebdomadæ omnes æquali religione colendi sunt. Admonendus est igitur populus ut ad sacro-sanctum Sacramentum corporis & sanguinis Domini nequaquam indifferenter accedat, nec ab hoc nimium abstineat, sed cum omni diligentia atque prudentia eligat tempus quando ab opere conjugali abstineat, & vitiis purget, & virtutibus exornet, eleëmosynis & orationibus insistat, & sic ad tantum sacramentum accedat.





VIII. APOLOGETICUM An Ch. 840.

EBONIS Remensis Archiepiscopi, sanctæ Sedis Apostolicæ Legati. Pro convocatione* Paganorum, redemptionéque Captivorum, ex consensu HLUDOVICI Cæsaris, totiúsque Palatinæ dignitatis ejus directi, posteáque* persecutionis tempore plurimorum Episcoporum ceterorúmque nobilium Laïcorum exsilia passorum, Remensi ab Ecclesia pulsus, septennique custodia pressus, hinc succedente Hlotario Augusto revocatus, publicáque ac auctoritate Ecclesiastica restitutus, assistentibus vel decernentibus magnis Consulibus pariter cum sanctis his* subscriptis Catholicis Præsulibus, DROGONE Archipalatino Præsule, sanctáque unanimitate illi omnes isti concordes, AUTGARIUS Archiepiscopus; AMALWINUS Archiepiscopus, AUDAX Archiepiscopus, HETTI Archiepiscopus, IOSEPH Episcopus, ADALULFUS Episcopus, DAVID Episcopus, HRODINGUS Episcopus, GISLEBERTUS Episcopus, HERMINUS Episcopus, FROTHARIUS Episcopus, BADARATUS Episcopus, HAGANO Episcopus, HROTGARIUS Episcopus, ADO Episcopus, SAMUHEL Episcopus, PROVOCATUS Episcopus, HRAMBERHTUS Episcopus, RATALDUS * .... AMALRICUS vocatus Episcopus, cum ceteris plurimis Presbyteris ac Diaconibus, in Ingelenheim palatio publico assistentibus. His namque explicitis canonicæ restitutionis, Palatinis summis negotiis, comprovincialium receptionis solemniter roborata * VIII. Idus Decembris extitit principali in Ecclesia & sancta sede Remensi, obviam ibi occurrentibus cunctis Diœceseos Præsulibus aut Missis, cum concivibus inclytis, Ecclesiastica aut publica necessitate vel utilitate promotis, quibus veniendi impossibilitas sola non restitit, * generali conventu con-

f.* Conversione.

f.* postea qui

f.* hic

al.* Ratulfus

f.* & Palatinis summis negotiis, cóprovincialiũ receptionis solemnitas roborata.

Deest. * qui

gratulantes, hanc subscriptionem publicam concordi unanimitate celebrata, priscorum Patrum exemplis edocti rationabiliter ediderunt:

Hæc ita scribendo omnes subternotati Antistites unanimiter præfigentes sanxerunt.

a Hæc edita sunt Tom. 2. Hist. Franc. Andreæ Chesnii in Narrat. de depos. Ebbonis, usque ad, gestis legi.

Dum non habetur incognitum, quod à pluribus videtur esse compertū, qualiter Ecclesia hæc maxima Galliarum sub regimine Francorum diversis perturbationibus, ac discordiis Principum indignatione violenta, his temporibus agitata vexatur; unde & plurimi Episcoporum vi propriis à sedibus expulsi, aut timore derelictis gregibus, diversis in partibus exulantur. Inter quos etiam EBO Archiepiscopus Remensis Ecclesiæ, raptus à propria sede, Principum indignatione violenti exilio ductus est. Vnde & reductus sub custodia, ut periculum evaderet, & furores persequentium mitigaret, redimendo tempus, ut meliori tempori se reservaret, cum consensu Episcoporum Pontificali secessit à ministerio, dum inter terrores & discordias ratio non sinit immolare victimas, dicente Domino: *Si offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te relinque ibi munus tuum, &c.* Postquam verò Deus Ecclesiæ suæ tranquilliora reddidit tempora, placuit Principibus & Magistrátibus Ecclesiasticis, ut isdem Pastor ad debitum ovile reverteretur, & oves quas compulsus reliquerat, tuendas reciperet iterum.

Matt. 5. 23.

Quibus & Ecclesiasticis debitis negotiis ego THEODERICUS Cameracensis Episcopus assensum canonicè præbens: sicut priùs de illius discessu compatiendo dolui, ita & modò de illius reversione congaudens Constitutiones has Seniorum vel Fratrum roborando subscripsi; quia talia sæpe contigisse & in aliis Ecclesiasticis gestis legi.

HRODHADUS Suessionensis Episcopus hæc ita similiter roboravi.

HILDEMANNUS Belvacensis similiter.

SYMEON Laudunensis similiter.

ERPWINUS

ERPWINUS Silvanectensis similiter. al* Erpoinus
RAGINHARIUS Ambianensis similiter.
EMMO Noviomacensis similiter.
FOLCWINUS Taravanensis similiter.

In nomine Domini nostri IESU-CHRISTI Dei summi: Glorioso imperante HLUDOVICO Cæsare, cujus prima tempora Regni quanquam valde coruscarent prospera, ultima tamen ejus concussa nimia adversitate divinam quasi indignationem illam passa, quam de novissimis temporibus vis semper terret Evangelica, dicens: *Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filij in parentes.* Matt. 10.21. Multi denique hinc potentes expulsi sunt à patria; Episcopi quoque Dei, aliive Ministri custodias & exilia passi; quidam etiam utriusque sexus nobiles laïci ad monasticum habitum compulsi, ut saltem his flagellis celeri castigatione compuncti, remedia salutis reciperent; quia quos blanda vitiaverat prosperitas, necesse erat ut dira purgaret adversitas, ne ad tartaream vindictam divina ultrò sæviret Majestas.

His etenim manifestis cognitis periculis, Ego Remensis EBO indignus Episcopus inter ceteros anxios tribus afflictus pressuris, id est, sublatis rebus omnibus, in ira vel custodia oppressus Principis, insuper & fessus ægritudine corporis, sancto cum Psalmista dicere non erubui: *Iniquitatem meam adnunciabo, & cogitabo pro peccato meo*; Psal. 37.19. divinis flagellis monitus si in prosperis legem Domini neglexi, ad ipsam in adversis confugere debui; ita ut si quem per potentiam quondam injustè læsi, hinc in angustiis me lædentem ferre patienter devovi. Si cui etiam aliquid indebitè abstuli, ablatis mihi omnibus non contradixi, sed auferenti tunicam, etiam & pallium reliqui. Si enim quandoque unicum* neglexi inimicum diligere, f. * meum. hinc & pro persecutoribus orare didici. Sicque humili satisfactione memetipsum accusans, furores persequentiū mitigare plusquam litigare decrevi; sancto instruente Abraham, qui inter pericula à prælatione uxoris se exuens, vim facientibus humiliter cedere magis quàm damnabiliter resistere elegit. Sanctus utique Apostolus

Rom. 12. 19. non minus eadem docuit, cùm dixit: *Non vosmetipsos defendentes, carissimi, sed date locum iræ.* Inter divina siquidem verbera Beatus Iob non murmurare sed orare atque confiteri peccata maluit, cùm anxius inter cetera multa lamenta dixit: *Peccavi: Quid faciam tibi ô custos hominum?* Quibus multimodis Patrum animatus exemplis, ductus eodem mundano impetu, compulsus ad tribunal Palatinum, non ad synodalem Sanctorum conventum, quò violenter non licet trahi, sed magis liberum canonicè convocari Episcopum. Contigit tamen me in media multitudine Sanctorum adstitisse fratrum hiemali vexatione diutina ibi afflictorum, quorum consolatione pia recreatus, illa mihi divinitus inspirata sententia caritatis præsto apparuit condolentium, sicut scriptum est: *Cùm patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra*; quorum consilio adjutus tres mihi ex ipsis elegi secretissimos adjutores, AIULFUM videlicet Archiepiscopum, BADARADUM*, MODOINÚMQUE Episcopos, cum quibus de Salvatoris nostri institutione, peccatorúmque remissione diligenter contuli, memor Evangelici præcepti dicentis: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare.* Hac igitur auctoritate cernens, quia frater, quanto magis quia Princeps meus commotus adversum me erat, reliqui munus oblationis meæ ante altare, & summa satisfactione jam dictorum consensu Confessorum vel fratrum succumbens propter recuperandi concordiam, illatas omnes patienter suscepi injurias, & puritate confessionis remissionem peccatorum veniámque, & non condemnationem percipere credidi, quia superbiam in me judicavi ut necem diabolicam, vanam gloriam, ruinam perpetuam: mundi hujus (quod est amatorum mundi) noxiam amicitiam, quæ divino testimonio ad Dei pertinet inimicitiam, in me damnavi ut pœnam tartareã, sacra dicente Scriptura: *Qui hujus sæculi amicus fuerit, inimicus Dei deputabitur.* Fratris convicium, ut fatuè dictum, lege Evangelica deputavi ut gehennale supplicium: menda-

Marginal notes: Iob. 7. 20. — 1. Cor. 12. 26. — al. *Baradadũ — Matt. 5. 23. — Iac bi 4. 4.

cium quoque vel odium non minus quàm homicidium exsecravi, testante Apostolo: *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Iohan. 3. 15. Eodem modo mendacium respui, ut scelus pessimum, de quo divinitus habetur præfixum: *Perdes omnes qui loquuntur mendacicum*: Psal. 5. 7. quo scelere offenditur Deus, decipitur proximus, perit & ipse propria necessitate dolosus. Quibus quidem aliisque similibus formidolosissimis pestibus territus atque compunctus, non fictè, sed devotè corripiente me Domino ingemui, qui *quos amat, arguit. Flagellat omnem filium, quem recipit*, Heb. 12. 6. sancto clamante Apostolo: *Cùm judicamur, à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* 1. Cor. 11. 32.

Ne igitur sævientes in me ampliùs peccarent, Salvatoris nostri evadendi usus sum argumento, qui inter manus persequentium se abscondit, & exivit de templo, neque periculis imminentibus distuli exire de Templo, & secedere à Pontificali officio, qui violenter triennio jam exclusus eram à debito sacrificandi loco. Nam & Apostoli tempore passionis territi, non ritum sacrificandi, sed provida circumspectione abdita tantùm loco orationis quærebant latitandi: quia metus fraterna cum discordia divina ritè non celebrat charismata, etiam & tempus lugendi non exposcit solemnia, sed potiùs evadendi remedia, dicendo: Psa. 31. 6. *Confitebor adversum me injustitias meas; & tu remisisti impietatem peccati mei: Pro hac orabit ad tè omnis Sanctus in tempore opportuno.* In hoc ergo tempore opportuno si sancti pro remissione peccatorum laborant, peccatores utique ad confessionis remedia currere non differant necesse est. Vnde & nequaquam noxia, sed potiùs saluberrima habenda est illa confessionis meæ publica inscriptio, per quam perhibetur certa peccatorũ posse fieri remissio, dum lex pœnitentium, quæ à mærore incipit, ad gaudia meritò consurgit; divina dicente sententia: *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent*: Psal 125 6. neque enim Dominus despicere aut damnare, sed potiùs sanare atque erigere contritos corde legitur. Subscriptionem ergo mihi in angustiis, nequaquam damnationis sed potiùs ereptionis titulo edidi, quam non convictus, sed

valde conſtrictus pertuli, meliùs hîc inſerendam annotatione publica prævidi in teſtimonio * veritatis, ne aucta aut minuta maculetur alicujus æmuli quandoque mendaciis, ut & quod tunc geſtum eſt ſecreto ereptionis argumento, hinc jam publico ubique diſcutiatur ab omnibus veræ caritatis ſtudio, & dum nullum ibi certum damnationis præfigitur crimen, nullatenus ullum poſſit ultrà pati confuſionis diſcrimen. Non noxia ergo, ſed valde proficua habenda eſt talis ſubſcriptio, quæ furores perſequentium mitigavit, hiemales anxias vexationes fratrum porrecta levigavit, me etiam ab ira perſequentium eripuit; inſuper & ſecundùm ſanctarum Scripturarum auctoritatem mihi confitenti remiſſionem porrigit peccatorum, ſi perſeveravero divinitus caſtigatus certa in emendatione morum. Scripſi utique in quo apud Deum non corrui, ſed potiùs humili ſatisfactione convalui, & hæc ita vim facientibus edita obtuli, quia certus ſum, & ſcio cui credidi dicens:

* Ego EBO indignus Epiſcopus recognoſcens fragilitatem meam & pondera peccatorum meorum, teſtes confeſſores * meos AIULFUM videlicet Archiepiſcopum, BADARADUM quoque, necnon & MODOINUM Epiſcopos conſtitui mihi judices delictorum meorum, purámque ipſis dedi confeſſionem, quærens remedium pœnitendi & ſalutem animæ meæ, ut recederem ab officio & miniſterio Pontificali, quo me recognoſco etiam indignum, alienúmque me reddens pro reatibus meis, quibus * me peccaſſe ſecreto ipſis confeſſus ſum, eo ſcilicet modo, ut ipſi ſint * teſtes, alium ſuccedendi & conſecrandi ſubrogandíque in loco meo qui dignè præeſſe & prodeſſe poſſit Eccleſiæ, cui hactenus indignus præfui. Et ut nullam inde repetitionem aut interpellationem auctoritate canonica facere valeam, manu propria ſubſcribens firmavi*. Si quis vero per ſalutarem hanc in preſſuris repertam conſcriptionis formulam me damnandum decreverit, ſimiliter & in omnibus ſcriptis meis me opprimere poterit, in quibus nunquam me juſtifico, ſed ſemper indignum Epiſcopum ſubſcribens ubique denuntio.

ſ. * teſtimonium

* *Videſis iſta apud Cheſniū ubi ſupra, uſque ad:* firmavi

al. * teſtes & confeſſores

al. * in quibus.

al. * ſunt

Nec tamen me in hac eadem ſubſcriptione ullus violatorem aut mendacem deprehendere poterit : quia nemo ibi poſtea utilior præfuit, ſed ſeptenni fermè ſub pœnitentiæ ſpatio, quo in ſancta Eccleſia peccatorum pœnitentibus fieri ſolet remiſſio, patienter exſpectans, nemini conſecrationis ibi dignitatem impedivi. *Nolite ergo*, dicente Domino Deo noſtro, *condemnare, & non condemnabimini: in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini.* Luca. 6.37.

Conſcriptio itaque hæc diverſis neceſſitatibus, id eſt, delictorum vel perſequentium occaſione confecta, ſi adhuc ſcandalizanti alicui ſcrupulum generat, univerſorum ibi quæſo verborum rationem diſcutiat, in qua certo crimine invento, unde canonica ritè ſequatur damnatio juſtè, precor, & non lividè judicet proximum, dúmque ſe æſtimat ſtare, videat ne cadat, quia lividus judex feſtucam in alterius quærens trabem in ſuo nequaquam ſentit oculo. Luce clarius namque Canonica fulget auctoritas, quòd ſicut ſine certo crimine canonicè nunquam dejicitur Epiſcopus, ita nec abſolutione ſpontanea, quanto minùs violenta alterius ſub cuſtodia non licet recedere Epiſcopum ſine concordi præſentia, vel conſenſu civium ſubditorum.

Prævalet ergo meritò in omnibus his Eccleſiaſtica repetitio ſupra quaſcumque alias adinventiones violentas aut libitas, ſua magis quàm IESU-CHRISTI quærentium. Iuſtè ergo judicantur omnia irrita quæcumque non fuerant auctoritate canonica undique fulta. Fidiſſimus denique tot talibúſque præſidiis Eccleſiaſticis ac ſtatutis præſentia & æterna quęſivi remedia, dum nimis tacendo in tempore loquendi, nimíſque loquendo in tempore tacendi, inter cetera memetipſum noxia reprehendi contagia, divinam Majeſtatem implorans, ut ponat ultra *cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis. Ne declinet cor meum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis* : ſed *corripiat me juſtus ſemper in miſericordia.* Cùm enim nec juſtum niſi in miſericordia ſinat corripere divina potentia : quomodò peccator peccatorem damnare licitè poterit divina Pſal 140 3. Ibid. 6.

ſine vindicta? Dominus utique dominantium meretricem legalibus pœnis dignam nonniſi ſine peccato quemquam damnare adquievit: quo pietatis exemplo compunctum corde non mortificare, ſed miſericordiam magis quàm ſacrificium ſe velle monſtravit. Publicanum ſiquidem ſeipſum accuſantem non condemnavit, ſed magis juſtificavit, nec oppreſſit, ſed extulit, cùm non dixit: *Qui ſe humiliat* condemnabitur, ſed *exaltabitur*. Semivivum ſimiliter proſtratum non reſpuit, ſed procurandum ſanctis ſtabulariis ligandi ſolvendíque poteſtatẽ habentibus commiſit, & ſuper divina accepta denariorum reparandi munera compaſſione propria condolere pro æternæ mercedis lucro commonuit, dicens: *Quodcumque ſupererogaveris, ego cùm rediero reddã tibi*. Davidica quippe compunctio momentanea non dejectionem ſed recuperationẽ meruit. Sancti quoque Apoſtoli de promiſſa ac mentita in paſſione perſeverantia, poſt reſurrectionem verò de ſtultitia & incredulitate vel cordis duritia increpati: Petri etiam negatio contritione cordis purgata. Nequaquam damnatos hos verum etiam correctos priſtiníſque dignitatibus reſtitutos non ſolùm celebrat, ſed potiùs de reparatione lapſorum imitando gloriatur ubique gaviſa ſancta dei Eccleſia. Moderna equidem auctoritate palatina compulſos in anguſtiis ad Monaſticum pœnitentis habitum utriuſque ſexus laïcos, itémque pace reddita rediiſſe ad ſtatum ſæculi priſtinum manifeſtum eſt; quo etiam ritu nullum eſſe dedecus conſtat, ſi offenſus Clericus poſt humilem ſatisfactionem ſui debitum clericatum recuperat.

Iohan. 8. 3.
Oſee. 6. 6.
Luca, 18. 13.
Luc. 14. 11.
Luc. 10. 30.

Igitur tam manifeſtis novi ac veteris Teſtamenti divinis nobis oſtenſis beneficiorum exemplis, ad jam dictam vulgo notam ſatisfactionem humilem me devotus obtuli, eo quod recuperationem magis quàm damnationem unquam ab initio ſemper humilis meruit ſatisfactio. Poſt quam verò perſecutionem ſuccedente offenſi Principis glorioſo herede HLOTARIO Cæſare, mox mihi Eccleſiaſtica reſtituta eſt concordia, & vacantem Eccleſiam, quam quondam violenter amiſeram inveniens, non

præsumptivè, sed repetentibus ibi sanctis Ordinibus debitè septennem ferè post satisfactionem recepi, assistentibus cum Principe magnificis Præsulibus plurimis, quorum auctoritate omnium revocatus, hanc annotationem futuris temporibus recitandam, scriptis his memorabilibus in universa Ecclesia Dei Catholica manifestam fieri placuit, & sinistras opiniones falsorum Fratrum hac certa veritate prolata delere, sanctis verísque fratribus in his omnibus satisfacere decuit, & plus de gratia recuperationis congaudere, quàm de nequitia damnationis dolere, suggerens (sicut oportuit) festiva hæc restitutio Deo dignis posteris procurabit.





An.Ch. 849.

LOTHARII IMPERATORIS CONFIRMATIO

Fundationis Abbatiæ Grandis-vallis. *

* *Vulgò* Munstertthal, *O.B. in diœcesi Basileensi.*

X. IN nomine Domini IESU Christi Dei æterni. LOTHARIUS divinâ providentiâ Imperator Augustus. Imperiali sententiâ vobis innotescat, ut noverit omnium Fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, præsentium videlicet & futurorum industria, quia LUTFRIDUS illustris Comes dominúsque Monasterii, cujus vocabulum est Grandis-vallis, quod est situm in Ducatu Helisacensi, & constructum in honore Beatæ Dei Genitricis semperq; Virginis MARIÆ, detulit obtutibus nostris authoritatem domini & genitoris nostri LUDUICI Augusti, in quibus erat insertum, quatenus ipse & antecessores ejus priores patres præfatum Monasterium in cellulis sibi subjectis, una scilicet quæ nuncupatur Cella, & est constructa in honore S. Vrsicini Confessoris; & alia quæ vocatur Vertuna, & est dicata in honore S. Pauli Apostoli; ob divini cultus honorem & reverentiam ipsius sancti loci, sub plenissima defensione habuissem: sed pro regni* firmitate postulavit nobis prædictus Lutfridus Comes & dominus memorati Monasterii, ut parentes ejus voluntati ob amorem Dei & reverentiam prædictorum Sanctorum nostra confirmaremus authoritate: cujus petitionibus acquievimus, & ita in omnibus concessimus, & in perpetuum secundùm nostrum præceptum confirmavimus. Quapropter præcipientes jubemus, ut nullus alius Rex, aut aliqua persona, inde habeat potestatem aliquid faciendi, sed liceat memorato Lutfrido, suísque successoribus res prædicti Monasterii sub immunitatis nostræ defensione quieto ordine possidere. Et quicquid fiscus exinde sperare poterit, totum nos pro æterna remuneratione eidem Monasterio conce-

f. * rei

concedimus, ut in alimonia pauperum, & stipendia servorum ibidem Deo famulantium perpetuò proficiat in augmentis. Et ideò volumus ut hæc concessionis nostræ authoritas firmior in posterum habeatur, scripto manu nostra confirmavimus, & annuli nostri impressione signavimus. Datum VIII. Kal. Septembris, anno Christo propitio Imperii domini Lotharii XII. Imperatoris in Italia XXX. & in Francia X. Indictione XII. Actum Romarici-monte* in palatio publico in Dei nomine feliciter, Amen.

Gal. * Remiremont.

CAROLVS CRASSVS IMPERATOR

An.Chr.884.

Confirmat Præceptum LOTHARII *Imperatoris.*

XI. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. CAROLUS divina favente gratia Imperator Augustus. Notum sit igitur cunctis sanctæ Dei Ecclesiæ Fidelibus, præsentibus scilicet & futuris. Quia quoddam præceptum LOTHARII Imperatoris nobis ostensum est, in quo continebatur qualiter ipse specialiter in usus fratrum, ad Monasterium quod dicitur Grandis-vallis servientium, loca subtus nominata per suam authoritatem concessit atque confirmavit: id est, Cellam S. Pauli quæ Vertuna dicitur; villam quæ in Pippiniensi Comitatu Nogerolis dicitur, cum Capella sibi subjecta, Vlliwinc nomine; in eodem Comitatu villam Summa-vallis cum Capella sibi subjecta, Theisvenam nomine; villámque in pago Sornegaudiensi; Rondelena-curtem cum Capella sibi subjecta; Vicum cum Capella in eodem Comitatu; sed & villam Saleundis in eodem Comitatu; curtémque Quinetiam in Alsaugensi Comitatu; Colonicámque unam in pago Alsacensi, in monte Sigoldo, cum sex arpentis ex vinea.

Nos quoque rogatu LUTFREDI Comitis hoc idem præceptum per nostræ authoritatis scriptum roboramus.

Insuper etiam rogatu Fratrum ibidem servientium addidimus tria loca, id est, Cellam sancti Imerii cum suis adjacentiis, & villam Bidericam cum capella, atque Rechovis-villare cum adjacentiis suis: & jussimus inde hoc nostræ authoritatis præceptum fieri; per quod decernimus atque jubemus, ut omnia superiùs denotata ad usus Fratrum specialiter deserviant, nullúsque habeat potestatem aliquid inde subtrahere aut minuere, sed perpetua firmitate Fratribus & usibus eorum deserviant, potestatíque illorum subjaceant. Et ut hæc nostræ authoritas concessionis per futura tempora veriùs credatur, diligentiúsque observetur, annulo nostro jussimus sigillari. Datum XII. Kal. Octobris, anno ab Incarnatione Domini octingentesimo octuagesimo quarto, Indictione III. Anno verò regni domini Caroli Augusti VIII. Imperii IV. Actum Ratisbonæ civitate feliciter.

An.Chr.884.

*LOTHARII REGIS**

** Regni quod ab ipso Regnum Lotharij dictum est.*

CONFIRMATIO BONORUM

Grandis-villæ Monasterio collatorum.

XII. IN nomine omnipotentis Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hlotharius divinâ præveniente clementiâ Rex. Dum utilitatibus Ecclesiarum de pio favore consulimus, morem prædecessorum nostrorum exequimur Regum; ídque ad emolumenta totius regni à Deo nobis commissi congruere liquidò credimus. Proinde noverit omnium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorúmque fidelium, præsentium scilicet & futurorum industria, quia* Hugo Comes illustris avunculi nostri Lutfridi filius deprecatus esset mansuetudinem nostram, ut quasdam res seu villas ex Cœnobio S. Mariæ & S. Germani, cujus vocabulum est Grandis-vallis, per nostram authoritatem in stipendiis Fratrum ibidem famulantium confirmaremus. Itaque divino tacti amore hos regiæ dignitatis decernimus apices fieri, per quos sancimus atque de-

ad. * cùm

cernimus, ut illud quod in ipso Monasterio conjacere dignoscitur; sed & Cellam in honore S. Pauli constructam quæ Vertuna dicitur, &c. *ut supra*. Pro absolutione Domini genitoris ac genitricis, nostráque incolumitate, luminaribus ipsius Ecclesiæ seu stipendiis Fratrum, hæc omnia cum Fratre EBRUINO nomine superiùs prælibato, absque ullius detractione seu inquietudine, omni tempore perseverent. Et ut hæc nostræ concessionis authoritas firmior in posterum habeatur, subter manu nostra confirmavimus, & annuli nostri impressione signavimus. Data IV. Kal. Aprilis, anno Christo propitio regni domini LOTHARII gloriosi Regis undecimo, Indictione XIV. Actum in Arlegia palatio regio, in Dei nomine feliciter, Amen.

CONRADI IVRENSIS An.Chr.957.

Burgundiæ Regis, Fratris D. ADELEIDIS,

Instauratio Monasterij Grandis-vallis.

XIII. IN nomine Dei omnipotentis & Salvatoris nostri IESU Christi, CONRADUS Dei clementiâ Rex. Dum utilitatibus Ecclesiarum cum pio favore consequimur, morem prædecessorum exequimur Regum; atque id in emolumentum totius regni à Deo nobis commissi congruere liquidò credimus. Noverit itaque sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorúmque fidelium præsentium ac futurorum industria, quòd auribus nostris allatum est de quodam Monasterio quod Grandis-vallis nuncupatur, hoc quoque secundùm antiquam constitutionem Regum, per conscriptionem præstructum, & sub ipso privilegio usque ad tempus genitoris nostri in Dei servitio, Sanctorúmque ejus constitit bene. Ipsius verò patris nostri culpis exigentibus, cuidam LUTFRIDO nomine prædictum Monasterium concessum est in beneficium: sed non post longa tempora non per beneficium sed per proprietatem in posteram ejus progeniem divisum,

quæ crescens multiplicata, præfatum Monasterium & ejus adjacentia destruxit. Tunc enim inventa est conventio OTHONIS Imperatoris, & filii sui Regis & nostra, Ducibus ibidem præsentibus, Episcopis, Comitibus multis, cæterísque compluribus. Illic nos percunctantes si Monasterium quod per privilegia constructum est, per manum regiam in proprietatem dari liceret. Illis cunctis communiter judicantibus, quòd nullatenus licitum esset, consilium dederunt nobis, ut prædicti Lutfridi filium legaliter ad palatium nostrum vocaremus, & per judicium fidelium nostrorum ipsam Abbatiam per privilegium acquireremus. Quo ita peracto, judicante populo, ipsam Abbatiam & privilegium secundùm legem nobis reddidit. Et nunc verò nos considerantes prædictum Monasterium restaurare, & omnia illi ab antiqua constitutione data per hoc nostrum præceptum reddimus.

Hæc sunt loca & villæ ad eundem locum pertinentes. In ipsa valle Capellæ duæ in honore S. Stephani & S. Martini; villa in Burgensi Comitatu, quæ Nugerolis dicitur, cum Capella S. Vrsicini, & Capella Apostoli Petri, cum villa Vluigen nomine, in eodem Comitatu; villa Summa-vallis, quæ censetur, cum Capella sibi subjecta, & alia Capella cum villa Thesvenna nomine; Capella S. Imerii & curtis Alerici, cum Capella Reconvillare: & alia plura quæ partim in originali prima littera conscripta sunt, immo & partim pro senio & ruptura ejusdem litteræ evanuerunt. Hæc omnia superinserta ad prædictum locum & Monasterium, in usus & stipendia Fratrum ibidem Deo deservientium tradimus atque transfundimus, ut nullus successorum nostrorum, nec Rex, nec Imperator, nec Dux, nec Episcopus, neque Comes, nec ulla persona, neque in beneficium dare, neque in precariam, neque alienare potestatem habeat, sed sub omni integritate ad prædictum locum permaneat. Vt autem hæc nostri Præcepti authoritas firmiorem obtineat vigorem, manu nostra confimando subscripsimus, & de sigillo nostro subtus sigillare mandavimus. Data VII. Idus Martii, anno à nativitate Domini IESU Christi DCCCCLVII.

CONSTITVTIO

Domini PHILIPPI *Regis Francorum de jure patronatus Ecclesiarum.*

An. Christi circiter 1180. *Communicavit D. d'Herouval.*

XIV. PHILIPPUS Dei gratia Rex Franciæ, Fidelibus suis R. Rotomagensi Archiepiscopo, & Universis Episcopis Normanniæ ejus Suffraganeis salutem & dilectionẽ. Noveritis quòd recognitionibus Ecclesiarum per quatuor Presbyteros & IV. Milites, præsentibus Archiepiscopo vel Episcopo loci vel personâ loco eorum, per litteras patentes sufficienter transmissâ, & Baillivo nostro, ad certum locum de communi assensu electum ad assisiam, de qua inter eos convenerit, ubi intervenerit contentio inter Ecclesiasticas & laïcas personas, vel inter Ecclesiasticas & Ecclesiasticas personas de Ecclesia vacante vel non vacante. Si Archiepiscopus vel Episcopus lite mota Ecclesiam illam alicui contulisset, hæc est voluntas nostra, quòd videlicet partibus ad certum locum convocatis, & quatuor Presbyteris ab Archiepiscopo, vel Episcopo, vel eorum assignato, sicut præmissum est, & quatuor Militibus à Baillivo nostro ad recognitionem datis, & illis diligenter examinatis ab ipsis & aliis quos secum viderint evocandos, parti illi remaneat præsentatio Ecclesiæ, in quam plures illorum octo concordabunt.

Nulla autem excusatio locum habebit cùm Archiepiscopus, vel Episcopus per se veniat, vel personam per litteras suas patentes loco suo, ut dictum est, ad assisiã transmittat.

Item si tres illorum octo vel plures de visu concordabunt, similiter penes illum juri patronatus possessio remaneat.

Item si plures illorum octo qui loquuntur de auditu vel credulitate legitimè super sacramenta sua dixerint, quia firmiter credunt quòd ille cui attribuunt patronatum illum, eum habuerit & possederit pacificè usque ad tempus illud, penes eum remaneat possessio.

Præterea volumus quòd nisi ille cui dicitur esse patronus, vel qui ad se patronatum Ecclesiæ asserit pertinere, à die vacationis infra sex menses continuos super hoc non moverit quæstionem, Archiepiscopus vel Episcopus illam Ecclesiam cui voluerit liberam conferendi habeat potestatem: quod non habebit si ille, qui dicit se esse patronum, contra Archiepiscopum vel Episcopum infra sex menses moverit quæstionem. Et si inter eos quæstio oriatur, quòd mota fuerit controversia super jure patronatûs de Ecclesia vacante infra sex menses prænominatos, per quatuor Presbyteros & quatuor Milites, sicut prædictum est, examinatos veritas inquiretur.

Volumus etiam ut si fortuito casu contingat quòd Archiepiscopus vel Episcopus patronatum clamet in Ecclesia, Archiepiscopus ille qui clamat, vel Episcopus ille qui clamat, & est auctor, non sit elector quatuor Presbyterorum qui jurabunt, nec inquisitor, sed vicinus Episcopus statuatur loco Episcopi qui clamat, vel Archiepiscopus tanquam superior, si ipse Archiepiscopus non sit de querela.

HELIÆ

CENOMANENSIS COMITIS DONATIO
Facta Monasterio de Cultura in gratiam fratris sui qui Monachum induit.*

An. Christi circiter 1092. *Gal.* * la Coulture.

XV. NOTITIÆ tam præsentium quàm futurorum intimare curavimus, quòd ego HELIAS Comes Cenomanensis divinæ pietatis intuitu, pro salute etiam & remedio animæ meæ & antecessorum meorum, necnon & pro manachatu Enoch fratris mei, Deo & Monachis S. Petri de Cultura in perpetuum dedi & concessi medietariam de Boisart in eleëmosynam, cum pratis, & terram de Liminario, in præsentia HOELLI tunc temporis Cenomanensis Episcopi, in præsentia IUHELLI tunc temporis Abbatis Culturensis, qui quasi in materno gre-

mio fratrem meum prædictum cum summo honore & jocunditate in Abbatia suscepit. Et ne hujus rei memoria, ut solet, in irritum revocetur, ad hanc paginam recordationis, quam munimento sigilli mei confirmavi, recurrendum.. Testes IOSBERTUS tunc temporis bajulus Abbatis Iuhelli, LANDRICUS Golgothas, IOHANNES Bellimontis.

ANSELMI DE RIBODIMONTE

An.Ch 1099. Anselmi & ejus ad Manassem epistolæ meminit Guibert. de Nog. in fine Lib. 6. Gest. Dei per Franc. Et lib. 8. cap. 9. sub med.

Ad MANASSEM *Archiepiscopum Remensem.*

In nomine Domini. Incipit Epistola quam transmiserunt sancti Peregrini qui amore Dei perrexerunt Hierosolymam, anno ab incarnatione Domini MXCVIIII. *Tempore Vrbani Papæ, Indictione septima.*

XVI. DOMINO suo & Patri M. Dei gratiâ Remorum venerando Archiepiscopo, A. de Ribodimonte, suus fidelis homo & humilis servus, salutem. Sciat Sublimitas vestra, Reverende Pater & Domine, quia etsi non præsentialiter, tamē absentes, in cordibus nostris à vobis auxilium cotidie postulamus; nec solùm à vobis, sed etiam ab omnibus sanctæ matris Ecclesiæ Remensis filiis, in quibus sanè maximam fiduciam habemus. Quia etiam Dominus noster estis, & totius regni Francorum maximè à vobis pendet consilium; notificamus paternitati vestræ aliqua de his prosperis & adversis quæ nobis evenerunt. Ceteris verò per vos notificetur; ut pariter in adversis nobis compatiamini, & in prosperis nobiscum gaudeatis.

Mandavimus vobis obsidentes atque capientes Nicæam, & inde recedentes, totam Romaniam atque Armeniam peragrantes quomodò nos habuimus. Nunc autem restat ut de obsidione Antiochiæ, de multi-

modis periculis illic prælibatis, de innumeris præliis contra Regem Galapiæ, contra Damascum, contra illum ad ultimum Hierosolymitanum perpetratis, aliquantulum loquamur.

Obsessa est igitur Antiochia ab exercitu Domini nimis viriliter, & audaciùs quàm dici potest. Quàm inauditos conflictus ibi ad quandam occidentalem portam cerneres! Quàm mirabiliter illos per sex portas prosilientes cotidie, si præsens adesses, videres! Vtrisque, illis videlicet & nostris, pro libertate & vita certantibus. In illis diebus nostri Principes cupientes civitatem magis ac magis artare, orientalem portam tunc primùm obsedimus; castellóque ibi firmato, Boamundus in illo posuit partem sui exercitus. Principibus autem nostris tunc temporis aliquantulum intumescentibus, Deus, qui flagellat omnem filium quem diligit, adeo nos castigavit, ut vix invenirentur DCC. equites in nostro exercitu, & non ideo quia homines probi & audaces nobis deessent; sed quia equi, aut inopia victus, aut nimietate frigoris, ferè omnes perierunt. Turci verò equis & omnibus necessariis abundantes castra nostra cotidie circuibant, fluvio quodam interposito, qui pro muro nobis habebatur. Aberat & castellum Turcorum ferè VIII. millibus; qui ingredientes & egredientes, de nostro exercitu cotidie occidebant. Contra quos nostri Principes exeuntes, Deo adjutore illos in fugam verterunt, & multos eorum occiderunt. Videns ergo Antiochensis se læsum, Damascum in auxilium advocavit: qui, providentia Dei, Boamundun & Flandrensem Comitem, qui ad quærendas escas ïerant cum parte nostri exercitus, obvios habuit, & Dei auxilio præeunte, victus fugatúsque est ab eis. Adhuc Antiochensis cogitans de salute misit ad Regem Galapiæ; pecuniáque maximâ promissâ, ad hoc ut veniret cum omnibus copiis suis, illum excitavit. Quo adveniente, nostri Principes castra egressi sunt, & Deo adjutore, illa die cum DCC. equitibus & paucis peditibus, XV. millia Turcorum cum suo Rege devicerunt, & in fugam verterunt, & multos eorum occiderunt. In illo

igitur

igitur prælio nostri, non paucis equis recuperatis, cum victoria gaudentes reversi sunt.

Ex illa ergo die magis ac magis convalescentes, viribus receptis, consilium inierunt quomodò occidentalem portam, quæ nobis portum maris, ligna, & herbam auferebat, obsiderent. Communi verò consilio Boamundus & Comes sancti Ægidii portum adierunt, illos * addicturi qui illic morabantur. Interim qui remanserant ad sarcinas, cupientes sibi adquirere nomen, quadam die post prandium incautè illam occidentalem portam adierunt, unde turpiter repulsi atque fugati sunt. Tertiâ post hæc die Boamundus & Comes sancti Ægidij revertentes, miserunt ad Principes exercitus ut illis occurrerent, & sic pariter portam obsiderent. Illis autem parumper morantibus, Boamundus & Comes sancti Ægidij à Turcis victi atque fugati sunt. Itaque nostri homines dolentes, atque suum dedecus pariter gementes (Nam illa die de nostris mille corruerant) ac rebus ordinatis Turcos* militum repugnantes, ac retinentes, vicerunt & in fugam verterunt. Perierunt autem illa die de inimicis ferè mille & cccc. tam armis, quam fluvio, qui hyemalibus pluviis abundabat.

f. * adituri.

* multum.

His ita patratis, nostri firmare castellum aggrediuntur; illóque multiplici vallo, muro firmissimo, necnon & duabus turribus munito, Comitem sancti Ægidii cum balistariis & sagittariis illic collocant. O cum quanto periculo, cum quanto labore, illum firmavimus! Pars quædam nostri exercitus castellum orientale, alia pars castra servabat, cùm omnes castellum firmabant. Ex illis, balistarii & sagittarii portam custodiebant. Reliqui, & ipsi Principes, aggerem jacere, lapides portare, murum struere non cessabant. Quidam numerare multimodas tribulationes; quæ tacitæ etiam satis per se patent, videlicet fames, aëris intemperies, timidorum militum fugas; quæ quantò asperiores, tantò alacriores nostri in sustinendo fuerunt. Veruntamen illud silendum minimè putamus, quòd quadam die Turci se civitatem reddituros simulaverunt, & in tantum nos deceperunt, ut de nostris

ad illos exciperent, & de ſuis ad nos plurimi exirent.

Dum hæc ita agerentur; ut pote nihil habentes fidei, inſidias noſtris poſuerunt, ubi occiſus eſt Wallo Coneſtables. Et alii, tam de ſuis, quàm de noſtris, plures corruerunt. Poſt hæc autem tranſactis paucis diebus, nuntiatum eſt nobis Corbaran principem militię Regis Perſarum in noſtram mortem conjuraſſe, & cum innumerabili exercitu magnum flumen Eufratem jam præteriſſe. Deus autem, qui ſemper ſperantes in ſe non deſerit, non dereliquit ſuos, ſed civitatem Antiochiam tribus civibus eam tradentibus in Nonis Iunii miſericorditer nobis dedit. Depopulata autem civitate, ipſa die omnes paganos in ea occidimus; exceptis quibuſdam in caſtello civitatis ſe tuentibus.

Sequenti ergo die adveniens Corboran cum Rege Damaſci, & Duce Baldach,& cum Rege Heroſolymitano, & aliis quàm plurimis, civitatem obſedit. Nos igitur obſeſſi ab illis, & obſidentes prædictos paucos in caſtello civitatis, ad edendas carnes equorum & aſinorum compulſi ſumus. Secunda die adventus illorum, Rogerium de Barnoniſvilla nobis occiderunt. Tertia die caſtellum, quod contra Antiochenſes firmavimus, aggrediuntur. Sed nil profecerunt. Rogerium tamen Caſtellanum Inſulæ vulneraverunt, unde mortuus eſt. Videntes quia ex illa parte nihil proficerent montana aſcenderunt. Nos autem contra illos egreſſi, victi ſumus ab illis atque fugati. Ipſi verò nobiſcum muros ingreſſi, illum diem & noctem ſequentem inſimul fuimus, diſtantes ab invicem quaſi uno lapidis jactu. Sequenti die aurora apparente, altis vocibis Baphometh invocaverunt; & nos Deum noſtrum in cordibus noſtris deprecantes, impetum facientes in eos, de muris civitatis omnes expulimus. Ibi mortuus eſt Rogerius de Bithiniacavilla. Ipſi verò caſtra moventes, totas civitatis portas obſederunt, ad redditionem cupientes nos compellere inopiâ victûs.

Poſitis ergo in tanta tribulatione ſervis ſuis Deus auxiliatricem dexteram ſuam porrexit, & divina revelatione lanceam, qua perforatum eſt corpus Chriſti, miſe-

ricorditer revelavit. Latebat autem in Ecclesia beati Petri sub pavimento quasi duas staturas hominis. Inventâ ergo istâ pretiosâ margaritâ, cor omnium nostrorum revixit; & vigiliâ Apostolorum Petri & Pauli accepto inter se consilio, miserunt nuncios ad Corbaran, qui dicerent: Hæc dicit exercitus Domini: Recede à nobis, & ab hereditate beati Petri: alioquin armis fugaberis. Quo audito, Corbaran evaginato gladio juravit per regnum & thronum suum quòd defenderet se de omnibus Francis, & dixit se terram possidere & semper possessurum justè vel injustè. Mandavit enim quòd nec verbum ab illo audirent, donec derelicta Antochia Christum denegarent & legem Persarum profiterentur.

His auditis, Christiani confessione mundati, perceptione Corporis & Sanguinis Christi firmiter armati, parati ad prælium, portam egressi sunt. Egressus est primus omnium Vgo Magnus cum suis Francis. Deinde Comes Normannorum atque Flandrensis. Post istos venerandus Episcopus Podiensis, & acies Comitis S. Ægidii. Post illum Tancredus. Vltimus omnium Boamundus invictissimus. Aciebus ergo ordinatis, lancea Domini præeunte & ligno Dominico, cum fiducia maxima cœperunt præliari, Deóque juvante prædictos Principes Turcorum confusos & omnino victos in fugam verterunt, & innumeros eorum occiderunt. Revertentes igitur cum victoria, grates Domino egimus, & solemnitatem Apostolorum cum lætitia maxima celebravimus. Ipsa die redditum est nobis castellum, filio Regis Antiochensis cum Corbaran in fugam verso. Ipse Rex, die qua reddita est civitas, fugiens à rusticis interemptus fuerat in montanis.

Hæc idcircò mandavimus vestræ Paternitati, ut de ereptione Christianorum & de libertate Antiochensis matris Ecclesiæ gaudeatis, & pro nobis omnibus Deum devotiùs exoretis. Confidimus enim multùm in vestris orationibus; & quicquid proficimus, non nostris meritis, sed vestris precibus reputamus. Nunc ergo precamur ut terram nostram in pace custodiatis, & Ecclesias & pauperes de manibus tyrannorum defendatis. Precamur

etiam ut de falsis peregrinis consilium capiatis; quatinus aut signum salutiferæ crucis iterum cùm pœnitentia assumant, & iter Domini peragant, aut periculo excommunicationis subjaceant. Sciatis pro certo quia janua terræ aperta est nobis; & inter alios bonos nostros eventus, Rex Babyloniç missis ad nos nuntiis, dixit se obedire nostræ voluntati. Valete. Obsecramus in Domino Iesu, ut omnes ad quos hæc epistola pervenerit, pro nobis & pro mortuis nostris Deum exorent.

An. Christi 1109.

BALDRICVS

DOLENSIS ARCHIEPISCOPVS

Approbat omnia bona Monasterii sancti Florentij quæ sita sunt in sua diœcesi.

XVII. QVONIAM antiquorum bene gesta à modernis multoties depravantur, nec sæcularia tantùm sed etiam ecclesiastica jura ignorantium seria sæpe perturbat cupiditas: non incongruum hinc arbitror juxta rerum necessitudinem, & temporum rationem, præcedentium instituta succedentium consensu quasi quibusdam fulcire sustentamentis, atque quibusdam munire præsidiis, ut quà manum inferre possit alieni cupidus appetitor, nihil reperiat. Hac quidem consideratione à Monachis S. Florentii res quædam ita gesta est. Dum Domnus BALDRICUS Dolensis Archiepiscopus Româ rediens in secundo ordinationis suæ anno pallium, sui scilicet ordinis perfectionem, secum deferret, pridie Nonas Martii Salmuro apud sanctum Florentium hospitatus est, qui in crastina die, quç tunc Dominica evenit, Capitulum ingressus, cùm sermonem cum Fratribus habuisset, ab ipsis rogatus est ut ea omnia quæ in suo Episcopio possidebant, & suæ dignitatis consensui pertinebant, firmissimè eis concedederet, & sua authoritate protegeret: quibus ipse se facturum spopondit. Post triduum ergo, die scilicet quo discessurus erat, summo mane tabulam * pulsare fecit, &

* Signum ad convocandos Fratres.

Fratribus congregatis Capitulum ingressus est, & eis omnia sicut poposcerant concessit, salvâ tamen querelâ Canonicorum S. Sansonis, & Ecclesiæ sanctæ Mariæ, quæ in castro Dolis sita est. Hujus concessionis testes sunt IOHANNES Episcopus S. Briochi qui cum eo venerat & præsens aderat; Domnus Abbas GUILLELMUS ejusdem Cœnobii, ORGERIUS Prior, & omnes alii Fratres qui tum in Conventu S. Florentii aderant, quos longum est enumerare. Ipse quoque Iohannes Episcopus concessit nobis & quidquid in Episcopio suo habebamus, & quidquid exinde acquirere possemus. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini MCIX. Indictione Romanorum II. Cyclo lunari VIII. Termino Paschali XIV. Calendas Maii: die ipsius Paschæ. VII. Calendas Maii: Lunâ ipsius diei vigesimâ primâ.

DONATIO HILDEBERTI An. Christi 1006.

EPISCOPI AVENIONENSIS,

& ROSTAGNI *viri nobilissimi ac uxoris ejus.*

18. IN nomine IESU-CHRISTI veri æterni Dei. HELDEBERTUS Avenionensis Ecclesiæ humilis Episcopus ejusdem IESU-CHRISTI servus, & ROSTAGNUS nobilissimus vir cum uxore sua BELETRUDE, & filiis PETRONE Clerico & BERTRANNO, & ROSTAGNO seu EMENONE: veteris ac novi conclamat series Testamenti eos qui terrena dona pauperibus tribuunt, atque de suis opibus in Ecclesia Dei militantes sustentant, ab eo æterna præmia recepturos, qui in judicium veniens suis dilectis dicturus erit: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Quod verum esse non ambigit, qui subtili indagatione mente pertractat, quod in Evangelio veritas jubet: *Date*, inquiens, *eleëmosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Et iterum:

Conferuntur Monasterio S. Andreæ Ecclesia & omnia quæ sunt in Aliecaco minore.

Matth. 25. 34.

Luca, 11. 41.


Matt. 6. 20. *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi nec ærugo, neque tinea demolitur; & ubi fures non effodiunt, nec furantur.* Tob. 12. 9. Et quod bonus pater prudenti filio intulit dicens: *Eleemosyna à morte liberat, & non permittit hominem ire in tenebras.* Prov. 13. 8. Et quod quidam Sapiens dicit: *Redemptio animæ viri, propriæ divitiæ.* His igitur animadversis, ut arbiter totius Orbis nostris animabus in die tremendi examinis dignetur misereri, atqué per intercessionem servorum Dei in illa mansione, qua Regis Regum conspectu perfruitur, suorum efficiat consortes fidelium.

Donamus Monachis qui in Cœnobio sancti Andreæ & sancti Martini, quod esse constat infra nostram diœcesim in monte Andaone super flumen Rodani, modò famulantur Deo, & futuris temporibus illic divinum egerint ministerium, aliquid ex rebus nobis commissæ Ecclesię, id est, Ecclesiam sancti Petri quę est in comitatu Avenionense in Alieraco minore, cum omnibus quæ ipsi Ecclesiæ & ipsi villulæ attinere seu pertinere videntur, damus eis potestatem semota omni inquietudine tenendi & possidendi. Præcipio enim ut Abbas & Monachi, qui sub eo in eo Monasterio manserint, prædictam Ecclesiam cum suprascriptis rebus obtineant, & per sinlos annos in festivitate sancti Petri, Pontifici Avenionensis Ecclesiæ tres solidos fideliter in censum persolvant. Si igitur evenerit, ut aliquis ex successoribus nostris, seu quislibet homo, aut ulla opposita persona hanc donationem nostram surgat ad inrumpendum, quod tentaverit non vindicet, sed omnipotentis Dei iram, & maledictionem percipiat, & cum Iuda traditore, & Dathan & Abiron, quos terra absorbuit, in inferno demergatur, & sit anathema maranata; & insuper sciat se excommunicatum, & à liminibus sanctæ Ecclesiæ separatum à beatis Apostolis Petro & Paulo, & à beato Andrea, cujus donationem irritare præsumpsit. Et ut hoc testamentũ in futuris temporibus inconvulsum obtineat vigorem, manibus Canonicorom meorum insigniri jussi. Actum publicè Avenione undecimo Calendas Octobris, Anno

Dominicæ Incarnationis millesimo sexto, Indictione quarta.

Signum HELDEBERTI humilis Episcopi, & ROSTAGNI, qui hoc testamentum scribi & firmari jusserunt.

Signum DURANDI Presbyteri.
Signum RANULFI Levitæ.
Signum ANNONI Presbyteri,
Signum BARANGARII Presbyteri.
Signum RADFREDI Presbyteri.
Signum ANNONI Presbyteri.
Signum PONTII Presbyteri.
Signum GERONIMI Presbyteri.
Signum AMBLARDI Presbyteri.
Signum SANTONI Presbyteri.
Signum ADEMARI Presbyteri.
Signum DANIELIS Presbyteri.
Signum VUARNERII Levitæ.
Signum AICARDI Levitæ.
Signum PONCIONI Levitæ.
Signum PETRI Clerici.
Signum BERTRANNI.
Signum ROSTAGNI.
Signum EMENONI.
Subscripsit PONCIUS Comes.
Subscripsit ROSTAGNUS filius Emenoni.
RAYMUNDUS subscripsit.
Donavit atque firmavit LAUTALDUS.
Subscripsit UMBERTUS filius Bertranni, donavit atque firmavit.



An. Christi 1006.

TESTAMENTVM GIRVINI ET VXORIS EIVS CONSTANTIÆ.

Erogat Monasterio S. Andreæ omnia quæ possidebant in villa Marmanic.


19. AVCTORITAS etenim jubet Ecclesiastica & & lex consistit Romana, ut quicumque rem suam in qualicumque potestate transfundere voluerit, per paginam testamenti eam infundat, ut prolixis temporibus secura & quieta permaneat. Quapropter ego GIRUINUS & uxor mea CONSTANTIA, quo filio nostro nomine Acardo donamus ad Monasterium constructum in honore sancti Andreæ atque beati Martini in monte Andaone super fluvium Rodani, ubi domnus MARTINUS Abbas præesse videtur, sive ad Monachos qui ibi Deo famulantur, omnem hereditatem nostram quam visi fuimus habere aut possidere in pago Advenico in villa Marmanicas, &c.

Facta carta ista in Monasterio sancti Andreæ in mense Novembris die Dominico, Anno incarnati Verbi millesimo sexto, Indictione quarta.

Signum GIRUINI qui hanc donationis cartam fieri & firmari rogavit.

Signum CONSTANTIÆ uxoris ejus, quæ voluit & consentit.

Signum ALARDI filii ejus firmavit.



DOS

DOS facta in consecratione Ecclesiæ sancti Martini in monte Andaone, à STEPHANO *& uxore ejus* GARSINNE, *& à Comitissa Tolosæ* EMMA, *ac filio ipsius* PONTIO.

An. Christi 1024.

20. ALMIFLUI Architecti sapientia cuncta adinvenit suâ prudentiâ cùm primùm caduci orbis poneret fundamenta, creans omnia diversibiliter in speciebus suis subsistentia, ut condito homine ei traderet dominanda, eum rectitudine sui moderaminis arbitrióque suo coustituens, ut amœna paradisi novus habitator possidens, perpetuæ inviolabilísque beatitudinis jura teneret, si præceptis sui Conditoris obediret. At contrà Adversarius præceptis Dei semper inimicus & contrarius ob invidiam hominis sui loco positi, jussis Rectoris parere cupienti, per collegæ virulentũ consensum, delectabili pomi dulcedine transgredi suasit Omnipotentis præceptum. Quia ergo mors dominanda erat, surda aure transgressus est qui jam perierat, atque ut meruerat expulsus est extra januas paradisi, & cœpit possidere tribulationes & ærumnas hujus regni. Mors namque quæ jam cœperat dominari in eum retorsa & in suis sequacibus amplificavit sua jura supra cunctis mortalibus, atque dominata per longa tempora boni malíve rapiebantur ad pœnam. Omnipotens autem cujus creatura deperierat & sponte se morti tradiderat, adinvenit qua arte recuperaret, & non jam mors sed vita quæ est Christus dominaretur, in similitudine sui plasmæ factus est verus homo, ut pereuntes animas redderet Deo patri suo, multa passus redemit omnes à jugo diaboli, & qui antè filii inimici, nunc vocarentur filii Dei. Regrediens verò ad supera regna misit suos Doctores in universam terram, ut cunctis annuntiarent remissionem veram, & qui primo parenti dedit legem, ipse per ora docet qualiter recuperari de-

beat amissa delectatio regni. Abeuntes ergo per cuncta loca prædicationis impenderunt doctrinam cum virtute signorum, atque cum verbis opera miscentes, idola diabolica destruentes, atque ut dignum erat loco illorum Ecclesias ædificantes; quia necesse erat ut expulsis dæmonibus, dominus inibi habitator haberetur. Per auditores verò & sequaces Apostolorum doctrina ædificandarum Ecclesiarum replevit mundum.

Igitur quia imitatio eorum docuit nos construere Ecclesias, & constructas necesse est benedici, utique nos in consecratione sanctissimi Confessoris Martini Ecclesiæ fundatæ in monte Andaone, in Monasterio sancti Andreæ, sicuti mos est in consecrandis Ecclesiis, † Ego STEPHANUS & uxor mea GARSINNIS & filii mei ROSTAGNUS, BERTRANNUS, BERALDUS, STEPHANUS pro amore & dilectione Dei omnipotentis, & remedium animæ meæ & animarum TETBALDI & ERMENGARDÆ; ut Deus omnipotens per intercessionem Sanctorum dignetur misereri, dono in dotem ad Ecclesiam sancti Martini, quæ est fundata in monte Andaone super fluvium Rodani aliquid de alode meo, quod est in comitatu Nemosense, in valle Anaga in villa quam vocant Cavairaco mansum unum quem tenet Guibaldus, cum curte & exago suo, & cum ipsis arboribus, & cum omnibus quæ ipsi manso pertinent vel pertinere debent, & faciant ipsi Monachi vel Advocati suprataxatorum Sanctorum liberam ac firmam in omnibus habentes potestatem. Si verò, quod absit, evenerit ut ego, aut quilibet in mea progenie, seu cujuscumque dignitatis homo hoc donum molestare quolibet modo præsumpserit, quod petit, non suæ potestati subjiciat, sed iram Omnipotentis incurrat, anathematizetur à beato Martino cui hoc donum confertur nisi ad emendationem venerit; insuper verò componat in vinculo tantum & alium tantum, & deinceps hæc donatio valeat..

Factum hoc dotalitium in mense Novemb. Anno Dominicæ Incarnationis millesimo vicesimo quarto, Indictione septima.

Signum, Ego STEPHANUS, & uxor sua GARSINNIS, & filii sui ROSTAGNUS, BERTRANNUS, BERALDUS, STEPHANUS, qui facientes hoc donum testibus firmare fecerunt firmum illorum manu.

EMENONE subscripsit.

EMENONE rursus subscripsit.

GONTERIUS subscripsit.

Ego EMMA Comitissa & filius meus PONTIUS pro amore & timore Dei, & remedio animæ meæ dono in dotalitium ad Ecclesiam sancti Martini mansum unum in Avenione civitate, quem tenet Petrus filius Briceionis.

EMMA Comitissa subscripsit.

Signum PONTII.

Signum BERTRANNI.

BARANGERIUS subscripsit.

AMICUS suscripsit.

RICHARDI *NORTMANNORVM DVCIS III.* *Donatio propter nuptias* ADELÆ *facta.*

An. Christi 1016.

Communicavit Dominus d'Herouval.

21. INEFFABILIS Dei Omnipotentis clementia non patiens manere imperfectum numerum Angelorum, apostatæ Angeli prævaricatione imminutum, hominem ad imaginem & similitudinem suam factum disposuit tenere in superna felicitate locum, quem Angelus per superbiam lapsus reliquerat vacuum; cui homini ad propagandam posteritatis prolem sociam ex proprio latere formavit mulierem, quò & unitas in utroque maneret conditionis, & duo in carne una jungerentur in progeniem posteritatis. Hoc enim sic approbatur verbis divinæ legis: *Propter hoc relinquet homo patrē & matrem & adhærebit uxori suæ; & erunt duo in carne una*: Vnde patenter datur intelligi non quocumque modo vel for-

tuitu, quaſi ex libero animi arbitrio mulierem ſociandam eſſe viro, cùm conſtet hoc ut ſemper legitimè fiat multiplici Scripturarum divinarum approbatum & ſtabilitum teſtimonio. Nam ut Chriſtus mundo manifeſtaret ſacrum & ſibi placitum eſſe legitimum conjugium nuptiarum, ſuâ perſonâ* dignatus eſt ſacrare convivium, & miraculo potentiæ ſuæ animos lætificare convivantium. Cujus etiam conjugii copulam indiſſolubiliter volens utriſque viventibus permanere, ipſe aliàs dixit: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Niſi fortè quòd evangelicis verbis traditur, occurrat rationabilis cauſa. Denique ſuper hoc ſic Apoſtolus ait: *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus Eccleſiam.* Iis ergo & multis aliis Dominicis præceptis habetur fixum, viri & mulieris conjugium legitimè in Domino ſemper celebrandum.

f. * præſentiâ

Matth. 19. 6.

Epheſ. 5. 25.

Quibus ego Richardus Nortmannorum Dux obtemperare contendens, accipio te D. Adela in conjugem legalis deſponſationis anulo mihi in carnis unitate jungendam, non voluptatis exercendæ cauſâ, ſed generandę in obſequium Chriſti, prout ipſe diſpoſuerit, prolis gratiâ: quod ut obtineam votis omnibus exopto divinitate propitia.

Sive Atala & Ala, filia Roberti Regis Franc.

Concedo ergo tibi jure dotali de rebus proprietatis meæ çivitatem, quæ appellatur Conſtantia cum Comitatu, exceptâ terra R.* Archiepiſcopi.

* Roberti.

Concedo etiam caſtella quæ ibi habentur; videlicet Caruſburc cum eo quod dicitur Holmus, & eo quod dicitur Bruoto, cum his quæ ad hæc aſpicere videntur.

Concedo quoque curtem quæ dicitur Ver ſuper fluvium Senæ, cum ſylvis & terris cultis & incultis; & ſuper eumdem fluvium curtem quæ appellatur Cerencis.

Concedo denique curtem ſupra mare, quæ dicitur Agons; & eam quæ appellatur Valangias, cum ſylvis, pratis, molendinis, & omnibus appendiciis: Abbatiam necnon quæ appellatur Porthail, quæ ſita eſt ſuper aquam Iorfluctum cum portu, & pagum qui dicitur Sarnes cum aquis & portu maris: & pagum qui dicitur Haga cum ſylvis & portu maris.


Concedo etiam pagum qui appellatur Balteis, cum aquis, terris cultis & incultis; & eum qui dicitur Egglandes, cum aquis, piscatoriis, & curte quæ dicitur Percei cum appendiciis suis: curtem denique quæ dicitur Moion, cum appendiciis suis quæ ad eam pertinent.

Et in Comitatu Bajocacensi concedo villam quæ dicitur Cathim super fluvium Olnæ, circumquaque cum Ecclesiis, vineis, pratis, molendinis, cum foro, telonio, & portu & omnibus appendiciis suis.

Hæc omnia tibi habenda sub nomine & lege dotis, subnixa adstipulatione de rebus meis transfundo, ut juxta nobilitatis tuæ lineam dotata indissolubili mihi jungaris amore conjugii, & gaudeas nostræ consors donationis iis rebus suo jure tibi bene concessis, cujus cessionis dotalitio, vt sibi convenientem firmitatis teneat vigorem, manu propria subscripsi, addita auctoritate mei nominis.

Ego RICHARDUS hoc dotalitium fieri iussi, & confirmo.

Datum mense Ianuario, Anno Incarnationis Domini millesimo vigesimo sexto, Indictione IX.



An. Christi 1075.
Ex Ms. D. d'Herouval.
Ut ob injurias & dãna illata Lehunensibus Monachis satisfaciant domini Nigellæ & Bovæ.

GREGORII PAPÆ VII.

22. GREGORIUS Episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis nobilibus viris I. de Nigella & R. de Bova Noviomensis & Ambianensis diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Quàm graviter in persecutione suorum offendatur Dominus; in quibus honorari se asserit atque sperni, vos debita volumus meditatione pensare, ut sic dilectos filios Priorem & Conventum Lehunensem Ambianensis diœcesis, qui hujus sæculi vanitatibus abnegatis obtulerunt Domino laudis sacrificium semetipsos, non solùm non gravetis, verùm etiam ipsos studeatis propensiùs honorare. Ad nostram siquidem audientiam eisdem conquerentibus noveritis pervenisse, quòd vos nescimus quorum seducti consiliis minimè sicut convenit attendentes, quòd laïcis super Ecclesiis, personis & rebus Ecclesiasticis nulla est attributa potestas, ipsos ac homines eorumdem tam per vos quàm per Balivos vestros indebitis exactionibus multipliciter aggravatis & affligitis, extortiones & indebitas exactiones exigendo contra justitiam ab eisdem & libertates & immunitates ipsorum infringere moliendo.

Cùm itaque gravamen ipsorum Monasterii nolimus clausis oculis pertransire, nobilitatem vestram rogandam duximus attentiùs & hortandam, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatinus ob reverentiam B. Petri & nostram à prædictorum Prioris & Conventus, necnon & hominum eorumdem molestiis & gravaminibus desistentes, & desistere facientes Balivos eosdem, satisfaciatis de damnis illatis & injuriis competenter. Alioquin dilectis filiis Abbati & Priori S. Cornelii Compendiensis, Suessionensis diœcesis, nostris damus litteris in mandatis, ut tam vos quàm Balivos vestros ad id monitione præmissa per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cognita veritate compellant.

Datum Perusii IV. Idus Decembris, Pontificatûs nostri anno tertio.

GAVFREDI
Avenionensis Episcopi Arbitrium.

An Christi 1154.

XVIII. ANNO Incarnationis Domini MCLIV. Ego GAUFREDUS Avenionensis Ecclesiæ Episcopus querimoniam Cabillonensis Ecclesiæ adversus Monasterium S. Andreę factam auctore Deo ita terminavi. Communi siquidem utriusque partis assensu nostri arbitrii diffinitione electa, venerabilis præfatæ Ecclesiæ Episcopus ALFANDUS cum Clericis suis, & venerandus prænominati Monasterii Abbas PONTIUS cum Monachis suis, ob dirimendam susceptæ litis dispendiosam controversiam ante nostram præsentiam convenerunt. Ecclesia itaque adversus Monasterium intendente, quòd Ecclesia B. MARIÆ, & Ecclesia sancti Phileæ suæ proprietatis fuissent antiquitùs, & à præfato Monasterio per manum laïcam sibi violenter ablatæ, & hoc antiquorum & Clericorum & laïcorum testimonio approbare nitente; Monasterium canonicam præfatarum Ecclesiarũ donationem, à bonę memorię primùm RADULFO, demum DESIDERIO Cabillonensis Ecclesiæ Episcopis, magnarum & religiosarum personarum consilio sibi factam Scripturæ attestatione asseruit; & eamdem donationem felicis memoriæ Romanorum Pontificum Vrbani, Innocentii, Eugenii privilegiis munitam & roboratam, eorumdem privilegiorum attestatione demonstravit.

Lis mota inter Episcop. Cavallionensem & Monachos S. Andreæ Avenion. de Ecclesiis nonnullis dirimitur.

Nos verò beneficiorum & privilegiorum jura temerare formidantes, & quieti Monasteriorum prompto studio intendentes, ita arbitrium nostrum temperavimus, ut Monasterium canonica donatione & privilegiorum munimento gauderet, & intenta querimonia amicabili de cetero compositione sopita cessaret.

Dominum itaque Episcopum & Clericos ejus supplicando rogavimus, ut omni quæstione & quærimonia præfatarum Ecclesiarum pietatis intuitu de medio sublata, easdem Ecclesias jamdicto Monasterio perpetuo beneficii jure tenendas concederent. Abbatem verò & Monachos

commonuimus ut intuitu conservandæ pacis & quietis monasticæ desiderio debitam, & si opus esset plusquàm debitam matrici Ecclesiæ reverentiam dependentes, duos solidos veteris Mergoriensis monetæ, nomine censualis canonis pro sæpedictis Ecclesiis singulis annis Canonicis persolverent. Quod & in nostra & multorum tam nobis assistentium quàm utrique parti faventium, omnibus volentibus & hoc fieri postulantibus, præsentiâ factum est.

Præterea idem Episcopus omnes Ecclesias & alias res quas præfatum Monasterium in Cabillonensi Episcopatu longis retro temporibus habuit, Abbati & Monachis Clericorum suorum assensu laudavit, & habendas sicut habuit hactenus perpetuò confirmavit, salvo tantùm matricis Ecclesiæ jure synodali

Testes sunt hi & qui inferiùs scripti sunt:

PETRUS Arelatensis Monachus.
RAIMUNDUS Garnerii Clericus.
GUILLELMUS Grammaticus.
RAIMUNDUS Rostangnus Moltanarius.

De illis, FULCHERTUS.
RAINULFUS Canonicus.
GUILLELMUS Gaufredi Monachus.

De Militibus, GUILLELMUS de Bolbone.
BERTRANNUS Romeus.
RAIMUNDUS Giraldi.
ABFANDUS de Fosso.
PETRUS Vgonis.
RAIMUNDUS Bottini.
RAIMBALDUS Siluri
ALPHANDUS Agarnus.
RAIMUNDUS Guillelmi.
AIGARDUS Atanolf.
BERTRANNUS Bermundi.
PETRUS Ebrardi Sacrista.
PETRUS de Affivel Decanus.
PONTIUS Siluri.
ROSTAGNUS de Lastelladas.
PETRUS Lunardi.

ROSTANGNUS

ROSTANGNUS Lamberti.
PETRUS Alfanti.
GUILLEMUS Adalberti.
PONTIUS de Vallejovina.
FRANCO. [ODILUS.
PONTIUS Rostagni.
PETRUS Conils.
AMADUS Cavallons Caims.
ROSTAGNUS Capitis scholæ.
Monachi verò S. Andreæ fuerunt testes PONTIUS Abbas.
ROBERTUS Sacrista. [ROLANDUS.
BERTINUS de Cruerio.
PETRUS de Rostagni.
De Militibus testes fuerunt RAIMUNDUS de Bolbone.
PETRUS Bermundi de Avelloneges.
RAIMUNDUS de Langnas.
ROSTANGNUS Scherpa. [MILO de Avellonege.
PETRUS Botini de Cabillone.
PETRUS Bermundi de Lauduno.
BERTRANNUS de Insula & ROSTAGNUS frater ejus.

NARRATIVNCVLA

An. Christi 1215.

De Concilio Lateranensi IV.

XIX. ANNO ab Incarnatione Verbi millesimo ducentesimodecimo quinto celebrata est sancta universalis Synodus Romæ in Ecclesia sancti Salvatoris, quæ Constantiniana vocatur, mense Novembris, præsidente Domino Papa INNOCENTIO III. Pontificatûs ejus octavodecimo anno. In qua fuerunt Episcopi quadringenti duodecim; inter quos extiterunt duo de præcipuis Patriarchis, videlicet Constantinopolitanus, & Ierosolymitanus: Antiochenus verò gravi languore detentus venire non potuit, sed misit pro se Vicarium Anteradensem Episcopum: Alexandrinus verò sub Sarracenorum dominio constitutus fecit quod potuit, mittens pro se Archidiaconum suum. Primates autem & Metropoli-

tani septuaginta unus. Ceterùm Abbates & Priores ultra octingentos. Procuratores verò Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Priorum & Capitulorum absentium, non fuit certus numerus comprehensus. In ea Synodo fuerunt hæc instituta quæ sequuntur: *Videlicet Canones ejusdem Concilii: & sub finem post orationem Innocentii Papæ:* Sententia de terra Albigensi.

An. Christi 1215.

CONCILII LATERANENSIS IV.

Sententia de Terra Albigensi.

XX. QVANTUM Ecclesia laboravit per Prædicatores & Cruce-signatos ad exterminandum hæreticos & ruptarios de provincia Narbonensi, & partibus sibi vicinis, totus pene Orbis agnoscit. Et quidem per Dei gratiam & sollicitudinem nostram valde profecit, cùm exterminatis utrisque terra ipsa in fide Catholica & pace fraterna nunc salubriter gubernetur. Quia verò novella plantatio adhuc indiget irrigari, sacro consulto Concilio ita duximus providendum, ut Reimundus Tolosanus Comes qui culpabilis repertus est in utroque, nec unquam sub ejus regimine terra possit in fidei statu servari, sicut à longo tempore certis indiciis est compertum, ab ejus dominio, quod utique grave gessit, perpetuo sit exclusus, extra terram illam in loco idoneo moraturus, ut dignam agat pœnitentiam de peccatis. Verumtamen de proventibus terræ pro sustentatione sua quadringentas marchas percipiat annuatim, quandiu curaverit humiliter obedire. Vxor verò ipsius Comitis, soror quondam Regis Arragonum, cui ab omnibus laudabile testimonium perhibetur, quòd sit mulier honesta & catholica, terras ad suum dotalitium pertinentes integrè habeat & quietè. Ita tamen ut sic eas ad mandatum Ecclesiæ faciat custodiri, quòd per ipsas negotium pacis & fidei non valeat perturbari; vel pro illis secundùm Apostolicæ Sedis arbitrium recompensationem accipiat competentem. Tota verò terra quam obtinuerunt Cruce-signati adversus hæ-

reticos, credentes, & fautores ac receptores eorum, cum Monte Albano atque Tolosa, quæ magis hæretica labe corrupta, dimittatur & concedatur (salvo per omnia Catholicorum jure virorum, mulierum, & Ecclesiarum) Comiti Montis-fortis viro strenuo & catholico, qui plus cæteris in hoc negotio laboravit, ut eam teneat ab his à quibus de jure tenenda est. Residua autem terra, quæ non fuit à Cruce-signatis obtenta, custodiatur ad mandatum Ecclesiæ per viros idoneos, qui negotium pacis & fidei manuteneant & defendant, ut provideri possit unico adolescenti filio præfati Comitis Tolosæ, postquàm ad legitimam ætatem pervenerit, si talem se studuerit exhibere, quòd in toto vel in parte ipsi meritò debeat provideri, prout magis videbitur expedire.

TRANSLATIO FACTA DE ELECTIONE EPISCOPI De Majoricis.

An. Christi 1230. *Ex membranis Domini d'Herouval.*

XXI. IN Dei nomine, & ex divina gratia, manifestum sit cunctis præsentibus atque futuris, quòd cùm inter IACOBUM illustrem Regem Aragonum & regni Majoricarum, Comitem Barchinonensem & Dominum Montispessulani ex una parte, & venerabilem patrem Berengarium Episcopum & Capitulum Barchinonense ex altera, quæstio mota esset super Ecclesia Cathedrali de Majoricis, & ibidem Episcopo eligendo, quæ omnia dictus Episcopus & Capitulum ad se de jure spectare dicebant ratione cujusdam donationis, quam quidam Sarracenus olim dominus Deniæ & insulæ supradictæ fecerat Episcopo & Ecclesiæ Barchinonensi, cui donationi consenserant olim Comites Barchinon. Archiepiscopi & Episcopi plures, & etiam prædicta omnia Sedes Apostolica confirmavit. Quæ nitebantur probare per publica instrumenta. Tandem dicti Episcopus & Capitulum attendentes, quòd dicta civitas & regnum Majoricarum

Episcopum exigebant, quem dominus Rex Iacobus supradictus ibi creare volebat, animatus ad dotandam Ecclesiam supradictam, quæ tanquam novella plantatio pullulabat, voluntati regiæ in parte liberaliter adhæserunt, ita quòd mediantibus Populeti & sanctarum Crucum Abbatibus, & aliis bonis viris super præmissis, ad hanc concordiam sive compositionem amicabiliter pervenerunt; videlicet quòd creetur Episcopus in Majoricis, & fiat ibi Ecclesia Cathedralis, & ista prima vice sosummodò sit Episcopus civitatis illa persona quam Dominus Rex voluerit nominare, & quòd dicti Episcopus & Capitulum illi nominationi non possint resistere, imò annuant regiæ voluntati, & eam charitatis brachiis amplectantur: & si fortè persona nominata à domino Rege ante consecrationem decederet, vel ejus consecratio impediretur electionis vitio vel electi, idem dominus Rex aliam nominet personam, & sic de singulis, quousque talem dominus Rex personam nominet, quæ ad consecrationem perveniat licitè cum effectu. Mortuo autem isto primo Episcopo consecrato, postea perpetuò fiat electio per Episcopum & Capitulum Barchenonæ cum assensu Regis Aragonum qui tunc regnabit, & de gremio Ecclesiæ Barchenonæ, si ibi potuerit idoneus reperiri, si autem ibi inveniri non posset, de ipsa eadem Ecclesia Majoricarum, vel de alia, per eumdem Episcopum & Capitulum Barchenonæ, consentiente tamen semper Rege, Episcopus assumatur ad Ecclesiam supradictam; & sic perpetuò res procedat. Verumtamen voluntas Regia ultra duos menses nullatenus exspectetur.

Iste idem ordo servetur si in Minoricis vel Eviça fieret Ecclesia Cathedralis, salva in omnibus portione civitatis & terræ assignata & assignanda Episcopo Barchenonæ, ratione militum & hominum armatorum, quos secum duxit & habuit in captione civitatis & insulæ supradictę, & salvo in omnibus Apostolicæ Sedis mandato.

Datum apud Populetum octavo Idus Novembris, Anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo.

Signum Iacobi Dei gratiâ Regis Aragonum, & Re-

gni Majoricarum, Comitis Barchenonensis, & domini Montispessulani.

Hujus rei testes sunt, Frater A. Gallart Abbas Populeti.

Frater B. Calvo Abbas Sanctarum-Crucum.

Frater G. de Cervaria.

P. de Sentillis Sacrista Barchinonensis.

P. Ierrandi de Albarazino.

P. Cornelii.

PELEGRINUS de Castroaçello.

Signum PETRI de sancto Melione Scriptoris, qui hoc mandato domini Regis scripsi pro G. Rabacia Notario suo, loco, die, & anno præfixis.

ODONIS

An. Ch. 1249

EPISCOPI TVSCVLANI

Ad INNOCENTIUM IV. *Papam.*

XXII. SANCTISSIMO Patri ac Domino INNOCENTIO Dei gratiâ Summo Pontifici, ODO miseratione divina Tusculanus Episcopus, devota pedum oscula beatorum, cum omnimoda obedientia & reverentia & honore. Inter alia quæ exercitui Christiano in Cypro commoranti acciderunt, postquàm Sanctitati vestræ litteras destinavi, hæc vobis scribere dignum duxi.

Sextâ feriâ post festum beati Lucæ, Vicecomes Castridunensis & alii quamplures Milites Cypro applicuerunt. Et post aliquot dies, diabolo instigante, orta est discordia inter dictum Vicecomitem & Marinarios suos. Abalistariis Vicecomitis interfecti sunt duo ex parte Ianvensium, quorum unus erat magnus homo & nobilis. Idem etiam Vicecomes, nescio quo ductus spiritu, habito tractatu cum Comite Montis-fortis, voluit & multi Milites cum eo ad partes Aconensium transfretare. Quo cognito, Rex Franciæ inhibuit ei & aliis Militibus ne hoc facerent: quia hac occasione posset totus dissolvi exercitus,

& Christianitatis negotium impediri. Quia verò idem Vicecomes volebat quoquo modo quod proposuerat adimplere, fecit Rex armari gualeas suas, & inhibuit dominis navium, ne dominum Vicecomitem vel suos complices ferre aliquatenus attentarent. Tunc idem Vicecomes ad aliud se convertit; & saisivit navem & omnia quæ in navi erant, asserens quòd secundùm conventiones habitas inter ipsos & dominos navis, tam navis quàm omnia quæ erant in navi sua esse debebant. Tandem mediante Rege Franciæ tractatum fuit, ut compromitterent dictæ partes in duos bonos viros, & Rex poneret tertium. Sed non consenserunt partes. Et ideo dicta discordia non potuit tunc sedari.

His diebus, dominus Willelmus de Merleto senior, dominus Willelmus de Barro, Comes Montis-fortis, dominus de Duech, Castellanus de Burgues, & alii quamplures Milites viam universæ carnis ingressi sunt.

Per idem tempus, Magister Militum Templi & Marescallus Hospitalis scripserũt Regi, quòd Soldanus Babyloniæ cum magno exercitu ad partes Gazæ venerat ad conciliandum sibi Soldanos Halapiæ & Damasci; & timebant ne fortè Ioppen vel Cæsaream intenderet obsidere. Postea etiam scripsit Regi idem Magister, quòd quidam Admiraldus Soldani Babyloniæ ad ipsum venerat, nec tamen ex parte Soldani veniebat, ut dicebat, nec litteras ejus habebat; sed venerat ad inquirendum voluntatem Regis Franciæ, quia dominus suus libenter cum eo pacem haberet: &, ut dicitur à quibusdam, ad requisitionem dicti Magistri Soldanus ad ipsum miserat dictum Admiraldum: quod factum valde Regi displicuit & omnibus Baronibus. Et incontinenti Rex per litteras suas inhibuit dicto Magistro, ne de cetero tales nuncios recipiat, vel cum eis colloquium habere præsumat sine mandato speciali ipsius. Dicebatur enim ab omnibus qui factum Syriæ noverant, quòd quantumcunque oppressi erant Christiani, nunquam primi verbum faciebant de treugis faciendis, sed tunc primò quando à Turcis super hoc erant cum magna instantia requisiti: & ideo quod

dictus Magister primò verbum moverat de treugis, conditio Christianorum facta erat deterior; & maximè, quia ex hoc Turci credere poterant quòd Rex ęstimans se Turcis inferiorem viribus, festinavit, quacunque treuga inita, ad propria remeare.

Per idem tempus venerunt nuncii ad Regem Francię Principis Antiocheni; & similiter Regis Armeniæ ex parte dominorum suorum Regi exennia deferentes. Patriarcha etiam Antiochenus & dictus Princeps quosdam nuncios ad Regem & ad me miserunt, per suas litteras intimantes quòd Turchoniani paulò ante cum nimia multitudine partes Antiochiæ aggressi fuerant, & Christianitati tam in rebus quàm in personis intulerant magnum damnum. Vnde supplicabant Regi ut eis quàm citiùs ministraret auxilium. Rex verò misit eis sexcentos balistarios. Militiam mittere noluit, timens dissolutionem exercitûs, & quia tempore statuto non posset exercitus congregari.

Circa verò festum beati Nicolai facta est rixa in Famagusta inter marinarios gualearum Regis & servientes ipsius; & quidam de dictis servientibus interfecti fuerunt. Quò Rex properans, plures ex utraque parte fecit capi, ut sic posset sciri qui erant auctores flagitii antedicti.

Hiis diebus Rex & Regina moram trahebant in Nicossia. Militia verò dispersa erat per casalia totius Insulæ. Et Regina ab ægritudine quam passa fuerat restituta est sanitati.

Per idem tempus Rex solennes nuncios misit ad Principem Antiochenum, & ad Regem Armeniæ, pro pace inter ipsos reformanda, vel saltem treugis faciendis.

Eodem etiam tempore Marescallus Hospitalis intimavit Regi, quòd Soldanus Babyloniæ & Soldanus Halapiæ cum indignatione recesserant ab invicem sine treugis: & quòd Soldanus Halapiæ in proximo ad Regem nuncios mittere intendebat pro treuga facienda.

Die verò lunæ post festum Beatæ Luciæ, nuncii Regis Tartarorum Castrocherniis, quod distat à Nicossia sex leugis, applicuerunt. Die verò Sabbati ante Natale Do-

mini, Nicossiam intraverunt. Die verò crastina se Regi præsentaverunt, & ei hujusmodi litteras porrexerunt scriptas linguâ Persicâ & litteris Arabicis, quas Rex interpretari fecit de verbo ad verbum: quarum tenor talis est:

Epistola Regis Tartarorum ad S. Ludovicum Regem Franciæ, in Tomo V. Duchesnij. p. 348.

» Per potentiam Dei excelsi, missi à Rege terræ Gan,
» verba Erchalchai, Regi magno provinciarum multa-
» rum, strenuo propugnatori orbis, gladio Christianita-
» tis, victoriæ religionis baptismalis, defensori legis evan-
» gelicę, filio Regi Franciæ. Augeat Deus dominium
» suum, & conservet ei regnum suum annis plurimis, &
» impleat voluntates suas in lege & in mundo, nunc & in
» futurum, per veritatem divinæ conductricis hominum &
» omnium Prophetarum & Apostolorum, Amen. Centum
» millia salutum & benedictionum. Ex hoc rogo quòd reci-
» piat salutationes istas, ut sint gratæ apud ipsum. Faciat
» Deus ut videam hunc Regem magnificum qui applicuit.
» Creator autem excelsus causet occursum nostrum in ca-
» ritate, & facile faciat ut congregemur in unum.
» Post hanc autem salutationem noverit quòd in hac
» epistola non est intentio nostra nisi utilitas Christianita-
» tis, & corrobaratio manus Regum Christianorum, Do-
» mino concedente. Et peto à Deo ut det victoriam exer-
» citibus Regum Christianitatis, & triumphet eos de ad-
» versariis suis contemnentibus crucem. Ex parte autem
» Regis sublimis sublimet eum Deus, videlicet de præsen-
» tia Kiokai. Augeat Deus magnificentiam suam. Venimus
» cum potestate & mandato, ut omnes Christiani sint li-
» beri à servitute & tributo & angaria & pedagiis & consi-
» milibus, & sint in honore & reverentia, & nullus tangat
» possessiones eorum. Et Ecclesiæ destructæ reædificentur,
» & pulsentur tabulæ, & non audeat aliquis prohibere ut
» orent corde quieto & libenti pro regno nostro. Ista au-
» tem hora venimus ad hoc pro utilitate Christianorum &
» custodia, Deo dante excelso. Misimus autem hoc per
» nuncium fidelem nostrum virum venerabilem Sabeldin,
» Monfac, David, & per Marchum, ut annuncient istos

bonos

bonos rumores, & quæ sunt circa nos, dicant ore ad os. Filius autem recipiat verba eorum, & credat eis, & in litteris suis Rex terræ augeatur magnificentiâ suâ. Ita præcipuè quòd in lege Dei non sit differentia inter Latinum, & Græcum & Armenicum, Nestorinum, & Iacobinum, & omnes qui adorant crucem. Omnes enim sunt unum apud nos. Et sic petimus ut Rex magnificus non dividat inter ipsos, sed sit ejus pietas & clementia super omnes Christianos. Duret ejus pietas & clementia. Datum in finibus Muharram. Et erit bonum, concedente Deo excelso.

Noverit etiam Sanctitas vestra, quòd à tempore quo ego & Rex primò intravimus Cyprum, Rex Cypri & Comes Ioppensis Regi præsentaverunt litteras talia continentes:

Excellenti & potenti viro Domino H. Dei gratia Regi Cypri, & nobilissimæ & potentissimæ Dominæ sorori suæ E. eadem Dei gratia Reginæ Cypri, & nobili viro Domino I. de Ibelin carissimo fratri meo, & nobili Dominæ carissimæ sorori meæ Mariæ Rembach, Constabularius Armeniæ salutem & mandatis vestris paratam dilectionem. Notum facio quòd ego sum sanus & incolumis, illud idem desiderans audire & scire de vobis. Sciatis, Domini mei, quòd sicut ad iter agendum pro Deo & utilitate Christianitatis me specialiter exposui, sic conduxit me Iesus Christus usque ad quandam villam quæ vocatur Sauretrat. Verùm quid dicerem vel scriberem vobis, tot terras quas vidimus, quoniam dimisimus Indiam retrò nos ad Pontem, & transivimus Bandach, & totam terram ejus duobus mensibus arrepti itineris? Et quid dicerem tot civitates quas vidi desertas, quas Tartari vastaverunt, quarum nullus hominum posset opulentiam vel amplitudinem æstimare? Vidimus enim tres villas, quarum quælibet erat itineris trium dierum magna. Et vidimus plusquam centum mille aggeres magnos & mirabiles ossium interfectorum, quos Tartari interfecerunt. Et bene videtur nobis quia si Deus prope Tartaros non adduxisset, qui Paganos sic destruxerunt, suffice-

Edita quoque ubi supra: sed mendose.

» rent ad implendum & adquirendum totam terram cisma-
» rinam. Et transivimus unum de fluminibus Paradisi, quod
» Scriptura Gion appellat, majus quod unquam vidimus,
» quia arena ejus durat undiquaque per unam magnam
» dietam.

» De Tartaris verò sciatis quòd sunt ita innumerabiles
» quòd nullus posset eos æstimare, & justissimi & boni ar-
» cherij, terribiles forma, & plurium facierum; & per litte-
» ras non possemus describere ritus eorum. Sed si Deus
» pręstiterit mihi vitam ut possim vos videre cum adjutorio
» divino sanos & incolumes, omnia vobis ore ad os enarra-
» bo. Nunc verò sunt octo menses quòd de die & de nocte
» ambulavimus. Et modò dicitur nobis quòd sumus ad
» medium arrepti itineris terræ nostræ & terræ Chan, hoc
» est, majoris domini Tartarorum. Super negotio autem
» nostro, omnes qui obviant nobis & Tartari & alij dicunt
» nobis quòd bene & egregiè faciemus; & nos intellexi-
» mus pro vero quòd jam quinque anni transierunt ex quo
» mortuus est Chan pater istius qui nunc est; & Barones
» & Milites Tartarorum ita per terras se effuderant, quòd
» infra dictos quinque annos vix potuerunt congregari in
» unum locum, ut dictum Chan inthronizarent. Quidam
» enim eorum erant in India, alij verò in terra de Chata,
» alij in terra Rossiæ, & alij in terra de Caschat & de Tang-
» hat. Hæc est terra de qua tres Reges venerunt in Be-
» thleem adorare Dominum IESUM natum. Et sciatis po-
» tentiam Christi fuisse magnam & adhuc esse, quòd gen-
» tes illius terræ sunt Christiani; & tota terra de Chata
» credunt illos tres Reges. Et ego ipse fui in Ecclesiis eo-
» rum; & vidi IESUM Christum depictum, & tres Re-
» ges, quorum unus offert aurum, & alius thus, & alius
» myrrham. Et per illos tres Reges credunt in Chri-
» stum, & per illos Chan & omnes sui modò facti sunt
» Christiani. Et ante portas suas habent Ecclesias suas,
» pulsant campanas suas, & percutiunt tabulas. Ita quòd
» euntes ad dominum eorum Chan, oportet primò ire
» ad Ecclesiam, & salutare Dominum IESUM Christum,
» & pòst ire & salutare dominum eorum Chan, sive

sit Saracenus, sive Christianus, velint nolint quibus ista non placent.

Et notum vobis facio quòd invenimus multos Christianos per terram Orientis effusos, & multas Ecclesias pulchras, altas & antiquas & bene ædificatas, quas Turci devastaverunt; ita quòd Christiani illius terræ in præsentia avi istius Kan venerunt; quos ille cum magno honore suscepit, & libertati donavit, & fecit prohiberi ne quis faceret vel diceret de quo vel ad modicum possent meritò contristari. Ita quòd Saraceni, qui priùs eis verecundiam faciebant, nunc illud quod faciebant recipiunt in duplum. Et quia propter inopiam prædicationis, peccatis nostris exigentibus, non habebat Christus qui pro ipso in illis regionibus sanctissimum nomen suum prædicarent, ipsemet sanctissimis suis virtutibus pro se ipso prædicat & prædicavit, sicut apertiùs scire potestis, ita quòd gentes regionum illarum credunt in ipsum. Et sciatis quòd illi qui tenentur prædicare, secundùm judicium meum digni sunt recipere magnam pœnam. Sciatis præterea quòd in terra Indiæ, quam sanctus Thomas Apostolus convertit, est quidam Rex Christianus, qui erat in magna anxietate positus inter alios Reges Saracenos. Faciebant enim ei violentiam undique usque ad illam horam qua Tartari venerunt in illam terram, & ipse factus est homo illorum. Et accepit exercitum suum & exercitum Tartarorum, & invasit Saracenos; ita quòd tantum lucratus est infra terram Indiæ, quòd tota terra Orientis plena est sclavis Indicis; quorum plusquàm quinquaginta millia vidi, quos dictus Rex ceperat, & mandaverat venundari. Et non possem vobis dicere de vicesima parte unde quod vidimus. Sed per minus potestis intelligere majus.

Sciatis quòd Dominus Papa misit nuncium suum prædicto Kan, & mandavit ei dicere utrum esset Christianus ánnon, & quare miserat gentem suam ad conculcandum mundum, & quare faciebat interfici pauperes. Cui respondit Kan, quòd Deus mandaverat avis suis & sibi quòd mitteret gentes suas ad gentes pessimas interficiendas.

„ Super hoc quòd mandavit utrum esset Christianus, res-
„ pondit quòd Deus sciebat; & si Dominus Papa vellet
* Hic usque in edit. „ scire, veniret, & videret, & sciret*. Carissimi, ita sunt rumores certi quos scripsi, quòd ego rogo Dominum quòd carta mea sanos & incolumes vos inveniat. Salutate, &c, & rogetis Deum pro me, &c. Datum in civitate magna Saurequant VII. die Februarij.

Receptis autem litteris ex parte dicti Archelchai, dicto die interrogavit Rex in præsentia mea, & Consilij sui, & quorundam Prælatorum, qua occasione dominus eorum adventum Regis audierat, & unde isti Tartari venerant, & quæ fuit causa motiva ut venirent, & quare appellantur Tartari, & quam terram modò inhabitant, & utrum ille Rex magnus magnum exercitum habeat, & qua occasione & quomodò fidem susceperat, & quot sunt anni ex quo Baptismum perceperat, & utrum plures fuerint baptizati cum eo. Quæsivit etiam Rex de dicto Erchalchai, à quo tempore baptismi susceperat sacramentum, & ubi esset modò. Item, quare Bachon ita malè recepit nuncios nostros. Similiter quæsivit de Soldano Mussulæ, quæ antiquitus Ninive vocabatur, an esset Christianus. Similiter de ipsis nunciis, de qua regione oriundi essent, & quot anni erant ex quo fuerunt Christiani.

Ad prædicta sic responderunt, quòd à Soldano Mussulæ missæ fuerunt quædam litteræ ad magnum Regem Chan, quas receperat à Soldano Babyloniæ; in quibus Soldanus Babyloniæ mentionem de applicatione & adventu Regis Franciæ faciebat, mendaciter asserendo quòd sexaginta naves Regis Franciæ per violentiam ceperat & deduxerat in Ægyptum, per hoc volens ostendere quòd Soldanus Mussulæ in adventu Regis Franciæ confidere non debebat. Hac occasione dictus Erchalchai, audito Regis Franciæ adventu, misit ad eum nuncios cum litteris antedictis; qui denunciaverunt ei esse Tartarorum propositum, in hac æstate proxima obsidere Calipham de Baldak; & rogabant Regem ut Ægyptum aggrederetur, ne prædictus Caliphas ab Ægyptiis posset

in aliquo adjuvari. Dixerunt etiam nuncij, quòd isti qui nunc Tartari appellantur, modò sunt XL. anni quòd exierunt de terra sua, quæ non habet civitates vel oppida seu villas, abundat autem pascuis, & ideo homines regionis illius tantummodò in alendis pecoribus sunt intenti, & distat per XL. dietas à terra quam modò inhabitat ille magnus Rex Chan, & in qua posuit sedem suam. Et hæc terra Trahetar appellatur. Vnde & modò Tartari appellantur. Causam autem commotionis eorum dixerunt prędicti nuncij se nescire. Et dicebant quòd dicti Tartari primò debellaverunt filium Presbyteri Iohannis, & ipsum & exercitum ejus in ore gladij peremerunt. Isti autem Tartari sine lege erant.

Dixerunt etiam quòd Rex ille magnus Tartarorum secum habet omnes ferè Capitaneos, cum innumera multitudine equitum & hominum & animalium; & semper sunt in tentoriis, quia nulla civitas posset eos capere. Equi autem eorum semper in pascuis & animalia commorantur, quia non possunt invenire hordeum & paleam quæ possent sufficere equis suis. Capitanei autem præmittunt homines suos in exercitibus, qui mittuntur ad subjiciendum sibi regiones. Ipsi autem remanent cum magno Rege. In potestate autem & in voluntate magni Regis est, ut quando moritur quis, instituat aliquem de filiis suis vel nepotibus Regem. Dixerunt etiam nuncij, quòd iste qui nunc agit in sceptris, Kiokai nomine, matrem habuit Christianam, filiam Regis qui vocatur Presbyter Iohannes, & ad exhortationem ejus & cujusdam sanctissimi Episcopi, qui Malassias vocatur, baptismi sacramentum suscepit in die Epiphaniæ cum decem & octo filiis Regum, & plures alij, maximè Capitanei. Tamen multi sunt adhuc inter eos, qui nondum fidei sacramentum susceperunt. Erchelchai verò, qui istos nuncios misit, Christianus est, jam sunt plures anni, & non est de semine regio. Tamen magnus est & potens; & modò agit in finibus Persidis, à parte Orientis. Bachon verò, homo paganus est, & habet Saracenos Consiliarios, & ideo malè recepit nuncios vestros. Sed jam non habet tantam

potestatem. Modò enim constitutus est sub potestate Elchelcai. De Soldano verò Moyssac sive Mussulæ, dicunt quòd fuit filius cujusdam Christianæ, & ex corde diligit Christianos, & festa eorum observat, nec in aliquo obedit legi Mahemet; & creditur quòd si haberet tempus & oportunitatem, libenter fieret Christianus. Dicti autem nuncij dixerunt quòd oriundi erant de quadam civitate quæ distat à Mussula, quæ quondam Ninive vocabatur, per duas dietas, & quòd Christiani erant à progenitoribus suis. Dicebant etiam quòd nomen Summi Pontificis modò celebre erat apud Tartaros, & quòd intentio Elchelcai domini sui & propositum erat impugnare in hac æstate proxima Calipham de Baldak, & vindicare injuriam à Corosminis illatam Domino IESU Christo.

Octavo verò Kal. Februarij, dicti nuncij à Rege Franciæ licentiam receperunt; & VI. Kal. dicti mensis Nichossiam exierunt, & cum eis fratres Prædicatores, Andreas, Iohannes & Willelmus, quos Rex mittit ad dictum Regem Tartarorum cum exenniis, videlicet quadam cruce de ligno vivificæ crucis, & tentorio de scarleto, cui affixæ sunt bordaturæ, in quibus ea quæ Dominus IEsus Christus gessit pro nobis in corpore suo sunt honestissimè exarata, & quibusdam aliis spectantibus ad cultum divinum, & ad id invitantibus dictum Regem.

Ego verò eidem Regi Chan, & materteræ suæ, & Elchelcai, & Prælatis eorum litteras destinavi, eis denuncians quòd sacrosancta Romana Ecclesia conversionem eorundem ad fidem Catholicam gratulabunda audiet, & eos libenter recipiet ut filios carissimos, dum tamen fidem tenere voluerint orthodoxam, & confiteri eam esse matrem omnium Ecclesiarum, & præsidentem ei esse Vicarium IESU Christi, & quòd huic Vicario omnes qui Christiana professione censentur meritò debeant obedire. Prælati autem ad idem invitantur in eis litteris, & ut ipsum sapiant omnes, & non sint in eis schismata; sed permaneant in veritate fidei, in primis generalibus Conciliis editæ, & à Sede Apostolica approbatæ.

Die verò Epiphaniæ catechizavi quinquaginta VII. Saracenos captivos: qui licèt deberent nullam libertatem assequi, prout illis expresse dictum est, tamen instanter petebant fidei sacramentum. Et postquàm ex illis triginta manu propria baptizavi, perrexi ad processionem Græcorum super quendam fluvium: qui in præsentia Regis Franciæ, & Regis Cypri, & mea, recognoverunt quòd erat unus Deus, una fides, unum baptisma, & quòd illud quod faciebant, faciebant in rememoratione quòd Dominus IESUS fuit tali die à Iohanne aquis Iordanicis baptizatus. Et confessi sunt quando tinxerunt crucem in aqua; nec aliquid dixerunt nisi hoc, *Lumen Pater*, *Lumen Filius*, *Lumen Spiritus sanctus*. Et fecerunt ibidem supplicationes pro Sanctitate Vestra. Pro Vastachio autem orare noluerunt, quia excommunicatus erat à vobis.

Sextâ verò feriâ post Octavas Epiphaniæ, Dominus Archambaudus de Borbonio viam universæ carnis ingressus est.

Dominicâ verò in Quinquagesima, cùm nuncij Regis venissent in Achon pro conducendis vasis, nulla ratione flectere potuerunt Ianuenses & Venetos ad hoc, ut rationale pretium ponere vellent in vasis suis; sed potiùs videbant ad hoc tendere, ut negotium destrueretur, vel quòd eis naulum daretur secundùm voluntatem suam.

Hiis diebus exorta est grandis seditio in Achon, diabolo instigante, inter Ianuenses ex una parte, & indigenas & Pisanos ex altera, & unus Consul Ianuensis telo percussus interiit.

Per eosdem dies pax reformata est inter Soldanos Babyloniæ & Halapiæ, mediantibus nunciis Caliphæ de Baldak; & recesserunt Babylonij ab obsidione Camelæ.

Sextâ verò feriâ ante Dominicam in Passione misit Rex & ego iterum in Achon venerabiles Patres, Patriarcham Ierosolymitanum, Episcopum Suessionensem, Comitem Ioppensem, Constabularium Franciæ, & Dominum Galfridum de Seignes, pro negotio vasorum, &


pro seditione exorta sedanda. Quid autem fecerint, nescio.

Comes verò Vindocinensis sabbato ante Ramos palmarum perrexit ad Dominum, & ut dicitur, postquàm intravit exercitus Cyprum, ducenti & sexaginta Milites diem clauserunt ultimum. In omnibus hiis benedictus Deus.

Rex verò disposuit circa medium Aprilem intrare fines Ægypti, Domino annuente. Pater sancte, orate Deum pro suo exercitu, qui promptus est & voluntarius se opponere, & omnia adversa æquanimiter sustinere pro honore & nomine Iesu Christi. Provideat ergo vestra sancta circumspectio quæ huic tam sancto & pio negotio viderit expedire; & habeat pro certo, quòd de legatis & redemptionibus votorum Cruce-signatorum de transmarinis partibus non pervenerunt ad manus meas centum libræ Turonenses. De redemptionibus verò votorum transmarinorum summa non pervenit ad valorem trecentarum librarum.

Conservet Deus Sanctitatem vestram Ecclesiæ suæ sanam & incolumem per tempora longiora.

Datum in Cypro feriâ quartâ ante Resurrectionem Domini.



H. EPISCOPI MASSILIENSIS

An. Christi 1249.

Ad INNOCENTIUM *Papam IV.*

XXIII. SANCTISSIMO Patri ac Domino reverentissimo I. divinâ providentiâ Pontifici summo, frater H. Dei permissione dictus Episcopus Marselliæ, cum summa devotione reverentiam & obedientiam, pedum oscula beatorum. Sicut cavere volumus ne aures Sanctitatis vestræ mendaciis aggravemus; sic cùm læta & certa, quæ ad honorem Dei & Ecclesiæ pertinent, intelligimus, cum gaudio intimamus. Licet autem frequentes rumores audivimus, quòd ad exaltationem Christianitatis Castrum de Cadro redditum fuerit domino Regi Franciæ divina gratia procurante; quòd cùm tamen per diversos diversimodè dicebatur, supersedimus scribere, donec certitudinem haberemus. Sed nocte præterita Præceptor sancti Iohannis Marselliæ misit nobis litteras, in quibus continetur quòd ante Purificationem per octo dies illustris Rex Franciæ cum exercitu suo ad Castrum de Cadro venit, & fuit sibi traditum per quosdam Saracenos qui insurrexerant contra Soldanum, & per Magistrum Hospitalis & alios Christianos qui ibi sola vi detenti fuerant. Et post duos dies Soldanus venit cum centum millibus in equis, & peditibus innumerabilibus. Dominus verò Rex, Deo disponente, direxit quatuor acies. In prima fuit Comes Flandriæ, cum Templariis: in secunda Comes Britanniæ, & Comes sancti Pauli: in tertia ipse Rex, & Comes Pictaviæ, & Andegaviæ, & Provinciæ, & Dux Burgundiæ, & plures alii Barones: in quarta dominus ROBERTUS Comes Attrebatensis, & * Hospitalium, & plures alii Barones. Duæ verò aliæ scalæ Baronum & militum fuerunt hinc inde ab utroque cornu. Et sic ordinato exercitu, in ortu solis congressi sunt: & à tertia usque ad noctem duravit bellum, & fuit strages Saracenorum innumerabilis, & Soldanus absfugit, & nesciebatur quò ierat. Ex parte verò Christianorum

* Magister

dicuntur esse mortui usque ad mille inter milites, balistarios, & armigeros. Dominus autem Rex & sui fratres sani sunt. Licet tamen Comes Attrebatensis in campo per diem & noctem jacuisset quasi mortuus. Cadrum & Babylonem habet dominus Rex. Et Alexandria, ut dicitur, est eis derelicta. Ergo, Pater sanctissime, *benedicite Deum cæli, & coram omnibus viventibus confitemini illi, quia fecit nobiscum misericordiam suam*, sub vestro regimine Christianitatem exaltando. Datum Marselliæ quinto Kalendas Iunii.

Tob. 12. 6.

An.Ch. 1251. *Ex Ms. codice Domini d'Herenval.*

IVRAMENTVM

VNIVERSITATIS PARISIENSIS,

Factum Reginæ An. MCCLI. *quod publicari & renovari debet per Scholas bis in anno.*

XXIV. VNIVERSITAS Magistrorum Parisiensium eisdem die & anno fecit legi coram Domina Regina hujusmodi Scriptum; & promiserunt quòd juramenta, de quibus in eo fit mentio, à Magistris & Scholaribus facerent renovari & jurari, quòd servarent pacem villæ bona fide pro posse suo de omnibus gentibus, quantum ad omnes gentes tam Clericos quàm laïcos; quod factum fuit eadem septimana: quod Scriptum sic incipit:

Promissum est pro communi utilitate totius Studii Parisiensis, quòd universi studentes Parisius tam Magistri quàm Scholares in Theologia, Decretis, Medicina, Artibus & Grammatica, per sacramentum obligabuntur, quòd omnes tam Clericos quàm Laïcos, tam viros quàm feminas, ex quorum mala vita pax & studium Studentium in prædictis Facultatibus impeditur, revelabunt in secreto Parisiensi Episcopo, vel ejus Officiali, seu Cancellario infra octo dies, si potuerint, postquàm sciverint. Qui Episcopus, Officialis, Cancellarius bona fide promittent, quòd nulli personam nominantes vel denun-

tiantes, revelabunt seu manifestabunt.

Item provisum est, quòd quilibet Regens in prædictis Facultatibus sit per prædictum sacramentum obligatus, quòd nullum diffamatum de meillia* frequenti, raptorem mulierum, fractorem hospitiorum, de nocte errabundum, furem, raptorem, latronem, publicum homicidam, petet tanquam Scholarem liberari, si contigerit eum capi à Præposito Parisiensi, ejus mandato, vel ab Episcopo, nisi bona fide credat eum, modo quo petit liberari, esse liberandum.

* Mendum hîc videtur.

Si quis verò Magister vel Scholaris ad prædicta per juramentum in publico se noluerit obligare, non reputabitur esse de Vniversitate, nec beneficiis Vniversitatis gaudebit. Bachalarii verò Decretales, & leges Legentes, se speciali juramento obligabunt, quòd sacramentum recipient ab illis qui eos audient secundùm formam superiùs annotatam. Et quicumque jurare noluerit, non recipietur ab eis in scholis, super hoc ab eisdem Bachalariis de ipsis non recipiendis præstito juramento. Qui & auditores Legum vel Decretalium, necnon etiam alii, nisi alicujus Magistri actu regentis bis ad minus in septimana scholas intraverint, scholares nullatenus reputentur; & si eos capi contigerit, nec per aliquem Magistrum, nec per Vniversitatem repetentur. Ad hæc autem facienda obligabuntur Bedelli tam communes quàm speciales, cujuscumque fuerint Facultatis, proprio juramento.

Modus autem repetendi Scholares captos talis erit apud Magistros Artium: qui Magister scholaris capti cum duobus Magistris regentibus, quibus constet quòd sit scholaris, accedit ad Præpositum & scholarem suum repetit: qui si reddere denegaverit, dictus Magister significabit hoc Rectori Vniversitatis, & tunc Rector cum nomine Vniversitatis repetet; & si Præpositus eum reddere noluerit Rectori, tunc recurret Rector ad Cancellarium, & postremò ad Episcopum vel Officialem ejusdem. In aliis autem Facultatibus unusquisque Magister scholarem suum repetet pro se, si necesse fuerit. Et publicabitur & renovabitur forma ista per Scholas ad minus

bis in anno, videlicet circa festum Omnium Sanctorum, & circa Carnisprivium.

An. Chr. 1260. *Ex eodem Ms.*

LITTERA SEQVENS

Est de Eleemosyna argenti, bladi, & halecum olim à Rege præscripta, ut fiat tempore Quadagesimæ.

XXV. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. LUDOVICUS Dei gratiâ Francorum Rex. Noverint universi præsentes & futuri; quòd cùm olim temporibus prædecessorum nostrorum pia liberalitate donata fuerit & hactenus observata talis eleëmosyna, videlicet annis singulis tempore Quadragesimali de bursa Regis usque ad duo millia centum decem & novem librarum Parisiensium, & sexaginta tres modii bladi, ac insuper sexaginta octo millia halecum: quæ omnia per manus Eleëmosynarii & Baillivorum Regis distribui consueverunt pauperibus, Monasteriis, Domibus Dei, Leprosariis, & aliis piis locis ac personis miserabilibus & egenis. In augmentum etiam eleëmosynarum, quæ quotidie per manum Eleëmosynarii prædicti injunctis pauperibus erogantur tempore prædicto Quadragesimali, ob devotionem sacri temporis, diebus singulis videlicet centum solidi Parisienses per manum ejusdem Eleëmosynarii injunctis pauperibus consueverint à prædecessorum nostrorum temporibus erogari. Nos pro illius summi Largitoris amore, de cujus manu bona suscepimus universa, & pro remedio animæ nostræ, & inclytæ recordationis Regis Ludovici genitoris nostri, & Reginæ Blanchiæ genitricis nostræ, & aliorum antecessorum nostrorum volumus & statuimus, & etiam ordinamus, ut prædicta eleemosyna tam in pecunia quàm in blado, & aliis supradictis, inposterum à nostris successoribus Regibus Franciæ firmiter & inviolabiliter observetur, & sine diminutione vel contradictione quacumque de proprio Regis ærario singulis annis in posterum exsolvatur, here-

des nostros Reges Franciæ ad id in perpetuum obligantes.

Præsentes autem litteras per Magistrum & Fratres domus Dei Parisiensis in eadem domo custodiri volumus, & heredi nostro, ceterísque successoribus nostris Regibus Franciæ quoties opus fuerit exhiberi. Et nos intuitu divini amoris, & pro remedio animæ nostræ & antecessorum nostrorum prædictorum, & ut diligentiùs & studiosiùs præsentes litteræ custiodiantur, ibidem donamus & concedimus eidem domui & pauperibus in ea degentibus decem libras Parisienses annui redditus, percipiendas in perpetuum ab eisdem apud Templum Parisiense de denariis Regiis in initio Quadragesimæ, pro quærendis ····, & aliis necessariis ad usus pauperum in Quadragesima antedicta. Quod ut perpetuæ stabilitatis robur obtineat, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate ac Regii nominis charactere inferiùs annotato fecimus communiri.

Actum Parisiis anno Incarnationis dominicæ millesimo ducentesimo sexagesimo, mense Septembris, Regni verò nostri anno tricesimo quarto, adstantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa. Dapifero nullo. Signum IOHANNIS Buticularii, S. ALFONSI Camerarii, S. EGIDII Constabularii. Datum vacante Cancellaria.

CLEMENTIS PAPÆ IV.

An. Christi 1266. *Ex ejusdem Ms.*


IACOBO *Aragonum Regis filio.*

XXVI. CLEMENS Episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio nobili viro IACOBO carissimi in Christo filii nostri Regis Aragonum illustris filio, salutem & Apostolicam benedictionem. Si Nobiltati tuæ placet in arduis Apostolicam Sedem consulere, tuam in hoc prudentiam plurimùm commendamus. Per illam enim quæ te sincerè diligit pleniùs dirigeris, nec errare poteris in judicio, quod ejus fuerit assensu firmatum. Sanè super

Respondet non tantùm posse sed & debere matrimonium contrahere cum filia Comitis Sabaudiæ ob ipsius antiquam nobilitatem, &c.

matrimonio de quo consulis inter te & dilectam in Christo filiam B. natam bonæ memoriæ Comitis Sabaudiæ contrahendo, nihil aliud tibi possumus respondere, nisi quòd si conditio personæ attenditur, domus Sabaudiæ nobilis & antiqua mulieres produxit electas, quæ diversis jam Regibus placuerunt, & si ad hoc tuos verteris oculos, nihil invenies, si persona placuerit, quod tibi debeat displicere. Genus enim illud viros etiam habuit strenuos & nunc habet, & ad terras finitimas & remotas suos palmites jam extendit. Verùm si requiris consilium an jus habeat in Comitatu puella, scire vel dicere præcisè non possumus, cùm jura feudorum partim ex Imperialibus legibus partim ex terrarum consuetudine in locis diversis à successione hujusmodi mulieres excludant: sed ut factum attendamus ad verum, securè dicimus quòd & si jus habeat, nisi forsan ex pacto ingressus tibi daretur pacificus, longus esset tractus judicii, & executio difficilior: quam si manu velles armata prosequi, duos expenderes Comitatus & finem non attingeres peroptatum. Hoc ergo videat, hoc discutiat tam tua quàm carissimi in Christo filii nostri illustris Regis Aragonum patris tui circumspectio, an circumscripto penitus Comitatu si pacificè obtineri non possit, dos tibi placeat quæ offertur, quam si ambo duxeritis acceptandam, & persona conveniens invenitur, non occurrit in ceteris quod debeat reprobari. Quòd si dos non placuerit, nosti satis quòd ex causa hujusmodi incompleta conjugia pluries remanserunt.

Datum Viterbii III. Idus Augusti, Pontificatûs nostri anno secundo.



INNOCENTII PAPÆ IV.

Episcopo, Clero, &c. Insulæ Majoricarum.

An. Christi 1167. *Ex rotulo Mf. antiquarum legum à D. d'Herouval communicato.* Civibus Insulæ Majoric. ne inposterum ad lites dirimendas loca remota petere cogantur.

XXVII. INNOCENTIUS Episcopus servus servorum Dei. Venerabili Fratri Episcopo, ac dilectis filiis Clero, Consulibus, Iuratis, & Vniversitati Insulæ Majoricarum, salutem & Apostolicam benedictionem. Propter maris pericula Insulam vestram undique circumdantis, ac frequentes piratarum ac paganorum incursus, ad terram firmam distantem ab Insula ipsa ferè per ducenta milliaria, prout asseritis, pervenire sine gravi dispendio non potestis. Cùm itaque nonnulli, sicut accepimus, ad loca remota sæpe vos citari procurent, & propter impedimenta præmissa litibus cedere, seu cum adversariis damnosas inire cogamini pactiones. Nos obtentu carissimi in Christo filii nostri illustris Regis Aragonum, qui favente divinæ virtutis auxilio dictam insulam de manibus paganorum eripuit, & pro vobis Apostolicam gratiam per speciales litteras imploravit, dispendiis vestris in hac parte occurrere sollicitudine paterna volentes auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut per litteras Apostolicæ Sedis, aut Legatorum ejus, quæ de ipsa insula, & indulgentia hujusmodi plenam & expressam non fecerint mentionem, extra eandem insulam super bonis quæ infra ipsam habebitis vos, vel aliquis vestrûm, non possitis de cetero ab aliquibus conveniri, dummodò parati sitis ibidem coram competenti judice de vobis conquerentibus justitiæ plenitudinem exhibere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Lugduno pridie Idus Maii, Pontificatûs nostri anno septimo.

An Christi 1167.

INNOCENTII PAPÆ IV.

Abbati Monasterii Regalis.

Ejusdem argumenti.

XXVIII. INNOCENTIUS Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Abbati, Priori dicto Regali, Cisterciensis Ordinis, Majoricarum diœcesis, salutem & apostolicam benedictionem. Propter maris pericula Majoricarum insulam &c. *ut suprà.*

Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatinus ipsos non permittatis super his contra concessionis nostræ tenorem ab aliquibus indebitè molestari. Molestatores hujusmodi per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quòd si non ambo his exequendis potueritis interesse, alter vestrûm ea nihilominus exequatur. Datum Lugduno pridie Kal. Maii, Pontificatûs nostri anno septimo.

An. Christi 1294. *Ex authentico Domini d'Herouval.*

BONIFACII PAPÆ VIII.

Regi Majoricarum.

Nuntiat Regi se in Summum Pontificem electum.

XXIX. BONIFACIUS Episcopus servus servorum Dei, Carissimo in Christo filio Regi Majoricarum illustri salutem & Apostolicam benedictionem. Gloriosus & mirabilis in operibus suis Deus, qui cùm sit in misericordia copiosus, in hujus orbis orbita plena malis, conferta dissidiis innumeras miserationes exercet, Ecclesiam, quam ipse summus Opifex rerum instituit, ac supra fidei firmam petram altâ & solidâ fabricâ stabilivit, opportunis favoribus prosequi non desistit; assistit enim illi miserator & propitiator assiduus, non obdormiens nec dormitans in suarum opportunitatum eventibus pervigil custos ejus. Ipse siquidem sibi est in turbatione pacatio, in tribulatione solamen, in necessitate succursus. Túncque maximè in adjutorium ejus sua pietas larga diffunditur, cùm adversus illam mundi nubila tem-

la tempore caligante levantur, quæ inter moleſtias & afflictiones intrepida colligens in vexatione vigorem, in ipſa malorum inſtantia convaleſcit. Nam divino ſemper munita præſidio, nec comminationum ſtrepitu deterretur, nec adverſitatum ſuperatur incurſu, ſed in terroribus tutior & conſtantior, in adverſis preſſa prævalet, paſſa triumphat. Hæc eſt arca quæ per confluentias & multiplicationes aquarum elevatur in altum, & ſubactis culminibus montium libera & ſecura profundas impetuoſi diluvij calcat undas. Hæc eſt utique navis, quæ vento contrario irruente ſtrepentis maris furibundis motibus agitatur, firma tamen & ſolida fragoribus non diſſipatur æquoreis, nec marini furoris rapiditate ſorbetur, ſed elatas procellas obruens, ac ſpumoſa & tumida freta ſternens, triumphanter exſequitur ſuæ navigationis inceſſum, quæ ad vitalem crucis ſalvificæ arborem rectæ intentionis alis totaliter elevatis, in cælum ſemper intenta procelloſum intrepidè mundi pelagus peragrat, eo quòd ſecum habet ſeduli gubernatoris auxilium, marium præceptoris: unde regente illo & dirigente ſalubriter, ac Spiritu ſancto flante, adverſitatum quarumlibet nebulis diſſipatis, victorioſa peregrinationis ſuæ liberum agit iter ad patriæ cœleſtis portum ſupernis nutibus feliciter perducenda.

Cúmque ſic adverſis innumeris prematur & turbetur Eccleſia illa, in intimis ipſam acerbiùs ſauciat duriúſque ferit adverſitas, cum Paſtore utili & provido viduatur. Sed licet ſæpiùs Eccleſia eadem Paſtoris regimine deſtituta longæ viduitatis lamenta protraxerit, exſpectando gemebunda diutiùs conſolationem plenariam ſucceſſoris, in hujuſmodi tamen mœroris nubilo dignanter illi clementia divinæ pietatis illuxit, doloribus & neceſſitatibus ſuis opportunè ſubveniens per ſubſtitutionem optatam & delectabilem novi ſponſi, ac eam de amiſſione prioris interdum inutilis per promotionem mulcebrem * accommodi ſucceſſoris inſtaurans.

*Mulcebris à mulcendo.

Sanè vacante Romana Eccleſia per liberam & ſpontaneam dilecti filij fratris PETRI de Murron olim Romani Pontificis ceſſionem coram venerabilibus fratribus Epiſ-

copis, & dilectis filiis nostris Presbyteris & Diaconis Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, ex certis rationabilibus & legitimis causis factam ab ipso in festo beatæ Luciæ Virginis proximè præterito & à Cardinalibus prædictis admissam, cùm illam posse sic legitimè fieri, & priorum gesta Pontificum & constitutio declarent apertiùs; & ad eam etiam faciendam expressus accesserit Cardinalium prædictorum assensus: Cardinales ipsi considerantes attentiùs quàm sit onusta dispendiis, quàm gravia malorum incommoda secum trahat prolixa Ecclesiæ memoratæ vacatio; & propterea votis ardentibus cupientes per efficacia & accelerata remedia hujusmodi periculis obviare, die Iovis decimo Kal. Ianuarij post festum subsequentem prędictum, Missarum solemniis ad honorem sancti Spiritus celebratis hymnóque solito cum devotione cantato, se in quodam Conclavi apud Castrum-Novum Civitati Neapolitanæ contiguum, ubi tunc idem frater cum sua residebat familia, incluserunt, ut per mutui commoditatem colloquij Ecclesiæ prædictæ provisio, superna cooperante virtute, celeriùs proveniret. Die verò veneris immediatè sequente præfati Cardinales mentis oculis erectis ad Dominum, pia desideria benigniùs prosequentem, in electionis negotio per viam scrutinij ferventibus studiis ut prædicta vitarentur incommoda procedentes, & tandem cùm divina clementia Ecclesiæ prælibatæ compatiens eam nollet ulterioris vacationis periculis subjacere, ad personam nostram licet immeritam intentum animum dirigentes (quanquam inter eos quamplures magis idonei & digniores etiam haberentur) Nos tunc tituli sancti Martini Presbyterum Cardinalem, in summum Pontificem canonicè elegerunt, gravis oneris sarcinam nostris debilibus humeris imponendo.

Nos autem profunda & sedula meditatione pensantes difficultatem officij pastoralis, continui laboris angustias, & præcellentiam Apostolicæ dignitatis, quæ sicut honoris titulis altioris attollit, sic magnitudine ponderis deprimit gravioris. Attendentes insuper nostræ multiplicis imperfectionis insuficientiam expavimus & hæsitavimus

vehementer, nimióque concussum extitit stupore cor nostrum. Nam cùm ad tolerandas particulares vigilias vix nobis possibilitas nostra sufficiat, ad universalis speculæ sollicitudinem vocabamur, & intolerabile Apostolici ministerij jugum inferebatur instanter, debilitatis nostræ cervici jugiter supportandum, ac meritorum non suffulti præsidio, ad suscipiendas Apostolorum Principis Petri claves, & gerendum super omnes ligandi & solvendi pontificium urgebamur. Verumtamen ne divinæ providentiæ opus impedire forsitan videremur, aut nolle nostræ voluntatis arbitrium suo beneplacito conformare, ac etiam ne corda electorum concordia per nostræ dissensionis objectum ad discordiam verteremus, voluntatibus tandem acquievimus eorumdem ad subeundum jugum hujusmodi nostros impotentes humeros submittendo; non quòd de aliqua nostræ probitatis virtute fiduciam habeamus, sed quia in ejus speramus clementia, qui confidentes in se non deserit, sed eis propitius opportunis auxiliis semper adest; quique de sublimi polorum solio Ecclesiam sponsam suam intuetur misericorditer & tuetur, suæque illam exaltare non desinit copiosis beneficiis pietatis.

Ideóque Celsitudinem Regiam rogamus & hortamur attentè & obsecramus in Domino IESU CHRISTO, quatinus diligenti meditatione considerans quòd judicium diligit Regis honor, metas justitiæ curiosus observes, illámque sincerè diligere studeas, æquitatem non deserens, clementiam non obmittens, ut subjectus tibi populus copiosus in pacis pulcritudine sedeat, & in requie opulenta quiescat. Ecclesiam insuper matrem tuam & ipsius Prælatos, nostri utique Salvatoris ministros, ceterásque personas Ecclesiasticas ejus obsequiis dedicatas, quin potiùs in illis Regem Cælorum & Dominum, per quem regnas & regeris, incessanter & solerter honorans, ipsos regij favoris ope confoveas, & in plenitudine libertatum, aliorúmque suorum jurium efficaciter protegere studeas & tueri; sicque in his tamquam filius benedictionis & gratiæ te geras & dirigas, quòd claræ memoriæ progenito-

res tuos, qui erga præfatam Ecclesiam summæ devotionis & reverentiæ titulis dum viverent claruerunt, non solùm imitari sollicitè, sed etiam evidenter excedere dignoscaris ad laudem & gloriam Dei Patris, & celebre magnúmque tui honoris & nominis incrementum. De nobis autem utpote patre benivolo & sincero, qui personam Regiam in minori etiam officio constituti affectuosè diliximus & diligere non cessamus, spem certam & fiduciam firmam gerens; in tuis & ejusdem Regni negotiis & opportunitatibus quæ occurrent, ad nos recurrere non postponas. Nam in his super quibus ex parte Regia fuerimus requisiti, libenter quantum cum Deo poterimus votis regiis annuemus, tuam & ejusdem Regni prosperitatem omnimodam non solùm studiis conservare sollicitis, sed etiam plenis augmentare favoribus intendentes. Datum Laterani nono Kal. Februarij, Pontificatûs nostri anno primo.

An. Chr. 1306.

CLEMENTIS PAPÆ V.

VOLADISLAO *nobili viro.*

Ut abdicato habitu Monastico Poloniam, Regnū adepturus, petat.

XXX. CLEMENS Episcopus, servus servorum Dei dilecto filio nobili viro VOLADISLAO, quondam CASIMIRI ducis Evynacensis nato, Militi Voladislaniensis Diœcesis, Salutem & Apostolicam benedictionem. Sedes Apostolica pia mater animarum salutem desideranter affectans personis sibi devotis generosi sanguinis claritate fulgentibus, libenter suæ benignitatis gratiam impertitur, in illis præsertim per quæ salus hujusmodi verisimiliter creditur proventura. Sanè petitio pro parte tua nobis nuper exhibita continebat, quòd in Regno Poloniæ de antiqua & approbata & hactenus pacificè observata consuetudine est obtentum, quòd aliqua mulier non succedit in eo, id quod fuit ibidem pacificè observatum à tempore cujus contrarij memoria non existit, quodque tu claræ memoriæ Casimiro Regi Poloniæ tertio consanguinitatis gradu per lineam masculinam

conjunctus & proximior masculus per hujusmodi existebas, & quòd idem Rex qui nullum superstitem filium sed filiam tantùm habebat, attendens quòd sibi propterea in dicto Regno deberes succedere, dictæque filiæ excluderentur ab illo, cœpit te prosequi odio capitali, téque duobus ducatibus quos in eodem Regno pacificè possidebas nequiter spoliavit, tótque insidias vitæ tuæ posuit, quòd te oportuit de partibus illis recedere & cum in Alamania te non reputares securum, ad Regnum Franciæ transmisisti. Et quia non habebas unde posses secundùm priorem statum tuum vivere, decrevisti quòd velut Conversus in Monasterio Cisterciensi Cabilonensis Diœcesis habitares. Sed Abbas dicti Monasterij qui tunc erat recipere te noluit, nisi promitteres quòd in Cisterciensi Ordine perpetuò remaneres, & quamvis regularis ordinis totaliter inexpertus existeres, tamen repente regularem professionem in eo fecisti. Post medium autem annum vel circiter cùm ipsius asperitatem Ordinis pati non posses, ad Monasterium S. Benigni de Divione Ord. S. Benedicti Lingonensis Diœcesis de licentia prædicti Abbatis accedens, in eo tanquam Conversus per annos aliquos moram traxisti.

Tandem verò prædicto Rege sublato de medio, cùm dictum Regnum tibi legitimè deberetur, ac ipsius habitatores & incolæ te affectarent in eorum Regem habere, & Lodovicus Rex Vngariæ Regnum ipsum contra justitiam occupasset, guerram sibi movisti, sed demum dubitans ejus potentiam, & quòd te interfici faceret, metu mortis ac necessitate cogente de consilio aliquorum parentum & amicorum tuorum ad dictum Monasterium S. Benigni rediisti, & ibidem per aliquos annos ut Conversus mansisti, nulla tamen inibi per te regulari professione emissa. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut cùm nunquam firmum propositum habueris in aliquo regulari Ordine remanere, ac præfati habitatores & incolæ te in eorum Regem habere desiderent, si & in quantum indiges, à quacumque regulari observantia te absolvere, tibíque concedere quòd Comitatus & Du-

catus, & quæcumque alia temporalia dominia, ac ipsum Regnum obtinere & regere valeas, de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur attendentes sinceræ devotionis affectum quo Nos & Romanam Ecclesiam revereris, ac sperantes quòd illius, per quem Reges regnant, & Principes dominantur, tibi suffragante clementia, prædictos habitatores & incolas, qui Ludovico faciente prædicto contra nos & Romanam Ecclesiam in schismatis devium damnabiliter sunt collapsi, ad viam salutis & justitiæ revocabis: ac considerantes quòd olim præfatus Ludovicus felicis recordationis GREGORIO Papæ XI. prædecessori nostro super hoc humiliter supplicavit, præmissis & aliis rationabilibus causis moti, hujusmodi tuis in hac parte supplicationibus inclinati, te à quacumque regulari observantia ad quam ex professione prædicta, aut mora quam in præfatis Monasteriis, ut præmittitur, fecisse dignosceris, quomodolibet adstrictus ex istis, ex Apostolicæ potestatis plenitudine per præsentes absolvimus. Tibi nihilominus concedentes quòd Comitatus, Ducatus & quæcumque alia temporalia dominia quæ ex successione, vel aliàs justo titulo ad te pertinent & pertinebunt in posterum, ac regnum ipsum, si tibi legitimè debeatur, recipere, obtinere, regere ac etiam gubernare perinde liberè & licitè valeas, ac si in dicto Cisterciensi Ordine professionem regularē minimè emisisses, nullámque in eisdem Monasteriis vel eorum altero moram traxisses. Constitutionibus Apostolicis, necnon statutis & consuetudinibus Monasteriorum & Ordinum prædictorum juramento, confirmatione apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę absolutionis & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Avinionii XVII. Octob. Pontificatûs nostri anno quarto.

Crescentius.

EIVSDEM PONTIFICIS EIDEM.

XXXI. CLEMENS Episcopus servus servorum Dei, dilecto filio VOLADISLAO de Polonia, Monacho S. Benigni de Divione Ord. S. Benedicti, Lingonensis dioecesis, salutem & apostolicam benedictionem. Cùm pro nonnullis nostris & Romanæ Ecclesiæ negotiis tua præsentia sit nobis plurimùm opportuna, præsentium tibi tenore mandamus, quatenus receptis præsentibus ad præsentiam nostram personaliter te transferre procures, etiamsi dilectus filius Abbas Monasterii S. Benigni de Divione, Ordinis S. Benedicti, Lingonensis dioecesis, aut aliquis alius Superior tuus licentiam super hoc tibi duxerit denegandam. Adeat Papam Vladislaus jubetur.

Datum Avinio. secundo Nonas Iulii, pontificatûs nostri anno quarto.

De Curia.
B. Salveti.

IOHANNIS PAPÆ XXII.

An. Christi 1317. *Ex eodem.*

SANCIO *Regi Majoricarum.*

XXXII. IOHANNES Episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio SANCIO Regi Majoricarum illustri, salutem & apostolicam benedictionem. Habes, fili carissime, unde Domino Deo tuo in vocem exultationis & confessionis erumpas, exultes in eo, & fatearis humiliter tibi & domui tuæ de immenso ipsius dono concessum, quòd inclyta domus Siciliæ, cui & consanguinea propinquitate & affinitate propinqua conjungeris, virum produxit angelicum, consortem gloriæ Angelorum, cujus sperare potes in cælis patrocinio, favore apud homines, & apud Deum intercessionibus communiri. Etenim magnitudini tuæ ad gaudium intimamus, Ludovicum Tolosanum Episcop. Catalogo Sanctorum adscriptum mandat.

quòd adveniente nuper Paschalis temporis puritate, die Iovis videlicet, post festum Resurrectionis Dominicæ, venerandæ memoriæ beatissimum Ludovicum Episcopum Tolosanum, tuæ germanum conjugis, quem omnipotens Dominus propter illius merita gloriosa concivem Sanctorum, domesticum suum, & æternæ beatitudinis possessorem effecit: de Fratrum nostrorum, & Prelatorum omnium tunc apud Sedem apostolicam existentium consilio & consensu, canonisatione solemni Sanctorum catalogo duximus adscribendum. Tu ergo, Fili, gratias agens Altissimo, qui in sublimatione Confessoris ejusdem tam immensis benedictionibus te prævenit in odore unguentorum suorum currere propera, sícque ad exemplar Confessoris ipsius bonis operibus vacare procura, quòd tandem unà cum eo sidereas mansiones incolere merearis. Ceterùm, Fili, Regias de credentia litteras per dilectos filios Arnaldum Traverii Cancellarium, & Dalmatium Milites, familiares tuos, nobis novissimè præsentatas gratè suscepimus.

Et quæ super quibusdam auditis rumoribus, veluti sollicitus de nostra salute, & zelator fervidus prosperi statûs nostri, per eosdem Milites juxta commissam eis per te credentiam nobis offerre curasti, placido percepimus intellectu. Tuæ itaque Celsitudini de oblatione hujusmodi grates uberes referentes gratanter acceptamus oblatum, ad te si casus exigeret recursum eò confidentiùs habituri, quò certiùs credimus te in sinceritate spiritus & animi promptitudine ad oblationem processisse prætactam. Denique noveris quòd carissimo in Christo filio nostro Philippo Regi Franciæ & Navarræ illustri, efficaciter scribimus super illatorum tibi revocatione gravaminum ad id per vias quas expedire vidimus inducentes eumdem. Tu verò, Fili, circa ipsa gravamina petitiones tuas sic decenter, sic justè, sic ordinatè ac moderatè facere studeas dicto Regi, quòd nulla sibi supersit rationabiliter illas obaudiendi materia, quæ, quod absit, in scandalum utriusque redundet, quin potiùs tua cogente modestia ipsas admittere ad exauditionis gratiam inducatur, per quod

quod, ut cupimus, inter vos inconcussa vigeat animorum identitas, & concordia voluntatum.

Datum Avinioni sexto Idus Aprilis, Pontificatûs nostri anno primo.

CAROLI IV. REGIS FRANCORUM.

An. Christi 1322. *Ex schedis D. d'Herouval.*

XXXIII. A Tous ceux qui ces lettres verront IEHAN Loncle Garde de la Prevosté de Paris salut. Sachent tous que Nous l'an de grace mil trois cens vint & deus, le lundy apres la Chandeleur, veismes unes lettres scelées en cire vert & en soye, du scel nostre Seigneur le Roy, contenans ceste fourme.

CAROLUS Dei gratiâ Francorum & Navarræ Rex: Notum facimus universis tam præsentibus quàm futuris, quòd cùm inter nos seu gentes nostras pro nobis ex una parte, & Magistrum, Fratres & Sorores domûs Dei Parisiensis ex altera, dilectorum nostrorum Decani & Capituli Parisiensis Ecclesiæ assensu ad hoc interveniente, fuerit concordatum, nostrâ dictæque domûs Dei utilitate pensata, quòd præfati Magister, Fratres & Sorores ex nunc singulis annis in perpetuum, in quatuor festis annualibus teneantur cum quatuor equis suis, & duobus famulis propriis, cum sumptibus regiis & expensis, Reliquias Cappellæ Regiæ Parisiensis ducere seu deferre, vel duci aut deferri facere à civitate Parisiensi ad quemcumque locum, quo personam Regiam in prædictis quatuor festis annualibus personaliter contigerit interesse, intra tamen triginta quatuor leucarum spatium à civitate prædicta, & non ultrà.

Reliquiæ sacræ Capellæ Parif. dum Rex iter facit, expensis Domûs Dei deferendæ.

Quódque propter hoc, necnon & intuitu pietatis, habeant & percipiant dicti Magister, Fratres & Sorores ex largitione nostra ex nunc in perpetuum anno quolibet centum quadrigatas lignorum, qualibet quadrigata quatuor modulos* continente, in foresta nostra Cuisiæ, vel in aliis forestis nostris ad dictæ Domûs majorem aisen-

Gal.* *Moules*, inde *Mouleurs de bois* dicti seu modulatores lignorum,), mensores.

tiam, & cum nostro minori incommodo; una cum ducentis quadrigatis * lignorum quantitatis prædictæ, quas ex largitione prædecessorum nostrorum & nostra habent & percipiunt ab antiquo. Nos prædicta rata habentes & grata, damus præsentibus in mandatis Magistris forestarum nostrarum præsentibus & modernis, ac eorum cuilibet, quatenus præfatis Magistris, Fratribus & Sororibus, vel ipsorum certo mandato, ex nunc in antea singulis annis in perpetuum, dictas centum quadrigatas lignorum in dicta foresta, vel in aliis forestis, una cum aliis dictis ducentis quadrigatis, faciant sine difficultate & dilatione quibuslibet liberari. Quod ut ratum & stabile permaneat in futurum, præsentibus Litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo secundo, mense Ianuarii.

Gal. * *Charretées.*

Et nous ce Transcript avons scelé du scel de la Prevosté de Paris l'an & le lundy premier diz.

An. Christi 1347. *Communicavit D. d'Herouval.*

CLEMENTIS PAPÆ VI.

Venerabili fratri IOHANNI *Archiepiscopo Rotomagensi.*

XXXIV. CLEMENS Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri IOHANNI Archiepiscopo Rotomagensi, salutem & apostolicam benedictionem. Intellecto nuper quòd carissimus in Christo filius noster PHILIPPUS Rex Franciæ illustris, occasione novitatis factæ per carissimum in Christo filium nostrum IACOBUM Regem Majoricarum illustrem in Comitatu Rossilionis, villam & Baroniam Montispesulani ad manum regiam poni, & nihilominus contra ipsum Regem Majoricarum ac subditos & servitores suos, qui ei super hoc astiterant, procedi mandavit speciali ad hoc commissario destinato. Nos eundem Regem Franciæ per nostras litteras deprecamur, ut præfato Regi Majoricarum piè compatiens, velit erga eum benignè agere, ac omnem pœnam, si quam pro præteritis culpis meruit, ei gratiosè remittere, ac

manum regiam à Villa & Baronia prædictis, cùm aliunde præfatus Rex Majoricarum non habeat unde ſe ac filios, licet pauperes regali tamen proſapia genitos, ſuſtentare valeat, amovere. Quocirca Fraternitatem tuam attentè rogamus, quatinus apud eundem Regem Franciæ quòd noſtris in hac parte precibus annuat pro noſtra & Apoſtolicæ Sedis reverentia interponas efficaciter partes tuas.

Datum Avenioni undecimo Kalendas Septembris, Pontificatûs noſtri anno ſexto.

VRBANI PAPÆ VI.

Archiepiſcopo Mediolanenſi.

An. Chriſti 1380. *Ex authentico D. d'Herouval.*

XXXV. VRBANUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Venerabili fratri Archiepiſcopo Mediolanenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Oblatæ nobis pro parte dilecti filij nobilis viri Galeas de Vicecomitibus Comitis Virtutum, & dilectæ in Chriſto filiæ & nobilis mulieris Catherinæ, dilecti filij nobilis viri Barnabovis de Vicecomitibus Militis natæ domicellæ Mediolanenſis, petitionis ſeries continebat, quòd ipſi Galeas & Catherina pro pacifico ſtatu partium Lumbardiæ meliùs conſervando, & ex certis aliis cauſis rationabilibus, cupiunt invicem matrimonialiter copulari, ſed quia ſecundo conſanguinitatis gradu in linea æquali invicem ſe contingunt, deſiderium ipſorum hujuſmodi adimplere nequeunt, diſpenſatione ſuper hoc apoſtolicâ non obtentâ. Quare pro parte ipſorum Galeas & Catherinæ fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut providere ipſis ſuper hoc de opportunæ diſpenſationis gratia de ſpeciali gratia dignaremur. Nos igitur qui cunctorum Chriſti fidelium quietem & pacem intenſis deſideriis affectamus, ex præmiſſis & certis aliis cauſis nobis expoſitis, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ, de qua in hiis & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatinus ſi eſt ita, & dicta Catherina propter hoc capta non fuerit,

ut impedimento quod ex conſanguinitate hujuſmodi provenit, & inhibitione per felicis recordationis Gregorium Papam XI. vel quoſvis alios Romanos Pontifices ces prædeceſſores noſtros facta, per quam forſan interdictum eſſet ne Galeas & Catherina prædicti inſimul, vel cum aliis perſonis poſſent matrimonium contrahere, & ſi contraherent, contractum dirimeretur, nequaquam obſtantibus, matrimonium invicem liberè contrahere, & in eo poſtquam contractum fuerit licitè remanere valeant, auctoritate Apoſtolica diſpenſes. Prolem ex hujuſmodi matrimonio ſuſcipiendam legitimam nuntiando.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſecundo Nonas Septembris, Pontificatûs noſtri anno tertio.

An. Chriſti 1380. *Ex eodem.*

DISPENSATIO

Domini Comitis virtutum, & Dominæ Catharinæ de contrahendo matrimonio auctoritate Domini Vrbani Papæ.

XXXVI. VNIVERSIS & ſingulis præſentes litteras, ſeu præſens inſtrumentum publicum inſpecturis, ANTONIUS Dei & Apoſtolicæ ſedis gratiâ S. Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, delegatus ſeu Commiſſarius ad infra ſcripta per ſedem Apoſtolicam ſpecialiter deputatus, ſalutem & ſinceram in Domino caritatem. Litteras ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini, Domini VRBANI divinâ providentiâ Papæ ſexti, ejus verâ bullâ plumbeâ in filo canapis more ſolito Romanæ curiæ bullatas, non vitiatas, non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio & ſuſpicione carentes, præſentatas nobis pro parte magnifici, & Illuſtris domini domini GALEAS Vicecomitis, Comitis Virtutum Mediolani, &c. Domini Generalis, & inclytæ dominæ, dominæ CATHERINÆ natæ magnifici & excelſi domini Bernabovis Vicecomitis Mediolanen-

sis, &c. Domini generalis, coram Notario & testibus infrascriptis, Nos cum ea quę decuit reverentia noveritis recepisse: quarum tenor sequitur in hæc verba:

VRBANUS Episcopus servus servorum Dei venerabili Fratri Archiepiscopo Mediolanensi, &c. *ut suprà.*

Post quarum litterarum Apostolicarum præsentationem, ut præmittitur, nobis factam, pro parte dictorum dominorum Galeas & Catherinæ fuimus cum instantia debita requisiti, ut ad exsecutionem dictarum litterarum Apostolicarum procedere deberemus juxta traditam seu directam à sede Apostolica nobis formam. Nos igitur ANTONIUS Archiepiscopus delegatus seu Comissarius antedictus, volentes mandatis Apostolicis supradictis ut tenemur efficaciter obedire, auctoritate dicti domini nostri Papæ nobis, ut præmittitur, in hac parte commissa de causis & rationibus, ac aliis in Apostolicis litteris antedictis contentis, inquisivimus diligenter; & quia diligenti inquisitione & examinatione ac cogitatione præhabita, præmissa omnia & singula in suprascriptis Apostolicis litteris enarrata, dictámque dominam Catherinam raptam propterea non fuisse, reperimus veritate fulciri, tam ex præmissis quàm ex aliis justis & rationabilibus caussis, de quibus informationem plenariam habuimus, auctoritate præfati domini nostri Papæ qua fungimur in hac parte, cum eisdem dominis Galeas, & Catherina præsentibus & consentientibus, ut impedimento quod ex consanguinitate hujusmodi provenit, de qua in suprascriptis litteris Apostolicis mentio fit expressa, ac inhibitione per felicis recordationis dominum Gregorium Papam undecimum, vel quosvis alios Romanos Pontifices, ipsius domini nostri domini Vrbani Papæ sexti prædecessores facta; per quam forsan interdictum esset, ne dicti domini Galeas & Catherina insimul, vel cum aliis personis possent matrimonium contrahere, & si contraherent, contractum dirimeretur, nequaquam obstantibus, matrimonium invicem contrahere, & in eo postquam contractum fuerit licitè remanere valeant, tenore præsentium dispensamus, prolémque ex hujusmodi matrimonio

ſuſcipiendam legitimam nuntiamus, pronuntiamus, decernimus, & etiam declaramus.

In quorum omnium teſtimonium præſentes litteras in formam publici documenti per Iohannolum de Colduariis, & Bellinum de Merlino, Notarios Mediolanenſes, & utrumque ipſorum fieri juſſimus, & noſtri ſigilli munimine roborari. Datum & actum in choro Eccleſiæ ſancti Iohannis ad Concham Mediolanenſem, anno nativitatis Domini milleſimo trecenteſimo octuageſimo, die Martis ſecundo menſis Octobris, Indictione quarta ſecundùm ſtylum civitatis & diœceſis Mediolanenſis; præſentibus Reverendo in Chriſto Patre & domino, domino fratre IACOBO, Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Epiſcopo Lunenſi, ac venerabilibus viris dominis Fratre CHRISTOPHORO de Terzago Clarævallis, Mediolanenſis diœceſis, Fratre GUILLELMO de Lampugano ſancti Ambroſij Mediolanenſis Monaſteriorum Abbatibus, fratre BERTRANDO Bonifacij Præceptore Domus ſancti Antonij Mediolanenſis, PHILIPPOLO & PAGAMNO de Beſozero Ordinariis Eccleſiæ Mediolanenſis, ac nobilibus & egregiis viris dominis ABELLONIO Milite Comite de Cochonate, GERARDO de Lagruella nato quondam domini Ambroſij, ADOARDO de Cataneis de Ianua, ANTONIO de Pegiis, ANTONIO & AZONE Fratribus de Vicecomitibus, & BARTHOLOMÆO de Placentinis, FAUSTINO de Lantanis, ac BELTRAMOLO de Ferrariis legum doctoribus, & VASSALINO de Boſſiis filio quondam domini Iacobi procuratore Mediolanenſi, & multis aliis in multitudine copioſa omnibus ad præmiſſa vocatis teſtibus & rogatis.

Ego IOHANNOLUS natus quondam domini Franciſchi de Coldurariis publicus imperiali auctoritate Notarius Mediolanenſis portæ Honenſis, parrochiæ ſancti Salvatoris in Xenodochio, prædictarum Litterarum Apoſtolicarum præſentationi, & earum receptioni, necnon ſupraſcriptis petitioni, requiſitioni, inquiſitioni, examinationi, & ſummariæ informationi, diſpenſationi, declarationi, pronuntiationi & nuntiationi, omnibúſque aliis & ſingulis ſupra ſcriptis, dum per præfatum dominum Ar-

chiepiscopum delegatum & Comissarium antedictum, dictósque dominos Galeas & Catherinam, ut præmittitur, agerentur & fierent, una cum supra scriptis testibus præsens fui, eáque omnia & singula de ipsius domini Archiepiscopi mandato, dictorúmque dominorum Galeas & Catherinæ rogatu, fideliter scripsi, & de his hoc publicum Instrumentum confeci, & in hanc publicam formam redegi, meóque consueto signo signavi in testimonium omnium præmissorum.

Ego BELLINUS de Merlino natus quondam domini Iohannis, publicus imperiali auctoritate Notarius Mediolanensis, & nunc Cancellarius præfati domini Archiepiscopi Mediolanensis, prædictarum litterarum Apostolicarum præsentationi, &c. *ut suprà.*

INSTRVMENTVM

Dispensationis dominæ CATHARINÆ *auctoritate Domini* VRBANI *Papæ factæ.*

An. Christi 1380. die 2. Octob. Ex eodem.

XXXVII. IN NOMINE DOMINI. Pateat Vniversis & singulis præsens Instrumentum publicum inspecturis, quòd anno Nativitatis domini millesimo trecentesimo octuagesimo, Indictione quarta secundùm stylum civitatis Mediolani, die Martis secundo mensis Octobris, in præsentia mei Notarij, & testium subscriptorum ad hæc vocatorum & specialiter rogatorum, Magnificus & Illustris dominus, dominus GALEAS Vicecomes, Comes Virtutum, Mediolani, &c, dominus generalis; & inclyta domina, domina CATHERINA, nata Magnifici & Excelsi domini, domini Bernabovis Vicecomitis, Mediolani, &c. Domini generalis, in secundo consanguinitatis gradu in æquali linea sibi invicem attinentes, mox absque alicujus temporis intervallo post dispensationem hodie per Reverendissimum in Christo Patrem & dominum, dominum ANTONIUM Dei & Apostolicæ sedis gratiâ sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopum, ex veris, justis, & rationabilibus causis intervenien-

tibus & expressis, auctoritate Apostolica sibi in hac parte commissa factam, debitis solemnitatibus observatis juxta traditam seu directam à sede Apostolica sibi formam, ad interrogationem præfati domini Archiepiscopi ipsos dominos Galeas & Catherinam presentes interrogantis, matrimonium per verba de præsenti palam, publicè, atque sponte, & ex certa scientia insimul contraxerunt; videlicet ipso domino Galeas ad ipsius domini Archiepiscopi interrogationem, ut præmittitur, sibi factam, dicente quod placebat accipere, & accipiebat, & accepit ipsam dominam Catherinam suam legitimam in uxorem, ac in eam expresso consensu per verba de præsenti matrimonialiter consensit & consentit; ipsáque domina Catherina interrogatione per eumdem dominum Archiepiscopum super hoc confestim & continuò sibi facta, dicente quòd sibi placebat accipere, & accipiebat, & accepit dictum dominum Galeas in suum legitimum conjugem & maritum, & in eum tanquam in suum maritum legitimum consentiebat, consensit, & consentit: ac deinde dictus dominus Galeas eam dominam Catherinam continuò & confestim in ejus dominæ Catherinæ digito anulari suæ manus dexteræ anulo subarravit, ipsa domina Catherina permittendo se sponte in signum matrimonialis consensus & veri matrimonij basurrari.

Et de prædictis rogatum fuit debere per me Iohannolum de Coldurariis, aç Bellinum de Merlino Notarios infra scriptos, hoc publicum fieri documentum. Actum in choro Ecclesiæ sancti Iohannis ad Concham Mediolanensem, præsentibas Reverendo in Christo Patre & domino domino Fratre IACOBO, Dei & Apostolicæ sedis gratiâ Episcopo Lunensi, ac venerabilibus viris dominis Fratre CHRISTOPHORO de Terrago Claravallis Mediolanensis diœcesis, Fratre GUILLELMO de Lampugiano sancti Ambrosij Mediolanensis Monasteriorum Abbatibus, Fratre BERTRANDO Bonifacij Præceptore domus sancti Antonij Mediolanensis, FILIPOLO & PERAGRINO de Besozero Ordinariis Ecclesiæ Mediolanensis, ac nobilibus

libus & egregiis dominis ABELLONIO Milite Comite de Cochonate, GERARDO de Laquiella nato quondam domini Ambrosij, ADOARDO de Cataneis de Ianua, ANTONIO de Pogiis, ANTONIO & Azone Fratribus de Vicecomitibus, & BARTHOLOMÆO de Placentinis, FAUSTINO de Lantanis, ac BELTRAMOLO de Ferrariis legum Doctoribus, & VASSALINO de Bossiis filio quondam Domini Iacobi Procuratore Mediolani, & multis aliis in multitudine copiosa, omnibus ad præmissa vocatis testibus & rogatis.

Ego IOHANNOLUS natus quondam domini Francischi de Colduariis, publicus imperiali auctoritate Notarius Mediolanensis, unà cum infra scripto Bellino de Merlino Notario, & testibus subsignatis, præmissis omnibus & singulis præsens fui, & rogatus, unà cum dicto Bellino hoc publicum instrumentum confeci, & per alium scribi feci aliis negotiis occupatus, in eóque consueto signo signavi in testimonium omnium præmissorum.

Ego BELLINUS de Merlino, natus quondam domini Iohannis, publicus Imperiali auctoritate Notarius Mediolanensis, unà cum suprascripto Iohannolo de Colduariis Notario, & testibus suprascriptis præmissis, omnibus & singulis præsens fui & rogatus, unà cum dicto Iohannolo hoc publicum instrumentum confeci, & per alium scribi feci, aliis negotiis occupatus, in eóque consueto signo signavi in testimonium omnium præmissorum.

NICOLAVS PAPA V.

An. Christi 1447. *Ex eodem.*

Dilecto filio nobili viro GUILLELMO *Franciæ Cancellario.*

Rogat ut ad pacem Ecclesiæ conciliandam, omnem adhibeat curam.

XXXVIII. DILECTE fili salutem & Apostolicam benedictionem. Cupiens Ecclesiam Dei, quam perspicimus in corruptos mores ex magna parte collapsam, recuperare decorem suum, quod minimè fieri potest nisi in ipsa Ecclesia Dei unitas perseveret, qua stante omnia membra corporis mystici in uno corpore

connectuntur: rogamus nobilitatem tuam, ut in tam sancto opere dexteram porrigas, & apud regiam Celsitudinem, & aliàs ubi expedire prospexeris, ita ut cooperantibus & auxiliantibus multis Ecclesia ipsa Dei desiderata pace & unitate lætetur. Venerabilem autem fratrem nostrum ALANUM Episcopum Avinionensem, quem nobis tuis litteris commendasti atque honorem suum, commendatum habuimus & habemus, ac habebimus in futurum. Latori autem præsentium dilecto filio IOHANNI Herberti Secretario regio nonnulla injunximus super his nobilitati tuæ nostro nomine referenda, cui velis adhibere plenam credentiæ fidem. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die tertia Octobris, anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo. Pontificatûs nostri anno primo.

P. de Noxeto.

CAROLI FRANCORUM REGIS.

Ex eodem MS. D. d'Herouval.

Carissimo ac specialissimo amico nostro NICÆNO *Sanctorum XII. Apostolorum Cardinali Græco.*

XXXIX. CAROLUS &c. Carissime ac specialissime amice. Quæ ad nos superioribus diebus de Serenissimo Principe fratre nostro carissimo Romanorum Rege scripsistis fuêre nobis omnia jocundissima, at non parvâ nos alacritate refersit sincerus ipsius Imperatoris affectus, qui tanto à nobis intervallo terrarúmque tractu sejunctus, tanto nobiscum potuerit amore conjungi: sed & nos certum est par pari referre, reciperéque talem affectum, ut quidquid ad Imperatoriam dignitatem, vel Græcorum utilitatem respexerit, id omne pro viribus exsequi cupiamus. Quòd si detur hostes arcere pacémque Regni componere, nihil nec prius nec libentius faciemus, quàm opem Græciæ ferre, liberaréque Christianum imperium dominatu nefario Barbarorum. Quis non Græciæ faveat genti clarissimæ, quæ omni ge-

nere laudis excellens, tanta humano generi peperit ornamenta? Nec memoria excidit patronum Franciæ, beatum videlicet Dionysium è Græcia emersisse, qui divino usus eloquio ejusdem panis verbo quo vivunt Angeli repletum se perhibens, fidem nobis attulit, Dei cultum edocuit, & sublatis tenebris lucem ex abdito in medium protulit: sed de hoc aliàs. Reliquum est ut vos certiorem faciamus, si quo modo in Galliam venire contigerit, futurum ut à nobis suscipiamini perbenignè. Est enim animus vester erga nos gratus, ut jam vos in eorum numero reponamus, quos gratos magis acceptósque habemus. Datum Turonis.

ADVISATA

An. Christi 1447. Ex eodem MS.

Et deliberata in Dieta Asschaffemburgensi in die sanctæ Margaretæ Virginis, quæ fuit decimo tertio Julij, anno domini millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo.

XL. PLACUIT omnibus nemine discrepante obedientiam felicis recordationis domino Eugenio præstitam in personam Sanctiss. nostri moderni domini Nicolai Papæ V. continuari, & Sanctitati suæ tanquam indubitato Romanorum Pontifici obedire. Publicabitur hoc in singulis locis quantociùs cum gratiarum actione, Missis & processionibus, prout in talibus fieri est consuetum.

Item pro declaratione jam facta, & obedientia dicti domini nostri moderni manutenenda, ad obviandum similiter adversitatibus & involutionibus si quæ contra declaratos, & qui cum ipsis in posterum concurrerint, aut aliquos ex eis fortassis evenerint, pluribúsque aliis in natione nostra tam in spiritualibus, quàm in temporalibus necessariò disponendis, Serenissimus dominus noster Romanorum Rex indicat dietam ad Nurembergam: providebit ut ibi sit Papalis auctoritas, convocabítque tam Ec-

clesiasticos quàm sæculares Principes, & alios solitos convocari pro hujusmodi, ut præfertur, prout meliùs fieri poterit, componendis, & tantò omnium conditio convenientiùs & utiliùs, quantò id citiùs fieri poterit.

Item dabit Sanctiss. dominus noster modernus litteras Sanctitatis suæ in ea forma, qua prædecessor suus pro commodo & quiete nationis nostræ concessit, ratum & gratum habendo in plena forma.

Item providebitur contra illos qui possessores beneficiorum contra concordata cum Sanctiss. D. N. molestaverint, cum pænarum adjectione per Serenissimum dominum nostrum Regem, & Serenitati suę adhærentes, prout factum fuit in observatione protestationis.

Item concludetur ibi provisio sanctissimo D. N. & Sedi Apostolicæ facienda, si tempore medio cum Legato non fuerit concordatum.

Item dabit Sanctissimus Dominus noster facultatem Diœcesanis, dummodò & rationabiliter visum fuerit, tollendi censuras propter præsentiam vel communionem adversariorum principaliter non culpabilium, quomodolibet inflictas; ne propter communionem, vel præsentiam, quæ casualiter sæpe eveniunt, & prohiberi difficulter possunt, cultus divinus diminuatur, & scandala in populo nascantur.

HENRICUS *Lupi Cancellarius Reverendissimi domini Maguntinensis*, &c.

An. Christi 1448. *Ex eodem.*

CAROLI FRANCORUM REGIS,

Sigismundo Duci Austriæ.


Pergratum se habere matrimonium cum filia Regis Scotorum contrahendũ.

XLI. CAROLUS, &c. Illustri Principi SIGISMUNDO Duci Austriæ carissimo filio, ac dilectissimo Consanguineo nostro salutem, zelíque filialis dilectionem. Illustris Princeps, filíque carissime, directos jamdiu ad nostram præsentiam caros ac nobis dilectos LUDOVICUM Beuse Militem, Præceptorem Comitatûs de

Tyreul*, & Haveze Pachel Consiliarios ac Ambaxiatores vestros advenisse benignè, litterásque per ipsos vestri ex parte nobis præsentatas, læto animo suscepimus, eósque ad plenum super credentia earumdem tractatum matrimonii inter vos, carissime Fili, ac illustrem sororem consanguineámque nostram Alienor filiam serenissimorum quondam Regis, necnon sororem Regis præsentis Scotorum, nostrorum carissimorum fratrum, tangente, placidis auribus audivimus. Qua in re post quamplures præsenti in materia dilationes, tum quia consensus dicti carissimi fratris nostri Scotorum Regis erat necessarius, ad cujus præsentiam quosdam nobis fidos destinavimus, qui (prout nobis nuntiaverunt) rem gratam acceptámque habuit: tum etiam id carissimis consanguineis nostris Btitanniæ & Sabaudiæ Ducibus, quibus sorores ejusdem carissimæ nostræ Alienor junctæ sunt, notificavimus: quod laudaverunt, & huic operi ob ferventem animum quem ad vestram personam gerimus, ejus successus tanquam pro filio proprio prosperè optantes, tantam adhiberi diligentiam fecimus, quòd sponsalia per verba de futuro inter vos & præfatam quam-carissimam Consanguineam nostram, sub certis conditionibus & modificationibus contracta fuêre. Verùm quia intra quatuor mensium spatium vestram ratihabitionem, secundùm ea quæ agitata sunt, ad consummationem hujus matrimonii mittere tenemini, vestris Ambaxiatoribus utilius visum fuit impræsentiarum præfatum Haveze Pachel vestram ad personam fore transmittendum, per quem latiùs super omnibus poteritis informari, quàm multo longior scriptura contineret.

Datum in Monte-aureo prope Laverdini.

* vulgò Tirol.



An. Christi 1448. *Communicavit D. d'Herouval.*

NICOLAI PAPÆ V.

CAROLO VII. *Regi Francorum.*


Rogat Regem ut Antonio Crepin è Parisf. Cathedra ad Laudunensem translato faveat.

XLII. NICOLAUS Episcopus servus servorum Dei. Carissimo in Christo filio CAROLO Regi Franciæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem. Gratiæ divinæ præmium acquiritur, si per sæculares Principes Prçlatis præsertim Ecclesiarum Cathedralium regimini præsidentibus opportuni favoris præsidium & honor debitus impendantur. Sanè Ecclesiâ Laudunensi ex eo Pastoris solatio destitutâ, quòd nos hodie venerabilem fratrem nostrum IOHANNEM Episcopum olim Laudunensem in Archiepiscopum Remensem electum à vinculo, quo ipsi Laudunensi Ecclesiæ cui tunc præerat tenebatur, de fratrum nostrorum consilio & Apostolicæ potestatis plenitudine absolventes, eum ad Ecclesiam Remensem tunc Pastore carentem duximus auctoritate apostolica transferendum, præficiendo eum illi in Archiepiscopum & Pastorem. Nos ad provisionem ipsius Laudunensis Ecclesiæ celerem & felicem, ne illa longæ vacationis exponeretur incommodis, paternis & sollicitis studiis intendentes, post deliberationem quam super his cum eisdem fratribus habuimus diligentem. Demum ad dilectum filium ANTONIUM Crepin nunc Laudunensem, tunc Parisiensem electum, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam suam Altissimus insignivit, & quòd ipse Antonius electus illis sibi suffragantibus præfatam Laudunensem Ecclesiam sciet & poterit auctore Domino utiliter regere & feliciter gubernare, convertimus oculos nostræ mentis. Intendentes igitur tam dictæ Laudunensi Ecclesiæ, quàm ejus gregi dominico salubriter providere, ipsum Antonium Electum à vinculo quo tenebatur dictæ Parisiensi Ecclesiæ, (per eumdem Antonium Electum, illius regiminis & administrationis bonorum possessione non adepta, nec consecrationis munere suscepto) de fratrũ consilio, & potestatis plenitudine hu-

jusmodi absolventes, præfatum Antoniū Electum ad eandem Laudunensem Ecclesiam de dictorum fratrum consilio eadem auctoritate transtulimus, ipsúmque illi præfecimus in Episcopum & Pastorem, curam & administrationem ipsius Laudunensis Ecclesiæ eidem Antonio Electo in spiritualibus & temporalibus plenariè committendo, liberámque sibi tribuendo licentiam ad præfatam Laudunensem Ecclesiam transeundi, firma spe fiduciáque conceptis, quòd dirigente Domino actus suos, dicta Laudunensis Ecclesia per ipsius Antonij Electi circumspectionis industriam & studium fructuosum regetur utiliter, & prosperè dirigetur, grata que in eisdem spiritualibus & temporalibus suscipiet incrementa.

Cùm itaque, Fili Carissime, sit virtutis opus Dei Ministros benigno favore prosequi, ac eos verbis & operibus pro Regis æterni gloria venerari, Serenitatem regiam rogamus & hortamur attentè, quatinus Antonium Electum, & suæ curæ commissam Laudunensem Ecclesiam, prædictos habens pro nostra & Apostolicæ sedis reverentia propensiùs commendatos, sic eos in ampliandis juribus suis tui favoris præsidio prosequaris: quòd ipse Antonius Electus in commissę sibi dictæ Laudunensis Ecclesiæ regimine possit Deo propitio prosperari, ac tibi exinde à Deo perennis vitæ præmium, & à nobis condigna proveniant actio gratiarum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo, quinto Nonas Martij, Pontificatûs nostri anno secundo.



An.Chr. 1448. 5. Iul. Ex eodem.

MAGISTRI HOSPITALARII

Ierusalem CAROLO Regi Francorum.

Nunciat victoriam de Turcis reportatam à Militibus Rhodi.

XLIII. SERENISSIME & Christianissime Francorum Rex, debita recommendatione præmissa. Consueverunt semper læto animo Principes audire ea quæ in exteris regionibus geruntur, & præsertim si quid est quod ad detrimentum infidelium intercesserit. Nuperrimè siquidem ex litteris ex Constantinopoli, Pera & Chio huc Rhodum missis nobis innotuit, magnum Teucrorum sive Turchorum Regem classem ingentem paravisse, exercitúmque coadunasse, ut terrâ maríque ipsam Constantini urbem oppugnaret, quæ classis cùm in Danubium flumen esset ingressa, descendisséntque Teucri plurimi ex ea in terram, repente classis Blanchi longè ea inferior numero ex superiore ad nos parte insiluit, & ferè infidelium totam classem combussit. Illi verò qui terram petierant à Blanchi gentibus trucidati sunt. Hoc infortunio & clade Teucris data, & Imperatoria ipsa civitas, & omnes insulæ Ægæi pelagi à formidine magna, Deo victoriam Christianis dante, liberati sunt.

Insuper Presbyter IOHANNES Indorum Imperator, ut quidam Sacerdotes Indiani huc Rhodum devecti, per veros interpretes dixerunt, magnam stragem & occisionem Saracenis suis finitimis, & his maximè qui ex stirpe Machometi se ortos prædicant, intulit, ut vix credatur: nam per trium dierum iter passim cadavera occisorum conspiciebantur. Destinavit præterea Oratorem is Indorum Rex Soldano Babyloniæ cum muneribus, sicut mos Orientalium est, ei denuntians nisi ab affligendo Christianos desierit, se bellum pestiferum civitati Mechæ, ubi sepulchrum Machometi esse dicitur, Ægypto, Arabiæ, & Syriæ, quæ ditioni ipsius Soldani subjectæ sunt, illaturum: fluménque Nili totum, qui Ægyptum irrigat, & sine quo nullus illic vivere posset, surrepturum, & iter aliud illi daturum simili pacto minitans. Orator ipse primò bene admissus

ne admissus & visus fuit: datáque ei copia ut sanctum sepulcrum Domini nostri viseret; qui cùm reversus ad Cayrum fuisset, ab ipso Soldano carceri traditus est, hac intentione illum non relaxaturum, nisi Orator suus ad Indiam missus & detentus non redierit. Hæc pauca sunt memoratu digna, & Serenitati vestræ dignissima, quam semper valere optamus.

Datum Rhodi in nostro Conventu, die tertia Iulii anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo.

Serenitatis vestræ,

Magister Hospitalis Ierusalem.

CAROLI VII. REGIS FRANCORUM NICOLAO *Papa V.*

An. Christi 1449. *Ex ejusdem MS.*

XLIV. BEATISSIME Pater, &c. Cùm nuper Prælatos regni nostri in civitate nostra Rotomagensi congregari mandassemus, ut super quibusdam differentiis inter vestram Sanctitatem & Ecclesiam nostram Gallicanam concordandis bona & votiva caperetur conclusio, nostris tamen obstantibus guerris in hac reductione nostri Ducatûs Normaniæ ad nostram obedientiam plurimùm occupati, in ea congregatione personaliter adesse nequivimus; propter quod re ipsa non perfecta juxta votum nostrum, Prælati, qui tunc in eo loco convenerant, absque finali conclusione discesserunt. Quia verò totis

Congregatos Rotomagi Prælatos regni ad bonum Ecclesiæ mandat.

nostræ mentis desideriis bonam super his concordiam adipisci percupimus, iterum Prælatos Regni nostri & Delphinatûs in magno numero infra paucos dies congregari mandavimus, ut more nostro solito, & pro tanta re debita solemnitate servatis, in his quæ cum dilecto nostro Minturnensi Episcopo vestræ Sanctitatis Oratore, in præfata Rotomagensi civitate prolocuta & advisata extiterunt, fixa & permanens & desiderata per nos conclusio subsequatur; quod annuente pacis Auctore fieri firmiter speramus, qua ratione ducti præfatum Episcopum Minturnensem apud nos remanere fecimus; quod pro tanto fructu consequendo gratum vestræ Sanctitati fore non dubitamus. Quam feliciter conservet Altissimus ad felix regimen Ecclesiæ suæ sanctæ.

Scriptum in oppido de Berneio nono die Martii, anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo nono.

An. Christi 1453. *Ex eodem.*

NICOLAI PAPÆ V.


CAROLO SEPTIMO *Regi Francorum.*

Rogat Regem ut Cardinali Rotomagensi Archiep. qui fidelitatem & homagium nondum præstiterat annuum saltem reditum percipere sinat.

XLV. NICOLAUS Episcopus servus servorum Dei, charissimo in Christo filio CAROLO Francorum Regi illustri, salutem & Apostolicam benedictionem. Accepimus superioribus diebus dilectum filium nostrum GUILLELMUM tituli sancti Martini in Montibus Presbyterum Cardinalem, & Archiepiscopum Rotomagensem, possessionem liberam Ecclesiæ suæ Rotomagensis cum gratia & benevolentia tuæ Serenitatis assecutum fuisse: quæ res grata admodum nobis fuit, ita ut exinde gratias tuæ Celsitudini referamus: nam in ea re voluntati & dispositioni nostræ ac tuo erga ipsum Cardinalem, qui negotiorum tuorum omnium curam habet

immenſam, officio & benivolentiæ ſatisfeciſti. Sed quia nuper intelleximus annuam temporalitatem ipſius Eccleſiæ eidem Cardinali denegari, cùm juramentum ſolitum fidelitatis & homagii non præſtiterit, rogare decrevimus enixiùs & ex corde tuam Excellentiam, ut pro tua erga nos & Apoſtolicam Sedem ſinceritate, ad ſingularem noſtram complacentiam, temporalitatem pro uno anno eidem Cardinali concedas, quæ ſub nomine vulgari *de ſouffrance* ſeu *reſpit*, ut audivimus, dari ſolet, & quam ſcimus perſonis aliis quæ tuæ Serenitati nulla erant parentela conjunctæ, conceſſam fuiſſe. Cùm autem ipſum Cardinalem impreſentiarum permittere non poſſimus ad tuam præſentiam prout optaret perſonaliter accedere, quia ejus aſſiſtentia in magnis & arduis fidei Catholicæ quæ nunc occurrunt negotiis nobis plurimùm neceſſaria exiſtit, noſtra intereſſe videtur, ut nos ipſi ejus anni temporalitatem ſuo nomine impetremus. In qua re nobis pręmaximè complacere debet tua Excellentia, cùm de communi Chriſtianæ religionis ſtatu nunc agatur. Velit igitur Celſitudo tua in hoc brevi temporis ſpatio noſtræ annuere petitioni, & per Nuntium præſentem, quem hac de cauſa deſtinamus, gratum & acceptum dare reſponſum, quemadmodum de tua devotione plurimùm confidimus & ſperamus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo tertio, tertio Idus Octobris Pontificatûs noſtri anno ſeptimo.



An. Christi 1437. *Ex Ms. codice Domini d'Herouval.*

SACRATISSIMÆ

Ac Christianissimæ Regis Francorum Majestati, IANUS *de Campofregoso Dux Januensium.*

Orat Regem ut Regno Cyprico periclitanti subsidium conferat.

XLVI. ETSI jamdiu, Serenissime ac Christianissime Princeps, manifestam regni Cyprici calamitatem ante oculos habuerimus, idque civitas nostra apud Christianos tum Principes, tum populos denuntiando ac exclamando sæpiùs deploraverit, nunc eo minùs continere rursum non possumus, quo recens terror excrevit regni illius internecionis ac pænè Christiani nominis interitus ad nos defertur: cùm Soldanus Christianæ fidei hostis teterrimus, post tentatam totiens illius regni servitutem nuperrimè ac publicè Christianorum omni metu posthabito ingentem classem ad perniciem Regni illius parare videatur. Quod profectò etsi in communi calamitate præter privatam portiunculam liceat non accipere*, vel primi at saltem non postremi esse voluimus, qui taciti tantam tempestatem, pudorémque vel ferre vel præstolari videamur. Olim solebant esse in Christiano populo tum Reges, tum Principes, quibus nulla major cura inerat, quàm Christiani nominis cultum ac fidem ab omni injuria tuendi; nunc autem ita crevit auctáque est omnibus suarum cuique rerum cura & libido, ut nihil communi calamitati dignitatíque christianæ ampliùs consulatur.

* Mendum hìc.

Decrevimus ob id, Christianissime Princeps, consilia quæ nos in hac re capere decrevimus, etiam aliis Principibus suadere, maximè quidem Serenitati vestræ, cui aliquod præcipuum hujuscemodi rerum onus videtur incumbere, orando ac adhortando Majestatem vestram, ut futuræ huic tantæ cladi prospiciat, nec solùm per seipsam, sed consilio suo ceteros impellat ad ea omnia agenda, per

quæ Christiani nominis & dignitati & saluti consulatur. In quo ne videamur verbis solùm remedia memorare, hoc non facto, offerimus quibuscumque volentibus subsidia illi regno conferre, tot triremium biremiúmque corpora quot necessaria fuerint ad protectionem salutémque illius regni, quemadmodum Legati Cyprici, qui pro re hac apud nos fuêre, Majestati vestrę enarrabunt. Quòd modò superest, Sublimitatem vestram & rogamus & hortamur, ut non aliena à moribus clarissimorum priorum suorum hujusce rei principalem curam suscipiat, auctorémque se præbeat, tam sancto, támque pio operi; quo & saluti regni illius, ac Christiani nominis dignitati M. vestra videri possit, ut solita est, consuluisse. In quo etsi toti Christiano populo Serenitas vestra gratum efficiet, Deo primùm, cui maximè aspiciendum est, satisfecisse videbitur. Nos enim nec alieni esse volumus ab omni sumptu, & Orientis ac Syriæ loca nostra ac portus & receptacula huic communi bello, si ceteri Principes ac Christiani populi conveniant, liberè ac latè offerimus, parati semper in omnia jussa vestræ Majestati.

Data Ianuæ in nostro Ducali Palatio, anno millesimo quadringentesimo trigesimo septimo, die vigesimo quinto Augusti.

CAROLI VII.

REGIS FRANCORVM

FRIDERICO *Romanorum Regi.*

An. Christi circiter 1438. *Ex authenticis D. d'Herouval.*

XLVI. SERENISSIMO Principi FRIDERICO Dei gratiâ Regi Romanorum carissimo fratri ac consanguineo nostro carissimo, CAROLUS eadem gratiâ Rex Francorum, salutem & virtuosos atque celebres actus jugiter amplecti. Serenissime Princeps, carissime frater & consanguinee, miramur admodùm molestissiméque ferimus, quòd licet totiens à nobis rogatus liberaliter nobis polliciti fueritis carissimum filium nostrum

Vt Ducem Bavariæ diutiùs detentum libertate donet.

Sigismundum Ducem Austriæ ad suas ditiones & gentes permittere liberè & gratiosè reverti; & præsertim infra certum terminum, jam diu elapsum: tamen (ut intelleximus) hactenus eum detinuistis, & adhuc detinetis. Et quia sicut solebamus, & quemadmodum decens exstat & rationi consentaneum, ei sincerè & ex intimis afficimur, vos enixiùs rogitamus quatinus eum modò sine pluri dilatione velitis expedire, sineréque quòd ad loca sua regrediatur, ipsas ditiones & gentes suas in libertate sua (ut censetur operæpretium pro quiete pacéque, & communi bono reipublicę) earumdem & aliarum prædictarum sibi adjacentium recturus & gubernaturus.

Potestis etiam per tot conscriptiones nostras perpendere, quantam nobis cedit in displicentiam tam longa detentio carissimi avunculi nostri LUDOVICI Ducis Bavariæ; & ideò vos majori deprecamur affectu, quatinus quantumcumque nobis velletis complacere, hac vice velitis eum facere per consanguineum nostrum ejus filium penitùs liberari, permittíque terris, & dominiis suis quibuscumque plenariè & pacificè perfungi pariter & gaudere, sicut debet, & ante detentionem suam consueverat. Nobis in his gratitudinis integritatem confecturus, nos ad mutuæ vicissitudinis pro vobis & vestris explendas repensiones reddendo semper affectiores, prout hæc & alia super his amplè reseravimus dilectis & fidelibus Consiliariis & Ambaxiatoribus nostris domino de Fenestranges & Henrico Bayere Militibus, vobis per eos opportunè referenda. Quibus in eis, quæ super ipsis materiis hac vice nostri pro parte vobis explicuerint, credulam fidem velitis, quæsumus, adhibere, & per eos nobis remittere grati habendas ut confidenter præstolamur vestras utique rescriptiones.

Datum Cainone.



BERTRANDI

Episcopi Cavellicensis.


An. Christi 1214.

XLVII. ANNO Domini MCCXIV. v. Cal. Ianuarii. Notum sit omnibus quòd nos B. Dei gratiâ Cavellicensis Episcopus ad Castrum-novum de mandato GERALDI Amici, qui ibi infirmabatur, accessimus, & audita ipsius confessione ei innotuimus quòd Monachi sancti Andreæ nobis de ipso conquerebantur, quia paulò antè illis diebus ad Tedonem cum viginti equitaturis & pluribus hominibus venerat, & ibi per duos dies & noctes moram fecerat, contra promissionem quam eis promiserat, sicut in instrumento confecto super his continetur. Ipse verò respondit pro suis necessitatibus hoc fecisse, adjiciens quòd si malum fecerat, & quòd non ······· veniret bajulus Abbatis, & computaretur quidquid expenderat, & totum se promisit ex integro redditurum. Ibique coram nobis recognovit præsente domno BERMUNDO Abbate S. Andreæ, & quibusdam aliis inferiùs subscriptis, quòd apud Tedonem nec herbergium, nec aliquam exactionem habebat, nec habere debebat.

Geraldus peccatis apud Episc. depositis quædam à se usurpata Monasterio S. Andreæ Avinion. restituit,

Vnde nos mandato ipsius G. in hujus rei testimonium præsentem chartulam fecimus fieri, & sigilli nostri munimine roborari. Actum est hoc anno & die quo supra apud Castrum-novum in camera ipsius Geraldi Amici.

Interfuerunt etenim huic facto domnus B. S. Andreæ Abbas, IOHANNES de Andusia Prior de Toro, HUGO Richardi & GUILLELMUS Monachi S. Andreæ, PONTIUS de Valeaquaria Canonicus Ecclesiæ Insulanæ.



An. Christi 1223.

IAUSERANNA *de Medullione vidua spreto mundo sese Deo consecrat, ac subjicit Abbati S. Andreæ Avenionensi, confértque bona aliqua in castro de Barreto.*

XLVIII. SCIANT præsentes & discant posteri, quòd anno Incarnationis Dominicæ millesimo ducentesimo vigesimo tertio, mense Maii, XII. Calend. Iunii, ego IAUSERANNA filia quondam domini Guillelmi de Medullione, uxor quondam Bernardi de sancto Saturnino, dedico meipsam Deo & Monasterio sancti Andreæ & Ecclesiæ B. Laurentii de Barreto, & pro salute animę meæ & parentum meorum dono & offero eidem Monasterio, & eidem Ecclesiæ sancti Laurentii quædam de bonis meis paternis positis in castro de Barreto inferiori intus & extra; cetera filiis meis relinquens B. & W. & B. sponte, non coacta, non suasionibus alicujus vel aliquorum seducta, purè & sine conventione & conditione aliqua in perpetuum donatione irrevocabili facta. Dono, inquam VII. mansiones hominum & eorum successorum, & ipsos homines, & jus & quasi jus & actionem & empleiam, quod vel quam in ipsis hominibus & in eorum successoribus, vel in rebus eorum mobilibus & immobilibus cultis & incultis habeo, &c. ita ut prædicta Ecclesia sine impedimento, sine inquietatione alicujus vel aliquorum prædictos homines & eorum successores, & res eorum liberè in perpetuum possideat; & Ecclesiæ prædictæ prædicti homines & eorum successores empleiam* & servitium facere teneantur, & juxta sanctum Laurentium domos suas ædificent.

Gal. * Droit de Courvée.

Item dono & offero in perpetuum prædicto Monasterio & prędictæ Ecclesiæ illam partem taschæ, quam habeo vel habere debeo in prædiis cultis vel incultis, & jus & dominationem, quod vel quam habeo in ipsis prędiis, vel adversus possessores prædiorum ratione taschæ: quæ prædia sunt infra taschariam, &c.

Item

Item dono prædictæ Ecclesiæ, ut domus sancti Laurentii prædicta in perpetuum in molendino quod situm est super aquam quæ vocatur Meuga, quod molendinum filii mei infra scripti possident, sine moltura liberè possit molere omne bladum suum.

Item dono in perpetuum prædictæ Ecclesiæ quinquaginta scutellas & viginti quinque grasaletos censuales annuatim, &c.

Item dono prædictæ Ecclesiæ decimam partem fructuum omnium vinearum quæ sunt in castro de Barreto, vel inantè plantatæ erunt in territorio seu tenemento castri de Barreto, promittens quòd omnes homines castri prædicti, exceptis Militibus, jurare faciant pro se & pro suis successoribus, quòd ipsi & eorum successores decimam partem fructuum omnium vinearum suarum pro decima prædictæ Ecclesiæ sancti Laurentii, & Priori ejusdem loci, in perpetuum singulis annis reddant, & sine vitio & sine diminutione persolvant, &c.

Et volo & mando quòd B. de S. Saturnino, & W. de Medullione, & B. de sancto Saturnino filii mei sub juramento promittant, quòd prædictam Ecclesiam & domum, & res omnes prædictę Ecclesiæ, & homines prædictæ Ecclesiæ suprascriptos, & res eorum pro posse suo custodiant & defendant, & libertatem Ecclesiæ teneant & observent: & quòd in eadem Ecclesia vel in hominibus Ecclesiæ quistiam, vel vim aliquam, vel violentiam in rebus eorum mobilibus vel immobilibus non inferant vel faciant, vel inferri faciant, & quòd contra donationem vel oblationem quam prædicto Monasterio & prædictæ Ecclesiæ feci, per se vel per alios non veniant.

Reliqua omnia bona mea paterna filiis meis dono, & ultra legitimam dedi, ut meliori animo & bona voluntate ea quæ Ecclesiæ dedicavi, observent & defendant. Quæ omnia superiùs dicta & nominata prædicti fratres filii prædictæ Iauserannæ promiserunt ita attendere, servare, & contrà ullo tempore non venire domno Bermundo Abbati sancti Andreæ, & Priori Ecclesiæ di-

ctæ sancti Laurentii, & tactis sacro-sanctis Evangeliis juraverunt.

Et insuper ego IAUSERANNA prædicta professionem emitto, & me imperio & mandato domni Bermundi Abbatis, & ejus successoribus subjicio, & in manu Calverii de mandato ipsius domni Abbatis me absque proprio vivere.

An. Christi 1234.

INSTITVTIO
Monasterii Puellaris sanctæ Crucis in Aptensi Diœcesi,
SEV
Donatio ejusdem Monasterii facta ab Abbate & Monachis Cœnobii sancti Andreæ.

49. IN nomine Domini nostri IESU-CHRISTI. Anno ab Incarnatione ejusdem MCCXXXIIII. videlicet VII. Idus Augusti. Nos CALVERIA Abbas Monasterii sancti Andreæ Avinionensis diœcesis, pro utilitate Monasterii prædicti, de voluntate & consensu expresso totius Capituli ejusdem Monasterii, concedimus & donamus vobis Cæciliæ sanctimoniali Christi ad exstruendum Monasterium Monacharum, quamdam Ecclesiam nostram desertam cum omnibus juribus, rationibus & pertinentiis suis, quæ Ecclesia vocatur Ecclesia S. Crucis, & est sita in Episcopatu Aptensi, videlicet in territorio de Rossillono.

Damus siquidem vobis prædictam Ecclesiam & successoribus vestris, retento tamen nobis & Monasterio S. Andreæ censu antiquo, quem prędicta Ecclesia præteritis temporibus nobis solvere consuevit, videlicet septem saumatas frumenti censuales singulis annis in festo B. MARIÆ de Augusto, à vobis & ab aliis locum ve-

strum successivè tenentibus, apud Avinionem sumptibus vestris Monasterio prædicto S. Andreę ad mensuram civitatis Aptensis solvendas, & salvo & retento Monasterio sancti Andreæ, quod vos & Ecclesia prædicta, & alię quæ pro vobis successivè in Ecclesia prædicta manserint, nos & Monachos nostros præsentes & futuros, cùm eos ad dictam Ecclesiam venire contigerit, teneamini honestè recipere & decenter tanquam dominos secundùm facultates ipsius Ecclesiæ procurare.

Concedimus etiam vobis Cæciliæ sanctimoniali Christi jamdictę de consensu Capituli nostri, quòd Collegium quod in prædicta Ecclesia fuerit, habeat liberam potestatem eligendi Abbatissam, recipiendi Monachas, & omnia vobis & per vos omnibus in prædicta Ecclesia seu Monasterio succedentibus absolutè concedimus, quæ Conventui seu Capitulo de jure communi pertinere noscuntur.

Omnia autem prædicta vobis concedimus salvo nobis & Monasterio sancti Andreæ eo jure, quod si in Ecclesia prædicta Monacha aliqua non maneret, Abbas sancti Andreæ omnia ad prædictam Ecclesiam pertinentia cum omnibus incrementis & ædificiis ibidem factis, auctoritate sua per se vel per nuntium suum valeat occupare, & sibi tanquam proprietatem Monasterii sancti Andreæ in perpetuum retinere, & ibidem pro voluntate sua Priorem instituere possit, prout facere consuevit, & quòd quælibet Monialis quamcitò professa fuerit, jurabit quòd observet omnia supradicta. Et hæc omnia prædicta vobis concedimus salvo jure & honore domni Episcopi Aptensis, in obedientiis, correctionibus, visitationibus & procurationibus, & omnibus quæ ad jurisdictionem diœcesanam pertinere noscuntur.

Et nos prædicta Cæcilia sanctimonialis Christi nomine nostro & succedentium nobis prædictam Ecclesiam sanctæ Crucis cum omnibus juribus & pertinentiis suis recipimus, & cum omnibus libertatibus & honoribus, sicut superiùs est expressum, concedentes vobis, domne Ab-

bas prædicte, & per vos successoribus vestris, quòd nos & omnes nobis succedentes in Ecclesia seu Monasterio supradicto fideliter observabimus omnia supradicta; & quòd nos & Abbatissæ seu personæ nobis succedentes, quæ pro ipsis in Ecclesia seu Monasterio memorato fuerint institutæ, quælibet in sua creatione veniemus in propria persona ad Monasterium sancti Andreæ prædicta omnia recognituræ; & quòd ita ut scriptum est observemus integrè per interpositam personam juraturæ; quod juramentum quælibet Monialis, quàm citò professa fuerit, præstabit se observaturam præsente Conventu & domno Abbate, sicut superiùs est expressum.

Factum fuit hoc in Capitulo Monasterii sancti Andreę in præsentia W. Raimundi Operarii dicti Monasterii, B. Ruffi, P. Ruffi, Iohannis Bajuli, Calveriæ, W. de Coirano, B. de Mesoaga, W. Peleti, W. de Angulis Prioris Claustralis, Rost. Lumbardi, B. Laugerii, Rost. Rebulli, P. de Augustrinis, B. Augerii, B. Guiraudi, B. de Avinione Monachorum; qui omnia prædicta laudaverunt & confirmaverunt. Testes alii interfuerunt, &c.

Post hæc concessit eidem domno Abbati & ejus Conventui per se & successores suas dicta C. Abbatissa, ut quandocumque & quotiescumque mortua Abbatissa, vel certa alia de causa destituta, spontanea voluntate Monasterii prælibati contingeret electionem fieri, sive eligi Abbatissam, electionem Moniales prædicti Monasterii de consilio & assensu domni Abbatis & successorum suorum facient, & eligent Abbatissam. Item promisit & concessit per se & successores suas, quòd si inter Moniales ejusdem Monasterii aliqua questio vel discordia oriretur, sine strepitu judicii illud per dictum domnum Abbatem vel successores ipsius voluit & concessit quòd debeat terminari: & si aliqua correctione indigeant in Monasterio prædicto tam in persona ejusdem Abbatissæ vel successorum ipsius, vel Monialium ejusdem Monasterii, correctio ad Abbatem Monasterii sancti Andreæ debeat pertinere.

Item promisit & concessit per se & successores suas, ut supra velum album quod deferunt crucem nigram deferrent in signum subjectionis Ordini Monasterii prędicti S. Andreæ.


Quia verò nos prædictus Calveria Abbas Monasterii supradicti, videntes devotionem tam Abbatissæ quàm Monialium dicti Monasterii sanctæ Crucis, ut prædictæ Moniales liberiùs possint in dicto Monasterio Domino famulari, & ne propter penuriam necessariorum compellantur desistere ab incepto: de voluntate & assensu Fratrum nostrorum tunc nobiscum exsistentium, quorum nomina infrà scribuntur, conferimus vobis dictæ Abbatissæ & successoribus vestris, & dicto Monasterio sanctæ Crucis, Ecclesias sancti Andreæ de Arnavis, & sancti Martini de Crosanis Aquensis diœcesis, cum omnibus juribus & pertinentiis suis in perpetuum tenendas & possidendas, retento tamen nobis & Monasterio sancti Andreæ antiquo censu, quem prædictæ Ecclesiæ præteritis temporibus nobis solvere consueverunt, videlicet Ecclesia sancti Martini VII. sol. & Ecclesia sancti Andreæ I. summatam annonæ, singulis annis solvendos & solvendam in festo Beatæ Mariæ de Augusto, prædictam annonam & denarios vestris sumptibus ad nostrum Monasterium deferendo, salvo jure domni Aptensis Episcopi. Concedimus, inquam, vobis prædictas Ecclesias hoc salvo & retento: quòd si in prædicto Monasterio sanctæ Crucis Monacha aliqua non maneret, Abbas sancti Andreæ omnes prædictas Ecclesias & pertinentia cum omnibus incrementis & ædificiis ibidem factis, auctoritate sua per se vel per nuntium suum valeat occupare, & sibi tanquam proprietatem Monasterii sancti Andreæ in perpetuum retinere, & in eisdem Ecclesiis pro voluntate sua Priorem Monachum, vel alium instituere possit, prout facere consuevit, sicut de Monasterio sanctæ Crucis superiùs est concessum.

Et nos dicta Abbatissa sanctimonialis Christi nomine nostro & succedentium nobis prædictas Ecclesias sancti

Andreæ de Arnavis, & sancti Martini de Corsanis cum omnibus juribus & pertinentiis suis recipimus, & cum omnibus libertatibus & honoribus, sicut superiùs est expressum: concedentes vobis, Domne Abbas prædicte, quòd fideliter observabimus & faciemus prædicta universa & singula: & quòd prædicta omnia & singula rata habebit Conventus prædicti Monasterii sanctæ Crucis, & quòd de novo concedet universa & singula vobis, vel alii cui super hoc commiseritis vices vestras. Etsi prædictus Conventus ea quæ dicta sunt, vel aliquid prædictorum nollet concedere quæ nobis à vobis concessa sunt, pro infectis & irritis habeantur.

Factum fuit hoc in Capitulo Monasteri sancti Andreæ præsentibus Monachis infra scriptis, scilicet:

B. de CADAROSSA Priore Claustrali:
C. Decano:
R. AUGERII Operario:
C. de Sos Eleēmosynario:
B. Camerario:
R. Sacrista:
B. COMARCO Priore de Garambodio:
R. STEPHANO:
P. MARTINI:
R. MILO:
P. AUDEBERTO:
IACOBO AIME:
R. de ARAMONE, &c.



CHARTA INSTITUTIONIS
An. Christi 1239.

Monasterii Beatæ MARIÆ *de Furnis, per Calveriam Abbatem S. Andreæ secus Avenionem.*

50. NOTUM sit omnibus hanc præsentem chartam legentibus, quòd anno ab Incarnatione Domini MCCXXXIX. videlicet XVII. Cal. Maii, nos CALVERIA Dei gratiâ Abbas Monasterii sancti Andreæ per nos & per omnes Abbates successores nostros, & nomine dicti Monasterii, & pro ipso de consensu & voluntate expressa totius Capituli dicti Monasterii, conferimus vobis domnæ MABILIÆ, obedienti, donatæ & professæ nostræ, filiæ quondam domni PETRI de Albarone, Ecclesiam & Prioratum Beatæ MARIÆ de Furnis, quæ est sita in tenemento, quod Valerga vulgariter nuncupatur, cum omnibus juribus, pertinentiis & appendiciis suis, quæ in Instrumento de possessionibus ad Ecclesiam prædictam pertinentibus confecto pleniùs continentur. Ita tamen quòd in dicta Ecclesia seu Prioratu sit & construetur nostri Ordinis Monasterium Monacharum.

Conferimus inquam vobis, ut dictum est, & per vos aliis Priorissis & Monachabus, quæ in dicto Monasterio ingredientur & ibi habitabunt, dictam Ecclesiam, ita quòd perpetuo muramine inclusæ maneant, & nullatenus ab ea hora qua ingressę semel fuerint propter Deum, exeant ad vagandum per mundum, nisi fuerit necessitas: & tunc de speciali licentia Priorissæ vel locum tenentis ejusdem. Excipientes ex hoc Priorissam & Cellerariam, quæ curam habebunt temporalem, quæ propter diversa Prioratûs negotia cum honestis sociis quandoque poterunt extraire.

Conferimus inquam vobis domnæ Mabiliæ memoratę, & per vos aliis Priorissis vobis succedentibus, & Mo-

nialibus dicti Monasterii Ecclesiam supradictam cum dictis suis appendiciis: ita scilicet quòd vos & aliæ Priorissæ, quæ in dicta Ecclesia seu Prioratu pro tempore fuerint, nobis & aliis Abbatibus nostri Cœnobii nobis succedentibus canonicè obedientiam promittatis, salvâ obedientiâ & reverentiâ debitâ domino Avinionensi Episcopo, sicut habet in Monachis nostri Monasterii. Concedentes vobis dictæ domnæ Mabiliæ Priorissæ dictæ Ecclesiæ, & per vos aliis Priorissis quæ post vos fuerint, liberam & plenariam potestatem recipiendi Moniales tam Conversas quàm Clericas, & Fratres & Donatos & Donatas, tam Clericos quàm laïcos, qui vel quæ intrare voluerint Ecclesiam supradictam, hoc adhibito moderamine, ut omnes habitantes ibidem possint de bonis Ecclesiæ commodè sustentari: ita quòd omnes qui intrare voluerint, vobis obedientiam promittant, & vivere juxta Regulam Beati Benedicti, & Constitutiones quas dabimus vobis observent.

Item concedimus vobis & aliis Priorissis, quòd Monialibus & Conversis possitis velum conversionis imponere, & Fratribus & Donatis dare habitum regularem, quando vobis videbitur expedire, juxta tamen formam Ecclesiæ nostrę religionis.

Item concedimus vobis, & per vos aliis Priorissis plenam & liberam potestatem ordinandi dictum Prioratum, & faciendi Subpriorissam & destituendi eam justa de causa, & Sacristanam & Cellerariam & alias Officialias, secundùm quod Dominus vobis inspiraverit, & dicto Prioratui videbitur expedire. Correctionem etiam omnium Monial. & Frat. & habitantium in dicto Prioratu vobis concedimus, ita quòd nulli liceat à vestra correctione ullatenus appellare, nec correctiones vestras regulariter factas possimus aliquatenus annullare, nec quod justè statueritis destituere.

Conferimus etiam vobis dictæ Priorissæ, & per vos aliis Priorissis quæ pro tempore fuerint & Monialibus dicti Prioratûs, quòd secundum quod vobis vel successoribus

bus vestris videbitur, Moniales dicti Prioratûs possint à domino Avinionensi Episcopo, de nostro & successorum nostrorum consilio & assensu à Priorissa requisito, consecrari. Etsi super hoc Abbas malitiosè differret dare consilium & assensum, nihilominus dominus Avinionensis Episcopus dictas possit Moniales liberè consecrare. Priorissâ verò defunctâ, vel certa alia de causa destitutâ, vel quotiescumque opus fuerit, Moniales quæ ibidem pro tempore fuerint canonicè eligant Priorissam, de nostro & successorum nostrorum consilio & assensu: Cujus confirmationem nobis & nostris successoribus reservamus. Correctionem verò & visitationem, & moderatam procurationem cum quinque vel sex bestiis* semel in anno nobis similiter in dicta Ecclesia retinemus: salva nihilominus dicto domino Avinionensi Episcopo visitatione, procuratione & judiciaria correctione: hoc excepto, quòd Priorissam destituere non poterimus, nisi causa evidens fuerit, secundùm quod in nostra regula continetur, reservatâ specialiter domino Avinionensi Episcopo destitutione ordinaria, in judicio ordinario ventilatâ.

Id est, equis, vel asinis.

Retinemus etiam censum debitum & annualem nobis & domino Avinionensi Episcopo suis temporibus persolvendum, scilicet nobis & dicto Monasterio duodecim ···· annonæ, & dicto domino Avinionensi Episcopo unam saumatam annonæ, & aliam sumatam ordei, & duas saumatas vini. Quæ servitia in messibus, scilicet annona & ordeum, & in vindemiis vinum annuatim censualiter servietis.

Concedimus etiam vobis de consensu Capituli, & per vos Prioratui supradicto, & Monialibus quæ in prædicto Prioratu inantea receptæ fuerint, libertatem, & vos & per vos dictum Prioratum à collectis, talliis & exactionibus in perpetuum absolvimus, & à prædictis dictum Prioratum esse volumus de consensu Capituli in perpetuum liberum & immunem, observatis tamen omnibus superiùs nominatis. Si verò inter Moniales & Priorissam aliqua quæstio vel discordia sine strepitu judicii oriretur,

illud per nos vel successores nostros volumus quòd debeat terminari, judiciali quæstione domino Avinionensi Episcopo reservata.

Et nos BERTRANDUS de sancto Martino Decanus: PETRUS Duranti Prior Claustralis & Sacrista, PETRUS Guillelmi Eleëmosynarius, PETRUS de Augustrinis Operarius, GUILLELMUS Raimundi, GUILLELMUS Rostagni, GUILLELMUS de Sos, CALVERIA, BERTRANDUS Augerii, GUILLELMUS de Coirano, R. ROTBERTUS, ARNAUDUS de Guargaia, PONTIUS Chabauti, P. Armandi, G. Pandulfi, P. de Arboribus, BERTRANDUS Guiraudi, B. Lombardi, ROSTAGNUS Augerius, PETRUS Bermundi, & BERTRANDUS de Cadarossa Monachi Monasterii S. Andreæ supradicti, super prædictis omnibus & singulis deliberatione habita diligenti & pleno denique tractatu cum viris prudentibus & discretis, recognoscentes & in veritate confitentes prædicta omnia & singula, de expresso assensu & voluntate nostrorum omnium & singulorum in nostro Capitulo per dictum dominum Abbatem esse facta & pleniùs approbata; nobis omnibus & singulis propter hoc in nostro Capitulo convocatis, per nos & per omnes Monachos nostros nobis in prædicto Monasterio succedentes; & nomine nostro & Monasterii supradicti, vobis prædictæ domnæ MABILIÆ præfatæ Ecclesiæ Priorissæ præsenti & recipienti, & per vos omnibus aliis Priorissis & Monachabus deinceps in dicto Prioratu degentibus, prædicta omnia & singula approbamus, laudamus in perpetuum & etiam confirmamus.

Et nos prædictus Abbas & Monachi superiùs memorati ad majorem hujus rei memoriam & robur inantea valiturum, hanc præsentem chartam sigilli nostri & Capituli munimine jussimus roborari.

Acta sunt hæc in Capitulo Monasterii sancti Andreæ. Testes fuerunt præsentes, &c.



ROSTAGNI DE PODIO-ALTO Codicillus.

An Christi 1265.

51. NOTUM sit cunctis, quòd anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quinto, videlicet quinto Calendas Februarii, regnante domino PHILIPPO illustrissimo Rege Francorum, ego ROSTAGNUS de Podio-alto Senior, considerans quòd immolatio hostiæ salutaris est summum remedium animarum post exitum hujus vitæ, cùm processerim in diebus, in bona tamen dispositione mentis & corporis, ordino & constituo pro remedio animæ meę & parentum meorum, ut in Monasterio S. Andreæ, in cujus cimiterio elegi sepulturam, fiant quolibet anno duo anniversaria, & in quolibet celebrent decem vel duodecim Sacerdotes ad minus.

Constituit duo anniversaria quolibet anno celebrari in Monasterio S. Andreæ Avinion. &c.

Quorum anniversariorum unum fiat in die qua bonæ memoriæ filius meus Petrus de Podio-alto decessit, scilicet pro ipso & pro MARIA matre ejus quondam uxore mea, & pro aliis de genere nostro: Alterum verò fiat in die qua Dominus me migrare jusserit ab hac luce, pro me & meis antecessoribus & amicis. Et volo quòd Prior Ecclesiæ S. Veredimii, qui nunc est vel qui pro tempore fuerit, habeat & possideat ferraginem meam, quæ est prope Sanctum Veredimium. Quæ dicta ferrago confrontatur ab Oriente cum quadam via publica per quam itur ab Avinione versus Rupemmauram, &c. Et quod dictus Prior de proventibus dictæ ferraginis, quam ad usum dictorum anniversariorum deputo & assigno, procuret Conventum Monasterii sancti Andreæ prædicti, & alios qui celebrabunt in diebus anniversariorum, sicut est supradictum. Si verò Prior Ecclesiæ sancti Veredimii qui nunc est vel qui pro tempore fuerit, erit negligens circa prædicta per me hìc assignata, tunc volo quòd aliquis de propinquis meis cum voluntate & consi-

lio domini Episcopi Avinionensis, qui pro tempore fuerit, possit recuperare dictam ferraginem, & de ejus proventibus teneatur complere & facere supradicta.

Per hanc autem ordinationem nolo quòd in testamento meo aliquid immutetur, sed ratum maneat atque firmum, prout in quodam instrumento publico confecto per manum magistri Bertrandi Auri publici domini Regis Notarii continetur.

Factum fuit apud castrum de Podio alto in camera dicti domini ROSTAGNI de Podio alto Senioris.

Hujus rei testes fuerunt domnus GUILLELMUS de Remolinis Monachus sancti Andreæ, domnus GUILLELMUS Rostagni Prior Ecclesiæ S. Veredimii, &c.

Et ego BERTRANDUS Aurus de Rupeforti publicus domini Regis Notarius, &c.

* Benedicti Doriç vulgò dicti. An. Christi 1446. Ex Ms. D. d'Herouval.

BENEDICTI DE AUREA*

Classis Francorum Regis Capitanei, honorandis dominis Protectoribus sancti Georgii.

Genuenses ut se Regi Fran. subdant exhortatur.

XLVII. ET ex Corsica & ex Hispania litteris meis semper vos hortatus sum, viri magnifici, ut vobis cura esset publicas res & meas componere, nec unquam responsum ullum à vobis habui; non desistamus tamen has etiam hac de causa ad vos dare. Accidisse enim hoc non culpâ vestrâ, sed propter longinquitatem & absentiam meam existimo, quæ vos incertos quò literas vestras dirigeretis, faciebat. Quapropter & ad exequenda etiam nonnulla negotia quæ nobis agenda erant huc in Provinciam accessimus, admiratíque vehementer sumus nullam à vobis post nostrum accessum in his locis mentionem his de rebus factam. His igitur de causis cùm videretur nobis vos nullam curam hac de re habere, cúmque intelligeremus multorum, eorúmque optimorum ci-

vium voluntatem ab hoc haud alienam esse: ad compositionem cum sacratissimo Francorum Rege devenimus, quòd ut suam patrimonialem rem, civitatem nostram recuperare omninò decrevit. Quamobrem tamquam eos, ad quos quies ac status publicus haud mediocriter attinet, vos vehementer exhortor ac moneo, Patres optimi, ne crescere aut multiplicare in dies adeò hoc vulnus sinatis, ut aliquando ad putrefactionem deveniat. Est enim huic Principi omninò assentiendum cùm pro pace publica quam, nullâ aliâ viâ adipisci possumus tum etiam, ad evitandam ejus iram, quæ & multa pericula & ingentes impensas urbi nostræ inferre posset. Habebitur præterea si voluntati suæ assenseritis tertia hæc utilitas; nam cùm ipse inclytus Princeps sua benignitate satisfacere impensis per nos factis promiserit, non erit ea vobis eroganda pecunia quæ mihi tradebatur, erúntque ij quibus illata à nobis damna sunt & largiùs, & certiùs satisfacti.

Non possum, viri dignissimi, ullo pacto desistere, quin vos ad ea quæ ad æquitatem & statum publicum attinent exhorter, quanquam Domino Duci vestro non ita videatur quod nos his verbis uti præ timore existimat, quod etiam in suis litteris, quæ nuper in manus meas devenêre, vidimus: potiùs enim ac libentiùs ingentes pecunias ad corrumpendos hujus provinciæ Magistratuum animos impendere decrevit, quàm eas quæ à me petebantur ut satis facerem eos, quibus à me damna illata sunt. Nominat præterea ipse Dux nos omnes rebelles; quòd si rectè consideraverit ipse, omnésque ceteri, qui Regiæ voluntati contradicent, justè ac legitimè rebelles appellari possunt, habebuntúrque ab ipso Rege haud secus quàm rebelles. Ex felicibus navibus nostris die septimo Novembris 1446. in Portuagii.

BENEDICTUS *de Aurea classis Francorum Regis Capitaneus.*

An. Christi 1447. *Ex ejusdem MS.*

FRIDERICI IMPERATORIS

Illustri Principi & Consanguineo nostro L. Duci Sabaudiæ.


Adhortatur Ducem ut patri suadeat Pontificatum abdicare.

XLVIII. ILLUSTRIS, &c. Et si Catholica veritate edocti manifestum noscamus, quòd unica & immaculata sponsa Christi, sancta mater Ecclesia, in sua integritate tam solida & firma subsistit, ut nulla unquam ratione vel causa neque dividi valeat neque scindi. Quia tamen ex eo quòd genitor tuus se de administrando Romano Pontificatu intromiserat, vulgaris assertio Ecclesiam ipsam deplanxit extitisse concisam. Nos pro tollenda scissura hujusmodi sollerti studio laborantes, sacri Romani Imperii Electores, & alios tam Ecclesiasticos quàm sæculares nostræ Germaniæ nationis Principes & Prælatos, non sine magno expensarum profluvio sæpiùs congregavimus, & etiam pluries personaliter convenimus cum eisdem: Ambaxiatos quoque & Oratores nostros multiplices hinc ad Apostolicam sedem, hinc ad genitorem tuum, necnon & ad illos qui eum in Apostolatus apicem erigere conati sunt; ad diversos quoque Catholicos Reges & Principes duximus transmittendos. Cùm autem in ea re omnem sollicitudinem nostram nihil sentiremus proficere, tandem maturè desuper præhabitis deliberationibus atque consiliis, ab animorum suspensione, quam antea cum præfatis nostris Principibus bonis respectibus eramus amplexi, recedendo, declaravimus mentem nostram, & felicis recordationis tunc Eugenio Papæ quarto quem communiter ceteri Catholici Reges & Principes pro Romano coluêre Pontifice, obedientiam plenariam exhibuimus, quam & in personam Successoris ejus sanctissimi videlicet in Christo patris & domini nostri Reverendissimi domini Nicolai Papæ quinti, decrevimus continuandam, ipsúmque pro vero Christi

Vicario in Petri ſede locatum colimus & veneramur.

Sanè quoniam (ſicut accepimus Sereniſſimus Francorum Rex frater noſter cariſſimus, inter præfatum Papam Eugenium dum adhuc viveret, & ipſum genitorem tuum certam tractavit concordiam, per quam ſi ad concluſionem perducta fuiſſet, & pax dabatur Eccleſiæ, & ejuſdem genitoris tui ſtatui ac honori decenter erat proviſum: dilectionem tuam attentè rogamus & hortamur in Domino, tibíque ſincera puritate conſulimus & ſuademus, quatinus memoratum genitorem tuum diligenter & cum effectu inducas, ut pro Dei laude, pace Eccleſiæ, & populi Chriſtiani ſalute, conſervandóque tam ſuo, quàm tuo, ac totius domus veſtrę, cui ſingulariter afficimur, honore atque ſtatu laudabilibus, ſimiliter ut præfertur, vel aliam quam obtinere potuerit convenientem concordiam etiam cum prædicto domino Papa Nicolao non recuſet amplecti, nec hæſitet tranſitoriam mundi gloriam, pro qua contendit ſub dubio, libenter ſpernere, ut æternam immarceſſibilis gloriæ coronam, quam pacificis paratam habebit, lætanter valeat adipiſci. Etenim quaſi in manu ſua eſt & pacem dare Eccleſiæ, & populo ejus deſideratam præparare quietem. Nos verò ſi ad hæc diligentia noſtra in aliquo ſuffragari poterit, illam ſummo ſtudio impendere cordialiter exoptamus.

Datum Wiennæ, &c.



An. Christi 1455.
Ex eodem.

CALIXTI PAPÆ III.

CAROLO VII.

Regi Francorum.

Certiorem facit Regem se in sedem Apostolicam evectum.

XLIX. CALIXTUS Episcopus servus servorum Dei, carissimo in Christo filio CAROLO Francorum Regi illustri salutem & Apostolicam benedictionem. Immensa summi Dei bonitas & ineffabilis providentia volens mundum primi parentis prævaricatione damnatum, per suam infinitam caritatem ab æterna morte redimere, Filium unigenitum nostræ mortalitatis carnem suscipere voluit, ut per ejus sacratissimam passionem depulsa priorum caligine delictorum, nos ad Regna cœlestia evocaret; qui cùm esset in terris prædicans regnum Dei, Apostolos sibi elegit, ut suorum imitatores operum Ecclesiam sanctam suam post ejus ad cœlos gloriosissimam Ascensionem regerent, & acceptam ab eo gratiam inter homines diffundentes, illam multiplicato fructu redderent ampliorem. Inter ipsos autem Petrum Apostolorum Principem & caput Ecclesiæ constituit, data sibi & suis successoribus solvendi & ligandi plenaria potestate. Necesse enim fuit, cùm sit unicuique huic vitæ finis constitutus, ut Petri auctoritas, dignitas & potestas traduceretur ad ejus in Romana Ecclesia successores, ut esset usque ad sæculi consummationem, qui Christum repræsentans caput esset Ecclesiæ suæ, & solvendi & ligandi potestatem vicariam obtineret.

Cùm igitur per hanc ab ipso Petro continuatam Romanorum Pontificum successionem felicis recordationis NICOLAUS Papa quintus prædecessor noster, qui Summus Romanæ Ecclesiæ Pontifex, & verus Christi JESU Vicarius in sede Petri hactenus præfuit, in hac alma urbe suum diem claudens extremum animam Deo reddiderit, ipsius

ipſius funeris in Baſilica Principis Apoſtolorum exſequiarum celebratione ſolemni de more, & juxta obſervatam conſuetudinem ſubſecuta. Nos unà cum venerabilibus Fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, Romæ in palatio Apoſtolico apud Baſilicam Beati Petri Apoſtolorum Principis, in quo idem prædeceſſor dum viveret habitabat, & curſum præſentis vitæ finierat, convenientes in unum, modo & tempore congruis Conclave ingreſſi ſumus pro Summi Pontificis electione; ubi facta celebratione Miſſæ in honorem ſancti Spiritûs, & poſt diligentem tractatum, prout tantæ rei dignitas poſtulabat, prædicti Fratres, ejus qui invocatus fuerat gratiâ cordibus ipſorum infuſâ, nos tunc tituli ſanctorum quatuor Coronatorum Preſbyterum Cardinalem & Epiſcopum Valentinum, in Summum Pontificem elegerunt, grave onus & noſtris viribus impar noſtris humeris imponendo.

Nos igitur licet humilitatem noſtram & imbecillitatem ad tanti ponderis ſarcinam ſuſtinendam cognoſceremus, tamen confiſi quòd is qui elegit humiles ut fortia confunderet vota noſtra adjuvando proſequetur, nec deſeret in ſe ſperantes, ſuſcepimus onus impoſitum nobis: ea etiam ſpe nos hortante, quòd tuæ & aliorum Chriſti fidelium pro nobis ad Altiſſimum porrectæ orationes & preces, auxilium ad regendum ſuam Eccleſiam apud Salvatorem noſtrum uberiùs impetrabunt, & fortiorem reddent ad tantum regimen infirmitatem noſtram. Idcirco hortamur in Domino tuam Serenitatem, ut indicere velis, ut ſolemnes proceſſiones cum celebratione Miſſæ ſancti Spiritûs fiant in Regnis tuis, & ſimul precibus omnium fidelium Altiſſimo ſupplicetur, ut nobis gratiâ ſuâ aſſiſtat & dirigat actus noſtros, ut poſſimus condignè regere Eccleſiam ſanctam ſuam, & ea agere quæ ſpectent ad ſalutem animarum fidelium, exſtirpationem hæreſum, & pacem populi Chriſtiani. Inter cetera autem intendimus circa oppreſſionem Turcorum & aliorum infidelium omnes vires & conatus noſtros adhibere, ut illi immaniſſimi hoſtes Chriſtiani nominis non ſolùm à civitate Conſtan-

tinopolitana, quam nuperrimè occupârunt, sed à finibus Europæ penitùs expellantur: dispositi quoque sumus omnia agere, quantum cum Deo poterimus, quæ spectent ad honorem & statum tuum. Ceterùm bullam plumbeam sine impressione nostri nominis esse præsentibus appensam tua Sublimitas non miretur, sed potiùs gratuletur eo maximè quia ejusdem tuæ Sublimitatis desiderio occurrentes, ipsas litteras ante accepta coronationis nostræ insignia duximus transmittendas, infra quod tempus perfectæ bullæ usus cum Pontificii impressione nominis de consuetudine non habetur.

Datum Romæ apud sanctum Petrum sexto Idûs Apr. An. millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto.

Sic signatum, C. de Porris.

Ex MS. D. d'Herouval.

CAROLI REGIS FRANCORVM,

Carissimis Consanguineis nostris Archiepiscopo Maguntinensi Electori Romani Imperii, Alberto Marchioni Brandburgensi, Iacobo Marchioni Badensi Comiti, & Vlrico Comiti de Vuirtemberg, Capitaneis &c.

Communitates jura Eccles. & Nobil. infringere conantes, expugnandas esse.

L. CAROLUS &c. Carissimi Consanguinei, litteras vestras credentiales datas in Heydelli, die penultima Ianuarii novissimè præteriti, in oppido præsenti Alenconii vigesima prima hujus mensis Martii nobis per IOHANNEM de Lisura Præpositum Ecclesiæ Maguntinensis, & IOHANNEM de Walderade Militem, Consiliarios & Oratores vestros præsentatas recepimus, earúmque credentiam per ipsos expositam ad plenum audivimus, in effectu continentes, qualiter Communitates patriæ illius clandestinis confœderationibus cum aliquibus Commu-

nitatibus eis vicinis conjunctis, animo elevato ad libertates & privilegia Ecclesiæ Ecclesiasticarúmque personarum abolendas, ac auctoritatem Nobilium omnino prosternendam arma sumpserunt, & nisi properè provideatur patriam pessundabunt: vestri ex parte requirentes si contrarium nobis exponeretur, minimè credere velle. Verùm si necesse foret ad libertates Eccl. auctoritatémq; Nobilium conservandas auxiliari, ac nostris subditis favere ipsis Communitatibus inhibere. Grave enim nobis est audire, Ecclesiam in suis libertatibus pati, ad quam pacificandam tantum laboravimus, quòd eam, Deo concedente, reddidimus unitam, & ipsius libertatem conservari, ac auctoritatem vestram & ceterorum Nobilium ab injuriis præservari, vestigia prædecessorum nostrorum insequendo vellemus, ut latiùs dictis vestris Consiliariis & Oratoribus responderi fecimus, per quos poteritis ad plenum informari.

Datum in oppido Alenconii vigesimo quarto Martii.

EIUSDEM REGIS,

Ex eodem MS.

ALFONSO *Aragonum Regi.*

Commendat Summum Pontificem, quo ipsum honore prosequatur.

LI. CAROLUS, &c. Serenissimo Principi ALFONSO Aragonum Regi consanguineo nostro carissimo salutem, & fraternæ dilectionis augmentum. Serenissime Princeps atque consanguinee carissime, Regum Catholicorum pietatem decet summi Pontificatûs dignitatem sublimissimam, & sanctam Romanam Ecclesiam sincera devotione venerari pariter & deffendere, quemadmodum majores vestri exactis fecêre temporibus, & vestram Celsitudinem piorum vestigiorum eorundem prædecessorum imitatricem egisse accepimus, Beatissimi Patris nostri Summi Pontificis moderni, & ipsius sanctæ Romanæ Ecclesiæ decus ac statum plurimis favoribus prosequendo, favendo & tuendo, unde Serenitati vestræ congratulamur, rogantes attentiùs in hoc ferventibus

animis perseverare, &dilecto ac fideli Consiliario nostro Magistro GUILLELMO Destampis Eccles. Montis Albanensis Electo super his credentiis plenam fidem adhibere.
Datum Turonis prima Aprilis.

EIUSDEM

FREDERICO *Romanorum Regi.*

Ejusdem argumenti.

LII. SERENISSIMO Principi FREDERICO Dei gratiâ Romanorum Regi, fratri & consanguineo nostro carissimo, CAROLUS, &c. Salutem & fraternæ dilectionis incrementum. Serenissime Princeps, atque frater carissime, etsi cunctis fidelibus pax Ecclesiæ optata esse debeat, singulariter tamen Principibus Orthodoxis cura hæc ex ordine divinæ providentiæ indita est, ut Ecclesiam ipsam diebus suis pacatam videant, & in tranquillo statu tueantur ac deffendant. Placuit autem divinæ pietati, ut vestram Celsitudinem non latet, graves ejusdem Ecclesiæ dissensiones sedare, & ad concordiam gratissimam reducere, pro quo quidem pacis munere salutari assequendo Beatissimus Pater Summus Pontifex modernus zelo domûs Dei accensus, ante suam assumptionem ad summi Apostolatûs apicem, etiam & postmodum grandes noscitur labores pertulisse, & ad hæc ac alia pacificum statum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & totius orbis Christiani concernentia perbenignum ac exorabilem semper se præbuisse. Ex quo persona sua sanctissima, quæ jam provectæ ætatis existit,à cunctis fidelibus, præsertim Principibus Catholicis, ex præcordiorum medullis revereri, diligi, & summæ commendationis cultu complecti perpetuò promeruit. Quas ob res Serenitatem vestram propensiùs rogamus, ut idipsum more Majorum vestrorum inclytæ recordationis cum effectu faciat, & dilecto ac fideli Consiliario nostro magistro GUILLELMO Destampis, Electo Ecclesiæ Montis-albanensis, fidem creditivam super his ex parte nostra adhibere velit perbeni-

gnè. Postremò Serenitatis vestræ prosperis successibus congratulamur, quorum votivum incrementum sæpiùs audire nobis erit perjocundum.

Datum Monte-Basonis.


EVGENIO PAPÆ IV.

An. Christi 1446.

LIII. BEATISSIME Pater & sanctissime Domine, humillima usque ad pedum oscula beatorum recommendatione præmissa. Novi, Pater Beatissime, dominum nostrum Regem pro promotione magistri IOHANNIS Cordis, filii IACOBI Cordis Consiliarii & Argentarii sui, ad Archiepiscopum Bituricensem, jámque pluries scripsisse, alterúmque suorum Consiliariorum pro dicto negotio prosequendo misisse; quoniam ipse dominus Rex rem ipsam sibi gratissimam compleri plurimùm desiderat, non solùm patris sui Consiliarii & filii prædictorũ favore, quin potius pro desolationis dicti beneficii cõnsideratione: maximè cùm sit conveniens immò necessariũ ad tales dignitates gratos ipsi domino atque fideles, & non alios constituere, propter obedientiam populorum & fortalitiorum tutam custodiam. Sanctitati igitur vestræ beatissimæ humiliùs supplico, ut dictum Magistrum Iohannem ad ipsum Archiepiscopatum præficere dignetur, preces domini mei Regis exaudiendo; sicque rem prædicto domino & suo Consilio vestram Sanctitatem faciet gratissimam, & ipsum dominum ad ejusdem negotia reperiet paratissimum. Quam sanam & incolumem conservet Altissimus ad felix & pacificum regimen Ecclesiæ suæ sanctæ, præceptis & mandatis ejusdem vestræ Sanctitatis humiliter me submittendo.

Rogat ut Iohannis Cordis electionem in Archiepisc. Bituric confirmet Papa.

Scriptum, &c.



Ex ejusdem Ms.

EIDEM SVMMO PONTIFICI

CAROLUS *Rex Francorum.*


Prælati omnes Regni Franc. fidelitatis juramentum Regi præstare debent. Quas ob causas.

LIV. BEATISSIME Pater, credimus Sanctitatem vestram non ignorare, quòd Prælati Regni nostri in præfectionis suæ primordio nobis præstant & præstare tenentur ligium plerique homagium, & omnes alii fidelitatis juramentum, pro suarum temporalitatibus Ecclesiarum, etiam illarum quæ nostrorum quorumcunque circundantur à terris subditorum, aut quę sitæ sunt infra dominia ipsorum, sive sint Duces, sive Comites, aut alii domini temporales in ipso nostro Regno quovis honore seu titulo fungentes: sumus enim unicus Prælatorum & Ecclesiarum hujusmodi Princeps, protector & conservator sæcularis; nec subditi sunt ipsi Prælati & eorum Ecclesiæ aliis temporalibus aut secularibus dominis, quàm nobis, omnésque in & sub regalia continentur. Et propter ea & alia, dum auctoritate Apostolica per electionum confirmationes aut aliàs canonicè præficiuntur talibus Ecclesiis Prælati debent tam de jure quàm de consuetudine legitima, & maximè propter bonum ipsarum Ecclesiarum ac personarum Ecclesiasticarum, etiámque ob decus & rationem dignitatis & auctoritatis nostræ coronæ & Majestatis Regiæ, de his provisionibus ab Apostolica sancta Sede rescripta vel expressæ bullæ nobis, & non aliis dominis temporalibus dirigi & destinari: & ita dirigere consueverunt summi Pontifices vestri Prædecessores nostris prædecessoribus & nobis. Etsi contigerit interdum & de aliquibus Ecclesiis similibus aliter usum fuisse, hoc forsitan acciderit occasione divisionum quæ in ipso nostro Regno vigebant; quibus profectò causantibus, nonnulli ipsorum dominorum & aliorum nobis subditorum à nobis diffidebant, & nimis auctoritatis usurpativè sibi attribuentes, tunc temporis litteris & mandatis nostris obedientiam ut debebant his in rebus non exhibuis-

ſent. Vbi autem modò, favente Deo, penitùs ſunt illæ diviſiones exſtinctæ, ipſorũque noſtrorum erga nos reunio páxq; confectæ ſubditorum, & ab eis nobis & juſtitiæ noſtrę nunc obeditur, extat operæpretium attendere, ut in his & aliis decẽter dignitati & auctoritati noſtræ Regiæ deferatur, nec ampliùs ſinatur deprimi, neque ei, neque ullis juribus noſtris detrahi: nam, ſicut tenemur, ad eorum conſervationem, ſollicitudinem, & operam protinus daturi ſumus accuratiorem.

Eas igitur ob res Sanctitatem veſtram enixiùs peroramus, quatinus quantumcumque nobis plus exoptat complacere, & ſincerioris affectus & amoris ſignum præſtantiùs nobis oſtendere, dignetur ſuper his æquanimiter advertere, & amodò nobis & nulli alii domino temporali de omnium & ſingularum quarumcumque Eccleſiarum ubicumque & ſub cujuſcumque terra ſeu dominio in noſtro Regno ſitarum, proviſionibus prætactis Apoſtolica reſcripta ſeu bullas, veſtrorum more prædeceſſorum ſecundùm ipſa jura noſtra dirigere atque deſtinare. In hoc paſtorale debitum, Coronæ verò noſtræ quam tantoperè & totiens apud Apoſtolicam ſanctam ſedem, & Eccleſiam Romanam ſatis promeruiſſe dignoſcitur, rationem & nobis acceptiſſimam gratitudinem confectura Sanctitas eadem: quam votiva felicitate pervalere concupimus ad ſaluberrimam ſanctæ Dei Eccleſiæ directionem.

Scriptum, &c. *Nihil præterea in MS. codice.*



Ex Ms. D. d'Herouval.

IDEM REX

Ad Summum Pontificem.

De eodem fidelitatis juramento.

LV. BEATISSIME Pater Sanctitatem Vestram latere non credimus, infra metas Regni nostri cõsistentes Archiepiscopos & Episcopos de jure consuetudinéque retrolapsis inconcussè temporibus observatis quosdam ad homagium ratione temporalitatum quas obtinent, cæteros autem omnes ad fidelitatis juramentum nobis ob causam coronæ nostræ Magestatísque Regiæ præstandum teneri. Fulciti nempe nostræ specialis protectionis præsidio, nullis aliis nostri Regni Principibus, etiam prætextu prædictarum suarum temporalitatum, obsequi vel parere tenentur; quod ad non modicum eorum Ecclesiarúmque suarum decus & utilitatem redundat. Et ob hoc Apostolica rescripta, seu bullæ super eorum promotionibus nobis solito, & non aliis cujuscumque præeminentiæ seu status prætactis Principibus, sicut ante novissimas ipsius Regni nostri divisiones & differentias solitum semper extitit, dirigi debent.

Quia verò, prout intelleximus, dictis divisionibus & differentiis durantibus aliter quandoque in Coronæ nostræ ac Ecclesiarum ipsarum grande præjudicium directæ feruntur, Beatitudinem Vestram attentiùs exoramus quatinus ampliùs in præmissis nostræ Regiæ Majestati detrahi non sinat, & à modo super promotionibus prædictis Apostolica Scripta sive bullas prædecessorum suorum more nobis dirigi faciat. In hoc enim jus Coronæ nostræ servabit, pastorale debitum & nobis acceptissimam gratitudinem perficiet eadem Beatitudo sanctissima. Quam ad felix regimen Ecclesiæ suæ conservare dignetur Altissimus salubriter & votivè.

Scriptum, &c.



CAROLI

CAROLI VII.

REGIS FRANCORVM.

Summo Pontifici.

An Christi circiter 1455. Ex Ms cod. D d'Herouval.

LVI BEATISSIME Pater. Licet Prælati Regni nostri suæ præfectionis in primordio pro suarum temporalitatibus Ecclesiarũ, in ipso Regno nostro constitutarũ ligium, quidam homagium, cæteri fidelitatis nobis (cùm unicus Prælatorum & Ecclesiarum hujusmodi Princeps, protector simus & conservator) præstare teneantur juramentum: eáque ratione propter nostrum interesse, ac bonum earumdem Ecclesiarum & personarum Ecclesiasticarum, tam de jure, quàm consuetudine, dum per electionum confirmationes auctoritate Apostolica seu aliàs canonica, in illis aliqui præficiuntur Ecclesiis, ob decus & honorem dignitatis & auctoritatis nostræ Coronæ Majestatísque Regiæ, rescripta & bullę super his emanatæ nobis primò dirigi debeant & destinari.

Litteræ seu Rescripta Papæ in Galliã missa debent primò Regi offerri & ab ipso recipi, &c.

Itaque S. V. Prædecessores Summi Pontifices dirigere consueverunt: quòd si aliquotiens aliter usum fuisse contigerit, forsitan divisionum & dissentionum quæ in regno nostro tunc vigebant causa fuit. Quibus profectò causantibus nonnulli dominorum inferiorum temporalium nobis subditorum à nobis dissidebant, & auctoritatis nostræ sibi nomen attribuentes tunc temporis litteris & mandatis nostris, sicut debebant, obedientiam his in rebus non exhibebant. Vbi tamen modò, favente Deo, penitus sunt ipsæ divisiones extinctæ, ipsorúmque nostrorum omnium subditorum pax & reformatio factæ sunt, ut in his & aliis decenter dignitati auctoritatíque nostræ Regiæ deferatur, nec ampliùs deprimi neque ei nec ullis nostris juribus detrahi; cùm inter ceteras Regni nostri prædicti sollicitudines præcipuè nobis cura sit, honores & libertates Coronæ nostræ conservare, sempérque illibatas permanere. Sanctitatem igitur vestram

enixiùs peroramus, quatenus nobis complacentes sinceritatis & amoris signum reciprocum præstantiùs ostendere, veluti nostri antecessores Francorum Reges pro tuitione rerum & jurium Ecclesiæ Romanæ viriliter insudarunt, nósquemet quotidie prædecessorum more posse nostro favorabiliter eadem prosequimur, dignetur super his æquanimiter providendo, necnon à cetero nobis tanquam principaliori & unico summo domino temporali, nullíque alteri de omnium & singularum quarumcumque Ecclesiarum ubicumque, & sub cujuscumque terra seu dominio prædicto in nostro regno sitarum, prætactis provisionibus Apostolica scripta sive bullas vestrorum more prædecessorum dirigere atque destinari. In hoc pastorale debitum, Coronæ verò nostræ rationem, & nobis acceptissimam gratitudinem faciet eadem Sanctitas Vestra, quam &c.

Ex eodem. Ms.

EIDEM SVMMO PONTIFICI

Idem Rex Francorum.

Electionem Abbatis Gorziensis confirmet Rex, exorat.

LVII. BEATISSIME Pater, pridem Sanctitati vestræ scripsisse recolimus dilectum ac fidelem Consiliarium nostrum IACOBUM Wisse in Abbatem Monasterij de Gorzia Ordinis S. Benedicti, Metensis Diœcesis, canonicè ritéque electum extitisse. Cui quidem electioni personaliter interfuit GERARDUS de Luddes Prior S. Nicolai de Varengevilla à prædicto cœnobio dependente, ad hujusmodi Abbatialem dignitatem aspirans. Qui siquidem Gerardus sua intentione frustratum se conspiciens, voluit nihilominus hanc electionem canonicam impugnare, & præfatum electum à suo jure, suáque legitima possessione dejicere, prætextu quarumdam literarum commendatitiarum Vestræ Sanctitati directarum, quas tacita electione prædicta, & Monasterij sæpedicti quod Regiæ ditionis existit fundatione suppressa, à vobis obtinuit. Postmodùm verò informati debitè extitimus, ipsum Monasterium à prædecessoribus

nostris inclytæ recordationis fundatum & dotatum, ac sub eorumdem ditione protectionéque speciali semper fuisse. Quod evidenter ostendit justitiæ superioris recognitio. Quamvis, ut accepimus per BRANCARDINUM de Bethutis de Perutio Oratorem & Nuntium vestrum dudum ad nos destinatum, Vestræ Sanctitati relatum fuerit Monasterium prænominatum in Regno nostro situatum non esse. Satius enim foret illi silentium habuisse, quàm de non veris Sanctitatem vestram informasse, & cujus suggestione talia relata sint profectò nos non latet.

Cæterùm quin ingens nostrum Regníque nostri versetur interesse, ut eidem Monasterio præficiatur Pastor idoneus, probus, nobis fidus & Religiosis acceptus, quemadmodum is est antedictus electus, res ipsa satis indicat.

Qua de re Sanctitatis Vestræ providentiam exoramus, quatinus prætensam ipsius Gerardi provisionem revocare, sibíque silentium perpetuum imponere, ac ipsius electi canonicam electionem approbare & confirmare, carissimi fratris nostri RENATI Siciliæ Regis, & cum suis alternis minimè suasionibus exauditis, etiam nostræ tam afficientis intercessionis contemplatione, benignè dignetur. Rem quippe Deo gratam, ipsi Monasterio perutilem, nobis verò acceptissimam confectura Sanctitas prælibata. Beatitudinem Vestram tueatur Altissimus ad felix regimen Ecclesiæ Dei sanctæ.

Scriptum, &c.



Ex cod. Ms.

CAROLI VII.

Summo Pontifici.


Ut Papa Abbatem S. Mauri Fossat. electum ob præclaras virtutes Episcopum Meldens. approbet.

LVIII BEatissime Pater, vacat Ecclesia Meldensis per ejus Episcopi novissimi decessum. Civitas verò nostra Meldensis est situata in loco tam forti & inexpugnabili, quòd ingens exercitus noster vix eam potuit obsidione longa crebráque ab hostili manu, per quam diu nimis occupata fuerat, nobis opportunè recuperare. Cujus occupationis tempore, & occasione dissidiorum & bellorum, qui diutiùs illorsum, proh dolor! viguerunt, Ecclesiæ præfatæ ædificia in ruinam collapsa, prædiáque & rura inculta & deserta, ac aliæ possessiones, res & bona attrita, destructa & diminuta sunt; adeò quòd totæ prædicti ultimi Episcopi facultates & obventiones, etsi libenter ad hoc operam dederit, non suffecerunt ad ipsam Ecclesiam in statum decentem restaurandum. Non autem distat illa civitas nostra Meldensis à civitate nostra Parisiensi nisi decem leucis, cujus est ab anteriori parte fluviorum in eam descendentium potissimum propugnaculum & munimentum, ac adjacentis ei patriæ nostræ, cui terra subest admodum frugifera, & alimoniæ opportuna, ac commodum receptaculum, & securus utique retractus fuit, & olim quibusdam prædecessoribus nostris in adversitatibus suis refugium & tutamen validissimum: unde majus habemus interesse, & ad nos magis attinet curare ac totis nisibus persistere pro securitate & conservatione hujusmodi loci & patriæ nostræ circumvicinæ: sicut est operæpretium in obedientia nostra, & pro bono & promptiori ipsius Ecclesiæ relevamine & reparatione, ut ei præsit & præficiatur Pastor & Episcopus nobis cognitus, fidus, securus, gratus & aptus, ac etiam potens & valens, sicut exstat dilectus & fidelis Consiliarius noster Abbas Monasterii sancti Mauri de Fossatis

prope Parisius, integerrima fidelitate utilissimus, plurimisque obsequiis, maximâ prudentiâ, optimo regimine, administratione adaugentissima, potentia convenientissima, & valetudine perflorenti nobis comprobatissimus, notitiæque, familiaritati, gratiæ & confidentiæ nostris satiùs ascitus & conjunctus; ad quem propterea quamprimùm scivimus prætactam vacationem, nostri totius affectus aciem convertimus, hujus personæ idoneitatem illius rei necessitati coaptari concupientes & perquirentes. Et ideò jam scripsimus ad ipsius Ecclesiæ Capitulum, ut præ cæteris in Episcopum eligatur, ubi firmiter eum speramus sic eligendum.

Vestram igitur Sanctitatem totis ex intimis peroramus, quatinus præmissorum consideratione, & presertim ipsius Ecclesiæ favore, nostrique contemplatione, & tot hujus Consiliarii nostri meritorum intuitu, nullatenus in contrarium disponere velit, quinimmo dignetur celebrandam de eo sic ut præmittitur electionem sinere suum penitùs effectum sortiri paterna caritate, sæpedictæ Ecclesiæ scandalo & deprædationi si secus fieret, generandis obviando, & eundem Consiliarium nostrum, quem per alias nostras litteras ad Ecclesiam extunc ad dispositionem vestram vacaturam, satis affectuosè recommendaveramus, specialiùs habendo recommissum. In hoc Ecclesiæ memoratæ prosperitati salubriter consultura, & nobis singularissimam perfectissimámque complacentiam collatura Sanctitas eadem, quam votiva felicitate desideramus pervalere ad Ecclesiæ Dei sanctæ fructuosissimam directionem.

Scriptum, &c.



Ex Mſ. D. d'Herouval.

CAROLI VII.

FRANCORUM REGIS,

NICOLAO Papæ V.

Queritur Rex quòd contraria juri ſuo & nationi Gallicanæ in Capitulo Generali Ordinis S. Iohan. Rhodi acta fuerint.

LIX. BEATISSIME Pater, &c. Non ſine vehementi admiratione auribus noſtris noviter nunciatum eſt, operâ & directione quorundam Gallicanæ nationis titulis & honoribus detrahentium jura & privilegia nationi præfatæ, ſuis virtutibus, ſuis clarefactis, magnis quidem periculis magnaque ſanguinis effuſione, à longis temporum curriculis in Religione ac Ordine Beati Iohannis in Ieruſalem Rhodi immenſo caritatis & devotionis ardore laudabiliter acquiſita, ſibíque in virtutis & meritorum præmium præ cæteris nationibus legitimè competentia; in ultimo Religionis præfatæ apud Senas congregato Capitulo adeò Sanctitatis veſtræ declarationibus promulgatis diminuta, & in nihilum ferè redacta fuiſſe, ut ſi hujuſmodi declarationes exſecutioni darentur, Religioni præfatæ ſcandalum atque damnum, nobis quoque & toti nationi noſtræ injuriam & ludibrium meritò parturirent. Sed eo vehementiùs in admirationem ducimur, quòd cum de prædicta celebratione præter ſolitum, nonnullorum ſuggeſtione Senis tunc fienda adviſaremur, & in eadem coloratis eorumdem adinventionibus ſub caritatis velamine, multa in præjudicium nationis præfatæ, & antiquæ obſervationis tractari debere: ne talium aſtutia tenebroſis figmentis rei veritatem offuſcaret, Sanctitati Veſtræ ſcripſimus, nationem ipſam, ſuáque jura obnixiùs recommiſſa faciendo: à qua quidem Sanctitate tunc reſponſionem ſuſcepimus, ſe nil in præjudicium Magiſtri attentare, nec Baillivorum officia quovis modo mutare; ſed ad quandam reformationem laudi & honori Religionis congruentem procedere diſpoſuiſſe.

Quòd autem Sanctitas ipſa ad declarationes præfatas, jura & prærogativas Gallicanæ nationis penitus abſorbentes, & quæ ſoli Gallicanæ debentur nationi, ad uni-

verſas communicantes præter & ultra litterarum ſuarum ſeriem, abſentibus præfatæ nationis Fratribus, nobis ac procuratore noſtro inauditis, ſic feſtinè proceſſerit: non ex mente S. V. ſed potiùs (ut credimus) oblita ſerie litterarum veſtrarum nobis directarum quadam inadvertentiâ, ac impulſionibus & importunitatibus quorundam contigiſſe arbitramur. Quid enim abſurdius, ac nobis dictæque nationi noſtræ vituperabilius accidere potuiſſet, quàm prædeceſſorum noſtrorum tantis ſudoribus, tantíſque laboribus in exteras regiones parta & acquiſita merita, noſtro in tempore nonnullorum conjuratione, ut ita dixerimus, denigrari? Quid præjudicabilius, quàm Coadjutorem Magiſtro tanquam inſufficienti dediſſe, & Baillivorum officia nationi noſtræ duntaxat ſuis meritis deputata mutaſſe; & in ceteras nationes, ac ſi nationis noſtræ Fratres inhabiles forent, propagaſſe? Nec quemquam tam iniquum rerum æſtimatorem fore ambigimus, qui ſi prædicta ſenſerit, Sanctitatem Veſtram, Nos, nationémque noſtram ubi res ſine reparatione ſic abirent, magnis & intolerabilibus injuriis atque damnis affeciſſe nos judicet.

Reſipiant ergo qui talia procurarunt, veſtráque Sanctitas pulſis illorum affectionibus, noſtrum, & nationis noſtræ maximum intereſſe deguſtans, querelam noſtram juſtam & legitimè fundatam ſuarum declarationum revocatione ſopire dignetur; & ſcandalis ac diviſionibus, quæ exinde ſuboriri poſſent, paterna caritate occurrere, & nedum privilegia nationis noſtræ à beatiſſimis prædeceſſoribus veſtris benignè confirmata diminuere velle, ſed etiam tempore noſtro, qui continuis vigiliis unionem Eccleſiæ procuramus, illa curet adaugere. Quòd ſi Sanctitas ipſa fecerit, rem nobis admodum gratam, Religioni ſalubrem efficiet, honoríque ſuo ac juri & juſtitiæ ſubſerviet: ſin aliter (quod vix credere poſſemus) Sanctitas ipſa proponeret, ne noſtri & dictæ nationis honoris, quem maximè cordi gerimus, jacturam patiamur, talia ſilentes per diſſimulationes ſic abire ferre nequiremus, tantam dedecoris labem temporibus noſtris nationi præfatæ &

per consequens nobis irrogari molestè gerentes: sed longè gratius atque acceptius fuerit Sanctitatem ipsam, à qua declarationes ipsæ processisse dicuntur, congruum remedium per revocationem declarationum apposuisse. Super quibus ejusdem Sanctitatis responsionem affectuosè postulamus, & dilecto nostro Magistro Iohanni Pidieu Secretario nostro, quem propterea expresse destinamus, plenariam fidem adhiberi. Sanctitatem Vestram conservet Altissimus, &c.

Scriptum, &c. Turonis.

Ex eodem.

CAROLI VII. REGIS FRANCORUM Summo Pontifici.

Pecunias in suo Regno percipi nisi per deputatos à se viros renuit.

LX. BEATISSIME Pater, Sanctitatis vestræ litteras per Militem egregium PHOEBUM de Lusiniano, & HUGONEM Podecator Legum Doctorem, serenissimi Principis fratris & consanguinei nostri carissimi IOHANNIS Cypri Regis Oratores & Nuntios, ad nos destinatos nuper suscepimus: eorúmque etiam injunctam ex parte Regis ipsius credentiam ad plenum audivimus, per quas quidem litteras, & ipsorum Oratorum relationem, accepimus Infideles eosdem Regi & Insulæ atroces minas intulisse, atque occasionem quærere ipsius Insulæ opprimendæ ac omninò devastandæ, etiam & desolandæ in Regis prædicti detrimentum irreparabile. Adjicientes ulteriùs Oratores illi indulgentiarum subsidium, quod in Regno nostro colligi & levari ex concessione vestræ Sanctitatis ob idipsum deposcebant, absque nostro consensu præfatæ Sanctitati per nos expresse notificato nequaquam concedere voluisse. Nos verò qui ad fidei Christianæ defensionem, & ipsorum infidelium repressionem, ac Regis & Insulæ prædictæ tuitionem pia semper impendia præstari vellemus, etiam ob fidei favorem, vestræ Sanctitatis honorem, & Regis prætacti contemplationem, contenti sumus ipsarum indulgentiarum per vestram Sanctitatem concessarum seu concedendarum emolumentum

mentum

mentum nostro in Regno per deputatos ad hoc levari & percipi. Quod quidem vestræ Beatitudini ad ipsorum Ambaxiatorum instantiam harum serie notificamus. Quoad cetera verò auxilii ferendi hortamenta, nostram super hoc intentionem Oratoribus nostris plenè patefecimus. Sanctitatem vestram tueatur Altissimus ad longissimum regimen Ecclesiæ Dei sanctæ.

Scriptum Bituris 18. Octobris.

CAROLI VII. REGIS FRANC. Eidem.

Ex eodem.

LXI. BEATISSIME Pater, cùm his diebus ad nos venisset venerabilis Doctor Decanus Toletanus Orator & Nuntius vestrę Sanctitatis, ipsum gratè suscepimus, & placidè audivimus; visisque Apostolicis litteris, quas ipse secum detulit, apertè intelleximus singularem confidentiam, quam eadem vestra Sanctitas de nobis gerere dignatur; unde plurimùm regratiamur, parati semper favores & auxilia sanctæ Sedi Apostolicæ & Sanctitati vestræ pro viribus impendere, sicuti hactenus facere studuimus, & ea jugiter agere quæ sunt ad honorem & complacentiam ejusdem vestrę Sanctitatis. Habitis autem pluribus collocutionibus per Consiliarios nostros cum præfato Oratore super materiis pro quibus venerat: tandem visum est omnibus communi sententia necessarium fore, ut Ambassiatores nostros ad præsentiam vestræ Sanctitatis destinaremus, singula quæ huc usque ad pacem Ecclesiæ agitata sunt relaturos, ut per ipsius vestræ Sanctitatis bonam providentiam in finem prosperum & votivos exitus deducantur: qui etiam (sicuti antea disposueramus) devotam & filialem reverentiam & obedientiam vestræ Beatitudini exhibituri essent.

Oratorem Summi Pont. benignè suscepisse, missosque à se nuntiat, quibus fiduciam omnem adhibendam esse affirmat.

Mittimus igitur ex nostris præcipuis Consiliariis & servitoribus dilectissimum, & dilectos ac fideles nostros, Archiepiscopum Remensem, IOHANNEM Comitem Dunensem & de Longavilla consanguineum nostrum, Ele-

ctum confirmatum Ecclesiæ Electensis, Magistros GUIDONEM Bernardi Archidiaconum Turonensem, THOMAM de Courcellis sacræ Theologiæ Professorem, & IACOBUM Cordis Argentarium nostrum. Quibus vestra Beatitudo plenam credentiæ fidem tanquam nobis ipsis exhibere dignetur. Hi enim, ut non necesse sit multa de ipsis dicere, tales sunt qui intima mentis nostræ arcana noverunt, & nobis sunt confidentissimi. Poterítque vestra Sanctitas per eos sicut per quoscumque, quos ad hæc mittere possemus, de omnibus quæ acta sunt, & universa intentione nostra plenissimè informari, necnon & per eosdem intimare nobis cum omni fiducia quæque beneplacita ipsius V.S. quam feliciter conservare dignetur Altissimus ad prosperum regimen Ecclesiæ suæ sanctæ.

Scriptum, &c.

Ex Ms. D. d'Herouval.

CAROLI VII. REGIS FRANC. S. R. E. Cardinalibus.

Oratores suos Summ. Pont. missos cum benevolentia excipiant, rogat.

LXII. CAROLUS, &c. Carissimis & specialissimis amicis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, salutem & sinceram devotionem. Pro nonnullis arduis rebus honorem sanctæ Sedis Apostolicæ & bonum universæ Ecclesiæ concernentibus, mittimus ad præsentiam Beatissimi Patris nostri Summi Pontificis aliquos ex præcipuis Consiliariis & servitoribus nostris, dilectissimum & dilectos ac fideles Archiepiscopum, &c. *ut supra*. Ambassiatores nostros, quos in agendis dirigere & benignis favoribus atque auxiliis sedulò juvare velint amicitiæ vestræ, dicendis per eos plenam credentiæ fidem tamquam nobis ipsis adhibendo. De his enim plenissimam confidentiam gerimus, qui & intima mentis nostræ noverunt, poterúntque vobiscum universa agere, sicut quicumque quos transmitteremus, quinimmo velut nosmet personaliter faceremus.

Datum Turonis XI. mensis Martii.

CAROLI VII. REGIS FRANC. Ex cod. Ms.

NICOLAO Papæ V.

Ut Ecclesiæ Collegiatæ in Baronia de Trrgnello annecti permittat Ecclesias parochiales.

LXIII. BEATISSIME Pater, ac Domine clementissime, humillima semper usque ad pedum oscula beatorum recommendatione præmissâ. Si status bonæ memoriæ domini Eugenii Papæ prædecessoris vestri immediati, ac antiquæ dignitatis sanctæ Sedis Apostolicæ, & post assumptionem vestram prędignissimam ad summum Apostolatûs apicem, honoris suæ Sanctitatis ubilibet observantissimus, posse tenus exstiterim, satis agnoverunt, qui hæc oculata fide viderunt, præsertim reverendissimus in Christo Pater dominus Aquensis Archiepiscopus, ejusdem Sanctitatis Orator & Nuntius. Nec id ad exprobrationem rememoro, Pater sanctissime, sed ut in his quę ad me attinere noverit, vestrę Sanctitatis ingenita clementia exorabilem se præbere velit atque perbenignam.

Est autem in Belgica Campania baronia quædam nuncupata de Treignello hereditario jure mihi pertinens. Quæ siquidem inter ceteras illius patriæ inclytas baronias prioritatis obtinet prærogativam: in hac enim à vetustis temporibus fundata extitit solennis quædam Ecclesia collegiata, cujus reditus & proventus belli Gallici vastitate ad tantam exilitatem, proh dolor! devenêre, ut ex ipsis alimentum tenue vix possint habere Canonici ac Ministri Ecclesiæ sæpefatæ, quamquam inibi minimè intermissus fuerit cultus divinus. Eget præterea, Pater Beatissime, Ecclesia prælibata reparatione non parva, tum propter ejus structuram vetustissimam, proximam minantem ruinam, tum propter belli prædicti diuturnam calamitatem; ad cujus Ecclesiæ debitam instaurationem nullatenus suppeterent ejusdem aut populi ibidem degentis, his malis incommodisque pressi, facultates tenuissimæ. Quare pietatis vestrę paternam providentiam supplex imploro, quatinus hujusmodi desolatæ Ecclesiæ

subveniendo certas parochiales Ecclesias in Baronia prænominata consistentes, debiti obsequii Ecclesiastici propter incolarum penuriam expertes, eidem Ecclesiæ Collegiatæ in perpetuum unire ac annectere, & gratiæ suæ uberiori largitate de thesauro Christi mystico quandam notabilem indulgentiam misericorditer largiri, ac personas reverendorum Patrum dominorum Remensis ac Laudunensis Præsulum, meámque etiam vestræ Beatitudinis obsequiis paratissimam singulariter recommissas suscipere. Et super his prælibatum dominum Aquensem Archiepiscopum audire mansuetè dignetur. Sic enim, Pater Beatissime, Ecclesia illa suum decus pristinum, suámque amissam sustentationem honestam recuperabit, & me servitorem suum perhumilem ad suæ Sanctitatis obsequia beneplacitáque peramplius obligabit: quam Sanctitatem ad Ecclesiæ suæ salubre ministerium dirigat & conservet Altissimus in longævum.

Scriptum Bituris die vigesima tertia Augusti.

Ex cod. Ms.

EIUSDEM,

Carissimo Consanguineo nostro Duci Clevensi.

LXIV. CAROLUS, &c. Carissime Consanguinee. Litteras habuimus iteratas à carissimo Consanguineo nostro Archiepiscopo Coloniensi, quòd licet aliàs vobis scripsissemus vos caritativè & amicabiliter adhortando, rogitandóque ut pro faciliùs sedando bello inter ipsum & vos exorto, & comperienda invicem bona pace, ab illationibus damnorum & aliis expletis* belli adversus eum & ejus Ecclesiam, terram & gentes abstineretis: Nihilominus gravioribus injuriis & molestiis eum & suos lacessere non destitistis, quod nobis in maximam cedit admirationem pariter & displicentiam. Et quia sicut ex suarum tenore litterarum concepimus, vobis obtulit ad omnem rationem super controversiis & querelis vestris hinc inde se fore paratum exhibere &

Gal. * Exploits.

convenire, séque sua de parte nostræ & nostri Consilii ordinationi submittere & acquiescere velle, si pari modo vos id facere velletis. Nos qui ob Dei & Ecclesiæ reverentiam & honorem, ac etiam sanguinis & affinitatis hinc inde vinculum, ad componendam inter vos invicem bonam concordiam libenter operam daremus. Vos iterum attentiùs rogamus quatinus ad hujusmodi pacem intendere velitis, & à pluri lacessitudine adversus eum & suos omninò cessare; de intentione vestra super hoc nos certiorando, ut eam valeamus oportunè ipsi Archiepiscopo notificare. Sciturus quòd attentis confederationibus inter nos & ipsum initis & confectis, si & dum nos de præbendo sibi auxilio & succursu requireret, non possemus hoc commodè sibi negare, nec nos ullatenus excusare. Non igitur omittatis vestram super hoc nobis modò scribere voluntatem. Datum, &c.

CAROLI VII REGIS FRANC. *Ex eod. Ms.*

Carissimo Consanguineo nostro Archiepiscopo Coloniensi.

LXV. CAROLUS, &c. Carissime Consanguinee recepimus litteras vestras credentiales, & audivimus earum credentiam nobis expositam per carum consanguineum nostrum Comitem de Blankhen. Cui super expositis per eum nobis statim respondimus, offerentes in auxilium vestrum quadringentos armigeros & mille ducentos sagittarios, eorum armis bellicosis decenter communitos, vobis obsecuturos per annum, vel saltem per novem vel octo menses, cum stipendiis per mensem pro quolibet armigero quatuor francorum, & pro quolibet sagittario duorum francorum: necnon ultra contemplatione vestri, capitaneis prout per ipsam dictarum gentium certam pecuniæ summam, ut quantocius iter arripuerant, distribui ordinaveramus, consanguineum nostrum poteritis plenius informari. *Milites & pecuniam ipsi præstiturum pollicetur.*

Datum Caynone.

EIVSDEM,

Ex eodem. *Quàm caro ac dilectissimo amico nostro* IOHANNI *Hiongad Vuaynede Transsilvano Themesiensi Comiti, necnon Duci ac Capitaneo generali militiæ exercitûs armorum inclyti Hungarorum Regni.*

Promittit se opem, pace priùs in Regno firmata, laturum.

LXVI. CAROLUS Dei gratiâ Rex Francorum. Carissime ac dilectissime amice, vestræ benivolentiæ litteras per VINCENTIUM de Bala de Bathia Militem, Cancellarium vestrum & Nuntium benignè recepimus, ac ejus credentiâ luculenter explicatâ Regni Hungariæ turbationibus & afflictionibus per inimicos Christi ingruentibus intimè condoluimus, virtutem vestram in ejusdem defensione fideique Christianæ propugnatione laude dignissimam extollentes. Desiderabilius autem quicquam à divina clementia consequi nequiremus, quàm contra orthodoxam Religionem infestantes in finibus regni prædicti, maximè cui naturaliter afficimur, progenitorum nostrorum more nostras & militiæ nostræ vires experiri. Sed proh dolor! si firma pace non sopiatur, finienda breviter cum hostibus nostris antiquis inita treuga, bellum ingruens nos non sinit bellatores nostros alibi divertere. Quapropter non possumus vestris precibus super Regni præfati succursu pro nunc intendere. Si tamen, ut speramus divina favente gratia, pacem cum ipsis nostris hostibus firmemus, fiduciam habete quòd ad Regni prætacti Hungariæ succursum pro viribus intendemus, quemadmodum prælibatus Miles vester & Nuntius super his & aliis nobis intimatis nostram latius intentionem reserabit.

Datum Caynone.



EIVSDEM,

Ex Ms D. d'Herouval.

Carissimis ac dilectissimis amicis nostris DIONYSIO *Cardinali Archiepiscopo Strigoniensi*, LAURENTIO *de Hidrehirara Palatino Hungar.* NICOLAO *de Vuoylak Vuayvoda Transsilvano Comiti*, GEORGIO *de Rosgon Iudici Curiæ Regiæ*, *ac* LANDISLAO *de Garabanno Marchionensi.*

Auxiliares copias promittit, statimatque Regnum pace fruetur.

LXVII. CAROLUS Dei gratiâ Rex Francorum. Carissimi ac dilectissimi amici nostri. Susceptis benivolè per manus VINCENTII Bala de Bathia Militis nobis vestri ex parte directis litteris, ac per ipsum explicatis seriosè, cognitis vestri regni turbationibus & afflictionibus, quas quasi proprias reputamus, meritò compatimur, per vos exhibitam ad ejusdem defensionem & orthodoxæ fidei fulcimentum providentiam quamplurimum collaudantes; optatísque fruemur si disponat divina pietas Regni nostri negotia taliter, quòd ad impendendum inimicorum Christi Regnum vestrum inquietantium impugnationi robur omne nostrum, & nostræ militiæ vires, nostrorum progenitorum inhærendo vestigiis, facultas se offerat. Verùm nondum firma pace data, Regni nostri cunctis mundi nationibus cognita tam diuturna turbatio, pro nunc bellatores nostros non patitur à nostris finibus elongari. Quamobrem quod tam orthodoxæ fidei zelo, quàm singulari qua continuata nostrorum prædecessorum trahimur ad regni vestri prætacti commoditates affectione, dolenter explicamus, non possumus pro præsenti vestris obtemperare precibus. Confidite tamen quòd si pacem firmam habuerimus, prout annuente Dei clementia brevi speramus, ad succursum inclyti Regni vestri prædicti, prout casus exegerit, operam dabimus efficacem, quemadmodum vobis explicare poterit prætactus Miles, cui nostram super hoc latiùs intentionem declarari fecimus.

Datum in oppido S. Martini de Cande.

An. Christi 1450. *Ex eodem.*

CAROLI VII. REGIS FRANC.

Diploma commeatus ARNOLDO *Duci Romam ire cupienti concessum.*

LXVIII. CAROLUS, &c. Vniversis Regibus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Vicecomitibus, Gubernatoribus, Rectoribus, Præsidibus, Potestatibus, Constabulariis, Marescallis, Admiraldis, ac Custodibus & Capitaneis civitatum, villarum, oppidorum, castrorum, portuum, pontium, districtuum, aliorúmque locorum, bellatorum Ducibus & Capitaneis, Vexilliferis, Burgimagistris, Consulibus, Majoribus, Scabinis, Ancianis, Iusticiariis, Officiariis & subditis, amicis confederatis & benivolis nostris, aut eorum loca tenentibus, salutem & complacentiæ similis oblationem. Honestis poscentium precibus annuere congruit. Hinc est quòd nos attendentes pium propositum carissimi ac dilecti consanguinei nostri Arnoldi Guelrensis & Iuliacensis Ducis, qui, ut fertur, pro indulgentia hujus anni Iubilei, favente Deo, assequenda Romam peregrè proficisci dispositus est, & desiderat propter itineris sui prosperitatem nostrarum fulciri præsidio litterarum. Vobis Officiariis & subditis nostris prædictis districtè mandamus: Vos verò amicos confederatos & benivolos nostros attentè rogamus, quatinus præfatum Ducem & consanguineum nostrum unà cum universa familia sua usque ad numerum quinquaginta personarum, aut pauciorum, & totidem equorum, ac bahutis, valisiis, salmis, indumentis, auro, argento, jocalibus in quavis forma aut specie existant; libris Ecclesiasticis aut diversarum scientiarum & artium approbatarum litteris, rebus & bonis suis quibuscumque, per loca prænominata etiam & maritima aut aquatica die noctúque ire, transire, morari, perendinare, redire & reverti liberè, franchè & quietè faciatis & permittatis; non inferentes eisdem aut ipsarum alicui arrestum, disturbium, nocumentum,

tum, damnum, injuriam aut molestiam occasione solutionis vectigalis, telonei, pedagii, dacii, nauli, fundi navis, aut cujusvis alterius tributi, quin immo acta in contrarium debitè reparare studeatis indilatè.

Providentes sibi sumptibus eorum moderatis de salvo conductu, scorta* hospitiis, victualiis, & aliis rebus necessariis. Eosdem juxta statûs & conditionis qualitatem, nostri etiam favore benigniter humanitérque admittentes & tractantes. Tantum inde facientes vos officiarii & subditi nostri quòd de obedientiæ promptitudine apud nos debeatis commendari. Et vos amici confœderati & benivoli nostri quantum velletis pro vobis pariformiter effici. Præsentibus post annum à data præsentium computandum minimè valituris. *Gal. escorte.*

Datum apud Montem Basonis die XXVI. Octobris, anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo, & Regni nostri vicesimo nono. Per Regem: Episcopo Agatensi, domino de Villequier, Iacobo Cordis, & pluribus aliis præsentibus.

THIERRY.

ÆNEAS SILVIUS

An. Christi circiter 1450.

Dilecto HIPPOLYTO *Mediolanensi salutem plurimam dicit.*

LXIX. O VEREBARIS mecum nocte præterita quòd amori operam dares, nec delibatum ac victum animum solvere posses. Dixisti te nec virginem nec nuptam amare, sed viduam quamvis pulchram meretricem cum quibuslibet viris precii causa se substernéntem postergare. Id tibi molestum esse aiebas, libentérque amorem hunc te velle postergare; sed viam modúmque nescire quo fieri liber & amore vacuus posses. Nam etsi plures Sacerdotes consulueris, neminem tamen re- *Contra fornicationem Æneas monita submini-strat.*

media quæ tibi viderentur efficacia protulisse dicebas. Rogasti igitur me magnísque precibus flagitasti, ægritudini tuæ ut aliquam afferam medelam, ac iter ostendere tibi, quo possis ardentis amoris flammàs effugare. Parebo desiderio tuo, salubriáque tibi præbebo remedia, etsi etiam plecti nolueris. Nec verebor medici culpam mihi ascribere, si tu obedientis ægroti personam susceperis; quamvis arbitror quos consuluisti Sacerdotes tibi satisfecisse, si præcepta fecisses quæ tibi illi dederunt; sed tibi visa fuerunt fortasse gravia. Nam cùm dicerent: Fuge illam, nihil sibi loquaris, nihil de ea audias, durum tibi visum est. At febricitans quoque animus invitus audit frigida pocula sibi negari; si tamen sanari vult, quod mandat medicus diligenter observet.

Tu ergo, mi Hippolyte, si vis mortem evadere, libérque fieri, præpara* quæ præcipiam facias. Noscito ægrotum te fore, maximáque infirmitate detentum, & propter sanitatem dura tibi & aspera plurima subeunda. Nempe ægrotus est omnis qui amat, ac nedum ægrotus, sed & mente captus atque insanus & amens, de amore, inquam, illicito. Nam Deum colere, amare parentes, virtutis est non vitii, sanitatísque non ægritudinis. At tu amorem illicitum sequeris. Quid tu esse amorem de quo jam loquimur credis? Veteres putaverunt illum ex Venere Vulcanóque natum puerum alatum, secum sagittas in manibus habentem, quibus viros & mulieres feriens ardorem dilectionis infunderet. Apud Virgilium legimus:

[margin: f. *properè]
[margin: Egloga 8.]

Nunc scio quid sit amor; duris in cotibus illum
Ismarus, aut Rodope, aut extremi Garamentes,
Nec nostri generis puerum, nec sanguinis edunt.

Sed error hic mortalis populi fuit, qui veritatem attingere non potuit. Amor in tragœdiis, inquit Seneca, nihil aliud est, nisi vis quædam magna mentis, blandúsque animi calor, inventâ, gignitur; luxu, otio inter lætæ bona fortunæ nutritur. Hic mentem hominis eripit, judicium omne pervertit, sensum hebetat & animum extinguit, nam cùm mulierem diligis, non in te sed in illa vivis. Quid igitur pejus est quàm viventem non vivere,

[margin: Trag. Octav. Act. 2.]

quàm sensum habentem non sentire, quàm oculo prædi-tum non videre? Hic quidem qui amat in alium mutatur virum, nec loquitur nec facit quæ antea solebat. Hinc Parmeno apud Terentium:

Dii boni quid hoc morbi est adeò homines mutarier *Eunuch. Act. 2. scen. 1.*
Ex amore, ut cognoscas non eumdem esse?

Putat Comicus morbum esse amorem, nec malè putat. Nam & si apud Macrobium luxuria, sive mater amoris vel filia teterrimi morbi partem esse dicit, hic morbus plerumque juvenes aggreditur; sed viros quoque & senes vexat, tantóque periculosior & risu dignior, quantò persona quæ capta est ætate aut scientia censetur præstantior. Cùm ergò Hippolyte captus sis, amoríque servias, scias te morbosum esse: si morbosus es, liberari stude. Nam quis morbum patitur, qui curari non vult. Sanè ut morbus gravior est, acerbior, periculosior. Eo morbo si* *f. *. sit* major de sanitate cura. Tua infirmitas magna est, sic & cura diligentiâ magnâ. Cogita, mi Hippolyte, quo in statu es. Tu nihil æstimas. Quicquid tibi eveniat leve est. Solùm super amica anxius es: non parentes, non necessarios, non benefactores magnifacis; solùm tuus animus in amica est, illam amas, illam promoves, illam somnias, de illa loqueris, de illa suspiras, nihil facis quin memoriam ejus habeas. Si stultitia; amentia, morbúsque teterrimus est, an non est petenda cura? Quis non sanari hoc morbo velit?

Ceterùm ad salutem tuam hæc sunt necessaria, Hippolyte, quæ si feceris sanus eris, si neglexeris, sepelieris in morbo. Cogita primùm quàm remotè à præceptis Dei recessisti, qui deberes Deum ex toto corde diligere, sed creaturam amasti, & in ea totam tuam delectationem & oblectationem posuisti. Sic enim factus es idolorum cultor: nam qui creaturam Deo præponit idolatra est. Negabis te idololatrã esse quasi non præponas Creatori creaturam. At si verum fateri vis, plus etiam amicam diligis quàm Deum. Nam quæ Deus mandat negligis, postergas, contemnis; quæ vult amica summa cum diligentia curas adimplere: & hoc nempe est præferre mulierem

Deo. Heu! quàm magnum est malum, quàm periculosum, quàm detestabile, creaturam sic amare ut Creatotorem parvifacias. Deus cùm non esses & nihil, te aliquid esse fecit, nec te lapidem, nec feram, nec Gentilem, nec Iudæum, sed hominem Christianum te fecit, ut possis scire divina sacramenta, & viam qua itur ad cælum. Ipse quoque Deus ob culpam primi parentis cùm tu & ceteri homines paradisum amisisseris nasci pro te voluit, homo fieri, capi, cædi, vituperari, crucifigi, mori, ac suo te pretioso redimere sanguine. En quàm magna ingratitudo est iniquitas, inhumanitas, feritas, hunc qui tanta pro te fecerit propter vilem relinquere mulierem.

Hoc satis te ceteróѕque Christianos movere deberet, ut omissis illicitis Deo soli serviretis. Sed cogita ulteriùs. Quid agis, Hippolyte? pulchra tibi videtur amica tua, credisne sic semper pulchra erit? Res est forma fugax, ut inquit, Tragœdus. Mulier quæ hodie formosa est, cras difformis erit. Quid tu bona perpetua & immutabilia pro caducis mutabilibúsque permutas? Sit ut putas spectabili forma mulier, leve hoc bonum est, nihil est forma mulieris nisi moribus adjuta. Castitas est quæ feminas laudat, non forma. Tu non castitatem sequeris, formam tantùm amas, forma uti flos agri decidit; rosa mane rubet, sero languescit. Nihil est formosiùs virtute atque honestate; hanc si intueris multò formosior tibi videretur, quàm tua sit amica. Etenim nec lucifer nec hesperus tam decorus est, quàm ipsa facies honestatis; quam qui relinquit propter mulierem, æstima, oro, quàm sit delirus & amens.

Ceterũ ut tecũ non jam multis utar, hæc quam amas mulier non tua sola est, sed quamplures eam habent; nec ipsa te solum amat, sed alios quoque amat. Quid tu in turba vis facere? Cogita te jam esse in vespero, senem jam morti proximum; vísne cum juvenibus contendere? Vis cum robustis pugnare? Quid tibi in illo prælio quæris contendere, in quo victor succumbes? Magna res est virum senem à juvenibus extorquere mulierem. Sis tamen potens ut extorqueas; quid vicisti cùm prælium hujusmodi con-

vincens succumbat. Quid est, oro, mulier nisi juventutis expilatrix, virorum rapina: senum mors, patrimonii devoratrix, honorum pernicies, pabulum diaboli, janua mortis, inferni supplementum. Cogita, Hippolyte, quot mala cùm Salomon, cùm Holofernes, cùm Samson per mulieres decepti sunt. Non te credas sic fortem esse, ut non illudaris; sed quantò tu illis debilior es, incautior, imprudentior, tantò te ab eo loco semove in quo poteris decipi. Nihil est mulieris amor qui cum peccato est. Non est in muliere stabilitas, quæ te nunc amat, cras alium amabit, aut unà tecum amabit alios. Quid tu hunc amorem æstimas, qui in plures divisus est? Nulla mulier tam fixè aliquem amat, quæ veniente novo proco, novísque vel precibus vel muneribus non mutaverit amorem. Mulier est animal imperfectum, varium, fallax, multis morbis passionibúsque subjectum; sine fide, sine timore, sine pietate. De his loquor mulieribus quæ turpes admittunt amores: nunquam hæ stabiles sunt: namque ut à recto tramite semel recesserunt, jam se liberas arbitrantur, ut quocumque velint vagentur; nec ampliùs vel mariti vel amici timorem habent.

Credo equidem illam coëundi fœtidam voluptatem tibi, qui senio exhaustus es, placere parum. Quid nedum tibi antiquo & arido, sed juveni humecto illa mœsta & spurcida voluptas conferre potest, quam mox pænitudo consequitur? An non magna res est admonitio quædam, quæ post peccatum è vestigio statim hominis mentem cruciat? Quàm iniquus est homo qui totiens admonitus non quiescit, qui penitùs non emendatur, qui correctus non efficitur melior. Quid ille actus carnalis operatur, nisi carnis interitum? utinam solam carnem interimeret & non occideret animam. At duo insimul cum uno coëunt vir atque femina, quasi duo vasa testea mihi videntur, quæ inter se confricentur donec rumpantur, & ad nihilum redigantur.

Tu tamen non in coïtu forsan, sed in visu & sermone oblectaris. Quid obsecro in visu est tam pulchrum ut non invenias aliud pulchrius? Pulchritudo quam debemus

quærere in cælis est, cui nulla potest res mundana comparari; in illis omnis perfectio mundana semper diminuta est: illa perpetua, hæc caduca; illa fixa, hæc fluxa. Hanc quam tu miraris formam paululum quid febris eripiet; at si morbus abfuerit, senectus non deerit quæ illam teneram succíque plenam, faciémque rugosam crispámque reddet. Fient illa quæ nunc miraris membra decursu temporis arida, nigra, fœtore & spurcitia plena: non oculi splendorem servabunt; fœtebit os, collum curvabitur, corpus undique sicco trunco fiet simile. Cogita hæc & averte priusquam fugæ spem posueris. Melius enim est rem contemnere quàm perdere.

Iam verò de sermone suavi, dulci ac placido & mellifluo, quo te dicis oblectari, admodum mireris. Quid enim sermo mulieris in se dulce habet? Quid tibi dicet amica? Nempe aut queritur, aut plorat, aut minatur, aut munera postulat, aut tibi inanes fabulas refert. Dicit quid cum vicina fecerit, quid somniaverit, quot ova gallina peperit, quibus floribus serta componantur. Omnis sermo mulieris de re vana & levi est, in quo qui oblectatur, & ipsum levem esse oportet. Narrat tibi nonnunquam quo pacto cum alio amatore jacuerit, quid doni receperit, quam cœnam habuerit, quibus voluptatibus usa fuerit; quæ res non gaudium sed cruciatum afferunt. Sed accipe quæ velis gaudia in sermone amicæ, erísne tam amens rationéque inops, ut non magis in alicujus viri docti verbis sermonibúsque læteris? Resume omnia simul quæ in amore sunt gaudia; rursus quæ tædia, multa ista, pauca illa reperies, verámque sententiam dices illius, qui parum mellis in multo felle mersum inquit amorem esse.

Cùm ergo, Hippolyte, totus amor de quo loquimur vanus, asper, amarus, damnosúsque sit, & hominem morbo sævissimo teneat, curandum est ut ab eo libereris. Cura autem hæc est, ut menti tuæ persuadeas malum esse amorem: post hæc declines amicæ sermonem, otium fugias, in negotio semper sis: viros bonos qui te instruant sequaris: nulli ludo, nulli convivio intersis. Si quid largi-

ta est amica abs te abjicias, nihil penes te sit quod illius fuerit. Sint in memoria Christi beneficia quæ tibi impendit; cogita quot benefacienti præmia in cælestibus, & quot malefacienti supplicia apud inferos præparata sint. Cogita dies tuos assiduè fieri breviores, instaréque semper ultimum. Cogita quia irrisui est qui amat præsertim vir ævo maturo. Cogita instabilem mulieris animum: cogita dissipationem temporis, qua nihil est perniciosius: cogita perditionem bonorum: cogita vitam qua vivis brevissimam in hoc sæculo, quamvis voluptatibus deditam, & in altero mundo quem inquirimus nullum esse vitæ finem. Hæc si sedulò cogitaveris, præceptáque ista tenueris, amorem quo cruciaris à te brevi tempore relegabis, virúmque alium te præstabis Deo gratum, cælóque dignum. Vale. Hæc habui tecum quæ nunc raptim contra amorem dicerem, aliàs ubi otium fuerit pluribus te admonebo. Iterum vale. Quod tibi damno est averte re stude.

PII PAPÆ II.

Carissimo in Christo filio nostro CAROLO *Francorum Regi illustri.*

An. Christi 1458. die 13. Octob. Ex authentico Domini d'Herouval.

LXX. CARISSME in Christo fili salutem & Apostolicam benedictionem. Intelleximus dilectum filium Guillermum de Torreta votum emisisse societatem sub vocabulo IESU nuncupatam, ad Dei honorem, & infidelium oppugnationem noviter institutã ingrediendi, & in ea una cum aliis pro defensione fidei Christianæ contra Turchos persistere velle. Verùm cùm is impræsentiarum in civitate Astensi in tuis servitiis permanere asseratur, & votum suum hujusmodi ac desiderium adimplere nequeat nisi tuæ Seren. licentiã obtineat. Exhortamur idcircò Celtudinem tuã ac rogamus, ut tu, qui Christianissimum nomen à proavis & prædecessoribus tuis clarissimis Regibus per longissimam temporum seriem ductum amplioribus tuis virtutibus roborasti, in hac pia causa non defi-

cias, & præfato Guillermo, quem propter suas eximias virtutes ac merita promotorem dictæ Societatis deputavimus, liberam licentiam concedere placeat, ut cum bona gratia tuæ Sublimitatis recedere, & ad serviendum præfatæ Societati accedere valeat. In quo rem Deo imprimis acceptam, fidei utilem & necessariam, & honori tuæ Regiæ Amplitudinis convenientem efficies.

Datum Mantuæ sub annulo Piscatoris die decima tertia Octobris, millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, Pontificatûs verò nostri anno secundo.

MARCELLUS.

An. Christi 1461.

PII PAPÆ II. EPISTOLA


Missa Episcopo Atrebatensi Apostolicæ Sedis Legato.

LXXI. VENERABILIS Frater salutem & Apostolicam benedictionem. Veniens ad nos proximis diebus dilectus filius PROSPER de Cumulio Orator Ducalis, multa nobis exposuit quæ jocunda cordi nostro fuerunt. Rediit enim proximè ex Galliis, ubi cum carissimo in Christo filio LUDOVICO illustri Francorum Rege familiariter est conversatus. Fuit secum cum in minoribus ageret, fuit & postquam in regnum paternum successit. Minutatim de Serenitate sua voluimus cuncta audire, ipse libentissimè omnia retulit. Memorat Celsitudinem suam esse justi & honesti cultricem, devotionem plurimam ad Romanam Ecclesiam gerere, de nobis quoque eum filii caritate sentire & loqui, in omnibus dictis & factis Catholici Principis documentum præstare. Magnum hoc duximus donum, magnum lucrum Apostolicæ Sedis, quæ veræ religionis cultores in tam præclaro Regno posuerit, ut nota nobis hæc fierent. Misit ad nos eundem Prosperum dilectus filius nobilis vir FRANCISCUS Forcia Mediolanensis Dux, pariter & ipse ejus Regis benivo-

benivolentia gaudens. Non dubitamus, bonam mentem suam continua exhortatione augebis, implebísque veri Prælati officium.

Nos ideò hæc ad te scribimus ut spem & consolationem nostram cognoscas, sciásque cœpisse nos mirum in modum suam Serenitatem diligere velle. Quem in omnibus quæ sine offensione Dei poterimus præ ceteris Regibus amplectemur, & appositis gratiis exaltabimus; sperantes eodem erga nos animo ipsum quoque semper futurum. Quam nostram mentem volumus Celsitudini suæ crebrò inculces. Exultavi autem his diebus litteris tuis, quas de intentione sua ad tollendum pragmaticam miseras. Eidem propria manu litteras dedimus, quarum exemplum credimus ad te pervenisse. Itaque hortamur ut omnium quæ diximus frequentem illi memoriam facias. Sunt enim vero corde cogitata & scripta, & in se continent quod non minus ad gloriam suam, quàm ad desiderium nostrum pertineat. Audivimus Cancellarios nonnullos istuc ex regno Neapolitano venisse, à turbulentis quibusdam transmissos: eorum consuetudinem nosti, mendaces sunt & dolosi, semper ad incendendos animos parati. Si aures habebunt nitentur persuadere quamplura quæ forsitan credita non invenientur ita esse ut dicent. Ei rei diligenter intende, & Regiam Celsitudinem doce quales hi homines sunt, & quàm à se repellendi.

Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die undecima Novembris, anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo primo, Pontificatûs nostri anno quarto.



An Christi 1468.

vulgò * Geofroy.

IOHANNIS GOFREDI*

S. R. E. CARDINALIS ORATIO.

Harenga facta per Reverendissimum Cardinalem Albiensem in Ecclesia Parisiensi anno 1468. qua die Cardinalatûs dignitatem recepit dominus Cardinalis Andegavensis.*

* Iohannes Baluë.

LXXII. SATIS, ut opinor, ex litteris quæ recitatæ sunt vobis apertum est (Reverendi Patres, Principes excellentissimi, viri doctrina & dignitate fulgentes) quàm ardenti studio & exquisitis honoribus Pontifex Maximus Maximo Regum omnium LUDOVICO Regi nostro indulsit, favítque voluntati ipsius & gloriæ. Nam cùm in Ecclesiastica hierarchia tantùm sit Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus auctoritatis, quantum noster (ut Canon. Omnis. XXXVIII. distinctione loquitur) magnus Dionysius Seraphicis spiritibus, qui rubras flammas effundunt, asserit in cælesti hierarchia esse tributum; atque tantum prærogativæ, quantum Moyses detulit Cherub quæ Arcæ fœderis affixit lege qua possent communem sculptilium legem contemnere: denique tantum amplitudinis quantum Ezechiel Levitis porrigit, qui Summo Sacerdoti sunt assessores, atque in parte interiori templi versantur; intelligere profectò licet maximi fieri à Patre omnium Christianorum Christianissimum Regem nostrum, cujus precibus & testimonio splendorem Cardinalatûs ignoto alioquin huic Reverendissimo domino Andegavensi porrexit. Haud secus enim quàm tertii Regum capitulo 7. Salomoni à Rege Tyri datus est Hiram artifex plenus intelligentiâ ad omne opus. Immo verò ut ipse Salomon, quò templum maxima venustate fulciret, voluit editioribus columnis earúmque capitellis imprimi lilium; sic non vulgaris, neque humilis, neque insuavis est erga Regem nomen dignitatis, ac benivolentiæ san-

ctissimi Pauli Papæ II. significatio, dum Reverendissimum hunc Patrem Cardinalatu, altissimísque columnis ac totius Ecclesiæ sublimioribus coaptavit atque inauguravit; vel eo solo quòd Rex, qui liliferi Regni personam sustinet, & Aula tota illi testimonium summæ prudentiæ fideíque dederunt.

Nam quamvis isti Patri tantum laudis impartior, quantum vigilantissimo viro & sapientissimo homini & callenti usu rerum multarum debetur; quamvis ipsi non adimo scientiam, non illam sophisticam atque volatilem, sed quæ bonis litteris erudita prudentiâ magnâ condîtur; quamvis & facilè concesserim, quod Romam secum profectus vidi, ingenium ad cuncta versatile, miram sollicitudinem, summam sollertiam: hæc tamen omnia communia, fortè in multis aliis sæpè jactata non suffecissent. Totum hoc culmen honoris sibi vindicat noster Rex, Regum omnium primus, cujus religioni, sapientiæ, fidei, Christi Vicarius divinam suam auctoritatem non dubitavit adjungere, dum istius quem cernitis capitello lilium sculpsit atque impressit. In quo tamen profectò vix tam peperit Rex huic Rever. Patri hoc honestamentum honoris, quàm iter aperuit ceteris honorum acquirendorũ. Iam nempe id verum constat, quod Apius in carminibus scripsit: Vnumquemque fabrum esse suæ fortunæ: dum vident homines hunc Reverendissimum Patrem non desidem obtorpuisse, non inertem timuisse adscendere, ne fortè rueret, instar eorum qui semper jacent, sed generoso animo præscripsisse cunctis exemplum, quo labor Herculeus Acheronta perfringit; quo *egestatem operatur* Prov.10. 4. *manus remissa: manus autem fortium*, ut ait Salomon, *parat divitias*: atque Quintiliano auctore: Qui ad summa nituntur, in cacumina vadunt.

Iam rursus ad dignitates rectus adscensus apertus est, quò Ecclesiastici viri condiscant altrici Ecclesiarum Sedi Romanæ non contumaces fore, sed supplices, dum intuentur quanta severitate ipsa insolentiam aliquorum perstrinxit: contrà verò quanta liberalitate, indulgentiâ, celeritate fidem & studia ipsius reverendissimi Patris

erga se, ad eum qui honorum Ecclesiæ finis est speciosissimum cardinalatûs & altissimum gradum provexit. Ipsa enim est ipsa Sedes Romana, quę illud Proverbiorum
Prov. 8. 17. octavo clamitat: *Ego diligentes me diligo. Mecum sunt di-*
Ibid. 20. *vitiæ & gloria, & opes superbæ. In viis justitiæ ambulo, ut diligentes me ditem, & thesauros eorum repleam.* Denique jam palam est, quod in Proverbiis Salomon ait: Quo
Prov. 14. 35. pacto *Acceptus est Regi minister intelligens.* Et quo modo *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum Regem.* Atque quantopere Regius honor judicium diligit, dum cuncti cernunt sic honorari, quem Rex voluit honorare. Neque injuriâ.
Prov. 21. 1. Si enim vel divinis oraculis & lege civili testatum est: *Cor Regis est in manu Domini; & quocumque voluerit inclinabit illud*: nemini certè sine afflatu quodam divini numinis Rex cuiquam diu magnos favores adspirat.

Quanta sit Regia dignitas.

Sic se res habet, Patres & Principes, divinam quamdam vim, divinam dignitatem, divinam quamdam religionem possidet Regius honor. Nam & ille, quem Cicero nuncupat Deum Philosophorum Plato in legibus ait, naturâ fieri quòd Rex virtute sit universitas: ut durus videretur Deus ac ferreus, si non Regibus peculiari curâ prospiceret, dirigendísque Regum animis inflammato benivolentiæ studio non raperetur. Illud præterea ingenii cæleste fulmen Augustinus in libro Quæstionum veteris ac novi Testamenti: Rex, inquit, quisque etiam gentilis præ se fert imaginem Dei, sicut & Episcopus Christi. Estque in Regibus ordo secretior, cujus merito etiam idololatræ Reges resplenduerunt, cùm Pharao futuram famem prævideritː Nabuchodonosor, ceteris non videntibus, vidit Filium Dei intra caminum ignis ardentis: Salomon quamquam aberrans infusam priùs sapientiam sibi retinuit, non suo quidem sed regalis ordinis merito. Quòd si Regius ordo etiam Gentiles atque idololatras divinitatis quadam lucidissima luce collustrat: quid est quòd ab Antistite sacrorum impetrare non debuerit Rex religione Christianissimus, Rex solus quem cælestis liquor sacravit, Rex indole optimus Ludovicus, cælo simillimus Princeps?

*In append. Tom. 4. 35. sensum potiùs quàm verba refert Auctor. * Lib. iste falsò tribuitur Augustino.*

Equidem, Inclyti Principes, non ſum neſcius homines in theatris ita de quacumque re & ſentire & loqui, ut ipſorum ſimultas atque factio fertur. Atqui ſi invidi putant huic Reverendiſſimo Patri eò dignitatis florem digniſſimum potuiſſe pertingere, quò non ſuapte virtute, ſed Regis precibus & commendatione aſcenderit: oſtendam tanto præclariùs ipſum evectum, quanto veluti luce adjuncta luci, ſuffragatio, indulgentia, gratia regia divinæ auctoritati Summi Pontificis ad dignitatem iſtius Patris acceſſit. *Quomodò*, inquit Salomon, *probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum: ſic probatur homo ore laudantium.* Et quæ magnificentior vel præclarior laus eâ, quæ proficiſcitur à laudatiſſimo Rege? Ea ſiquidem eſt, (ut Ariſtippus Diogeni ſuccenſet) non ſolùm laus maxima, ſed mater omnium virtutum poſſe & bene ſcire Regibus uti. Cur ita? Quia ut Plato ſcribit ad Hieronem, unica tantùm eſt virtus, quam ſtabilitatem animi nuncupat. Nam reliquæ illæ, quæ dicuntur virtutes, non ſunt virtutes, ſed ornamenta iſtius. Atqui ut montium vertices variis ventis circumflari videmus, iſthícque arbores altas atque robuſtas evelli ſtirpitùs: ſic aulæ Regum pariunt diſſenſionum procellas aſperrimas, quas perferre diu non poteſt, niſi vir fortis ac propoſiti tenax. Quo pacto? Quia (ut Cicero in Verrem oratione quinta « dixit) videmus quanto in odio apud quoſdam nobiles ho- « mines ſit novorum hominum virtus & induſtria. Si tan- « tulùm oculos dejecerimus, præſto eſſe inſidias: Si locum « aperuerimus ſuſpicioni vel crimini, accipiendũ eſſe ſtatim « vulnus: eſſe nobis ſemper vigilandum, ſemper laboran- « dum: inimicitiæ oportet ſubeantur, pericula ſuſcipian- « tur. Etenim tacitæ magis & occultæ inimicitiæ vitandæ « ſunt, quàm indictæ & apertæ. Non hominum nobilium « ferè quiſquam induſtriæ novorum favet: nullis officiis « allicere illorũ benivolentiam poſſunt quaſi natura & ge- « nere disjuncti ſint, ita diſſident à novis hominibus animo « & voluntate. Quare quid non habent inimicitiæ in aula « Regum periculi, cùm amicos jam habiturus ſis inimicos « & invidos, antequam ullas inimicitias ſuſceperis? «

Hiccine igitur Reverendissimus Pater dominus Andegavensis vobis videtur constans & fortis, qui suapte virtute totius aulæ vicit invidiam, & velut arbor in immensum succrevit magis semper & floruit? Quo uno quid mirabilius? Non Charybdim tam infestam nec Scyllam navibus Cicero putat, quàm aulæ Regiæ motus. Habet nempe, ut Quintilianus loquitur, natura animi sublime aliquid & impatiens superioris. Ex quo etiam inter Angelos, ut Hieronymus ait, regnavit invidia. Livius quoque ob id Scipionem etiam à Catone allatrari solitum refert. Ipse quoque Plato Græcorum sapientissimus in aula Dionysii Regis Syracusani: Callisthenes quoque in aula Regis Alexandri Magni: Demetrius Philosophus nobilis sub Phalereo Demetrio Regiæ aulæ pericula non effugerunt, cùm alter bonis excussus, alter ab Alexandro Rege occisus, tertius aspide admota corpori necatus sit. Hiccine ergo Reverendissimus Pater vigilans vobis fuisse videtur ac temperatus, qui velut Vlysses Calypsonis atque Circes præcepto tot annis inter fumum & flammam navem rectè adegit?

Adde quod prudentiam spectat, cùm tot sint latebræ in animis hominum, támque alti recessus, cùm aulam sæpe immergit et obfucata malitia, fallax, condîta artificio simulationis: cùm velut maximum mare, fretum aut euripum nunquam quiescere, sed semper agitari cernamus regias aulas: cùm totam aulæ de homine opinionem parva nonnunquam commutet aura rumoris. Nonne necessitas est ut prudentissimus sit, turbari qui nesciat, & tot variis rebus induci in laqueum? Ita profectò. Magnáque & admirabilis laus prudentiæ ornat hunc Reverendissimum Patrem, qui semper gratior Regi non retinuit solùm sed auxit in tam variis rebus auctoritatem.

f. * ars — Sed hæc quoque pars* justitiæ specimen flagitat. Astutum, inquit Comicus, versutum, callidum hominem aula deposcit, qui vultum è vultu comparet, bonus sit bonis, malus sit malis, harpaget pluribus, utcumque res sunt, ita animum habeat, multa simulabit invitus, & dissimulabit cum dolore, placebit multis simul & Regi.

Plautus.

Quæro quæ justitia libratior existimabitur inter eos, qui sibi fortè parum consentiunt, cùm alter alteri diversa dicat, quàm ut statuas vel dicas aliquid, quod utrique partium prosit aut placeat, & non in mendacio vel cupiditate nocendi deprehendaris, tibíque retineas famam justitiæ, atque istius virtutis inter tot ignes viriditatem? Siquidem ex icotibus* argumentabimur. *Vidisti*, inquit Scriptura, *virum velocem in opere suo: coram Regibus stabit. Vnguento*, inquit Salomon, *& variis odoribus delectatur cor; & bonis amici consiliis anima dulcoratur.* Quapropter magni consilii sit, magnæ diligentiæ, magnæ justitiæ, admirabilis temperantiæ, divinæ constantiæ & fortitudinis, quisquis Regibus assidet primus vel inter primos. Nam & jure Gentium stabilita Regia dignitas non allicitur repugnante Minervâ. Atque (ut Cicero pro Lege Manilia dixit) Regale omnibus gentibus nomen magnum & sanctum esse videtur.

* A verisimili.
Prov. 22. 29.
Prov. 27. 9.

Debuit igitur futurus Cardinalis, locandúsque inter Ecclesiæ Principes, antea in aula Regis, veluti aurum igne purgatum, liberatus existimationis metu, defunctus honoribus, designatus Consiliarius, tamquam in palæstra rerum variarum formari, indéque detrahi; quia ita ad consulendum Ecclesiæ quisque rectè movetur, ut est experimento rerum variarum antè formatus. Id nempe video in more Sedis Romanæ positum, non modò nostræ ætatis, verùm etiam superioris instituto servatum, ut Cardinales arcesserentur qui videbantur in aula Regum florere. Nam ut omittam Reverendissimum dominum Constantiensem, Consiliarium Caroli VII. Vt illum magni nominis Cardinalem Ambianensem prætermittam, qui omnia pro nutu atque renutu sub Carolo V. moderabatur: Vt sileam VRBANUM V. atque Clementem VI. arcessitos ex consilio Regum nostrorum, evectósque ad fastigium Cardinalatûs. INNOCENTIUS IV. ex primo Consilio primi FREDERICI Imperatoris hanc dignitatem conscendit. CALIXTUS etiam nostri temporis optimus Pontifex quam habuit laudem, quæ ipsum ad Cardinalatûs culmen extolleret? Itidem Pontifex PIUS pro-

Errat Auctor. Etenim Vrbanus V. nunquam fuit Cardinalis.

Hic deest nonnihil.

vectus est in Consilio ALFONSI Regis Aragonum ac FREDERICI nunc imperantis. Neque id mirum: tanti nempe est elucere in Consilio cujusquam Regis, quanti lex sacra æstimat Ioseph Consiliarium Regis Ægypti; aut Danielem Regis Balthasar; aut leges civiles Silentiarios: Denique quanti vetustas, quæ Promethæum Diis consecravit, veluti Iovis Cretensis Regis Consiliarium, & Tiresiam Apollinis, Solonem Crœsi, & Homericum Phœnicem Achillis, aut Æneæ Virgilianum Achatem, aut Mæcenatem Octaviani, aut illum, quem Aristoteles in Politicis optandum docet, Nestorem Agamemnonis Consiliarium.

Quis est hic Nestor? Me certè stimulat Regis Regum Agamemnonis, & invictissimi Regis nostri LUDOVICI similitudo, atque divina laus, quæ me ad se rapit velut flumen, quod occurrenti fossæ infunditur. Iste est Nestor, *cujus lingua placabilis*, ut Scriptura loquitur, *lignum vitæ* victoriámque Græcis peperit, dum Achillis avertit violentum furorem. Iste est cujus consilio non Diomedem, non Ajacem, non Achillem, sed multimodi pectoris virum Vlyssem Rex Agamemnon sentit ac prædicat finitorem bellorum istius suasionibus. Ipse Rex Agamemnon omnium Græcorum sine controversia Princeps, Achillis sibi subditi mollivit iras donis & precibus, cùm illum posset & coërcere armis, & comprimere robore militum ac multitudine. Sic nempe ut apis Sicula* scripsit, Nestor Agamemnoni persuadebat, sic hortabatur: Non tibi Achillem vincere, sed Troïam delere studium sit.

Prov 15.4.

* Id est Homerus.

O Rex Agamemnon, túne teipsum ferro attinges? Túne Græcorum exercitui subsidia belli Achillem; túne robur tuum tibi eripies? Tuámne vim & manus tibi ligabis? Civitatúmne deprædatorem Achillem, castrum infrangibilis defensionis à Græcis abjicies? Vtrum pulchrius vincere putas vel verbo, vel vi: cùm illud proprium Deorum & hominum sit; istud verò sibi belluæ arrogent, à quibus constat homines robore ac celeritate vinci? Victor victorum eluces, si animum potiùs viceris, quàm animus

animus te. Non in omnia in quæ poteris impetum facias, sed in id quod principaliter est expugnandum : pars tui exercitûs, pars tui roboris Achilles est. Tuum est, ô Rex, dum ista Trojanorum tempestate jactamur & fluctibus, allicere tuorum Procerum voluntates alienas, partas retinere, placare turbatas. Hoc miror, hoc queror quemquam hominum Regi persuadere, ut navim perforet in qua ipse naviget. Navis est Regnum Græcorum, ô Rex Agamemnon, in qua tu proreta & gubernator. Navem si dimittis, neque tu neque Achilles eam habebitis, cùm tota sit interitura qualibet divisione. Hæc Nestor Agamemnoni. Dicite obsecro, Principes, putatísne fuisse divo LUDOVICO Regi nostro in divinis suis Consiliis aliquem Nestorem? Putatísne ipsum memorem fuisse dicti, quo sapiens: *Melior*, inquit, *est patiens viro forti* : *& qui dominatur animo suo*, *expugnatore urbium. Melius est humiliari cum mitibus*, *quàm dividere spolia cum superbis.* Prov. 16. 32. Ibid. 19. Quippe qui scitus & moderatissimus Princeps ex periculis plurimis & insidiis non ad gloriam inanem, sed ad sui regni salutem reservatum se sciens, omnium consiliorum suorum rationes ad utilitatem regni sui convertit.

Duo quidem lumina & ornamenta Regni Francorum, Duces Burgundiæ atque Britanniæ falsis suspicionibus incitati, ut filii à parentibus sæpe dissentiunt, secedere à suo Rege videbantur : undique bella fremebant*. f.* fervebant. Illis teterrimis bellorum principiis, cùm quid tanti Principes sentirent nesciretur, objecit magnanimus Rex tres exercitus durissima fronte collectos, & qui cælum ipsum poterant irrumpere : sed, ô dulce invicti Principis ingenium! ô sapientiam divinam optimi maximi Regis, qui hominum utrimque suorum cædem in societatem, furorem belli in fœdus arctissimum, altercationem irarum in benevolentiæ certamen ita convertit, ut quomodo Hectoris & Ajacis post acerrimum conflictum, aut David Ionathæ; sic Regis & bellicosissimi Burgundionum Ducis anima animæ conglutinata cernatur. Nam Brittonum Ducem cùm exercitus Regius illius terras & munitissi-

mas arces vi irrupiſſet, cùm poſſet omnia, tam molli articulo tractavit Rex ſapientiſſimus, ut inter ipſos non hoſtilem contentionem, ſed familiare diſſidium diceres incidiſſe. Cognoſcite Francorum populi, cognoſcite Regem memorem veſtri, oblitum ſui. Ecce enim Rex LUDOVICUS idem ipſe, qui (velut veteres ſcribunt) Delphinem ſuper tergum Arionem quemdam per medios maris fluctus tuliſſe, in obſidione Pontiſaræ caſtra paterna puer tutatus eſt. Iſte, qui ocior fulminis alis, erumpentem conſpirationem periculoſam in Aquitania armis, aſtu, celeritate prorſus obtrivit. Iſte, qui tunc formidatos omnibus gentibus Anglicos pone oppidum Diepes, cum militum numero, & arce inexpugnabili cuncta contemnerent, irrupit, vicit, occidit, patríque peperit armorum felicitatem. Iſte inſuper, qui Helvetios & Suiceros à tempore Cæſaris ſemper victores prope Baſileam fudit & vicit. Denique iſte idem Ludovicus eſt, qui ſupergreſſus ceteros Franciæ Reges, ereptos ab Hiſpanis & Celtiberis Galliæ fines Perpinianum munitiſſimam urbem, Empurias, Roſſilionem, & ferè trecentas arces, juga Pyrenei montis, ut olim Cyrus Medos regno Perſarum, regno Francorum armis reſtituit.

Numquid ergo nunc ipſi magnitudinem animi, conſilium, potentiam, exercitationem bellicæ artis defuiſſe putatis? Minimè. At illam ipſam vehementem aciem, quam ſibi tunc & tempus, & pater, & regni dignitas impoſuit, nunc certè regia dignitas & ſanguinis ſui dulcedo, & Neſtoris ſui conſilium ſacrum detraxit. Quid ita? Profectò quia divinus Homerus Regem paſtorem populorum appellat. Plato verò in politia ſcribit divinitus, bonum paſtorem & medicum non quod ſe delectet inquirere, ſed quod gregi proſit vel ægrotanti. Et Cæſar quidem tametſi furens in arma niſi ſanguine fuſo nullas gaudebat vias habere; aliam tamen perſonam adverſus externos hoſtes, aliam bello civili ſumpſit. Nam & in Pharſalica pugna illacrymavit, & cùm ad amicos ſcriberet, nullam mentionem fecit tantæ victoriæ. Sic nempe in una epiſtolarum* ſuarũ loquitur: Non eſt ingenii mei, Bruti injurias

Lucanus.

* Suppoſititia hæc epiſtola Cai Cæſa. de Bruto.

meminisse in nostros cives: quas ego si ulcisci possem, tamen oblivisci mallem. Alio transferenda arma mea: donis qui sanari non potuerunt, bellum geram cum tumidis, amicis ignoscam, proditores vix vindicabo.

Videte igitur, Patres & Principes, ut in illo Salomonis judicio, cùm inter duas mulieres disceptaretur, commota sunt viscera matris, quæ malebat etiam alteri dare infantem integrum, quàm dissipari. Videte verissimi Regis sacros instinctus, qui florens opibus, viribus insuperabilis, maluit animi & voluntatis suæ flexu retinere subditorum pacem, salutem, otium, bona, fortunas, quàm periculosæ aleæ tractare opus, qui utcumque victor suas vires proprias attrivisset, suum robur dissipavisset. Videte, ut spretâ interdum gloriâ, cumulatior redit. Atque ut, Salomone auctore, humilem suscipiet gloria. Quod enim victoriæ genus Regi accidere potuisse putatis illustrius, quàm exercitus hostiles, cùm opibus, armis, viribus plurimùm possent, sibi adjungere? adjunxit; illis præesse? præfuit; imperare eisdem? imperavit; quorum Dux studet nunc Regi tanto ardentiùs, quanto ferociùs antea visus est diffidere. Iactent Romani suos Reges, Duces, Imperatores. Iactent & Græci, si libet. Epaminondas quidem docuit, ut in navigando cedere tempestati esset summæ artis ac sapientiæ, si modò navem ad portum tutum deducas: sic feliciorem atque illustriorem esse victoriam, illam si flexu animi & ingenio pares, quàm cruore vel ferro. Illam præterea Trojanam victoriam Minerva peperit; tutor verò Trojanorum Mars violentus illi concessit; plurísque fuit ligneus equus, quàm secures & enses. Omnium Ducum profectò præcellentissimus, atque flos illibatus victoris gentium Romani populi Scipio sanxit: nullum victoriæ genus altius & dignius, quàm ut res ad id quod velis efficere perveniat; aut eò deducere hostem, ut tuus sit; atque ut illi quasi non invito quod velis extorqueas. Qua ratione adductus Scipio ipse speciosissimum sibi victoriæ culmen putavit, vincere Celtiberos muneribus & donis & temperantiâ, non cruore & ferro. Laudat Livius Latinum Regem, quòd contra

Æneam Trojanorum ducem cùm armatus progrederetur, aciésque struxisset, ad Æneam tamen hostem suum processit; cujus admiratus nobilitatem, maluit advenas sibi conciliare donis, fœdere, affinitate, eosdémque facere Latinos & sibi subditos, quàm victoriâ vincere plenâ discriminis.

Si mansuetudo & sapientia illius Regis in advenas laudatur: quid Ludovico Rege divinius, qui Principes, quos communis sanguis, quos Regiæ domûs dignitas, quos amor Franciæ dulcissimus abstractos non revocabat, patientiâ suâ lenivit, & lingua molli fregit durissimam dissensionem. Laudatur Romulus, qui inter acies dimicantes cùm esset longè superior, Melium* Ducem Sabinorum allicere quàm vincere maluit, nec pacem modò sed civitatem unam ex duabus effecit, Regnum consociavit, Imperium contulit: ita (inquit Livius) geminata urbe, ut non modò commune, sed consors etiam regnum Principibus duobus fieret; quo fœdere factus est Romanus populus domitor orbis. Mitto Menenium Agrippam, qui Porsenæ hosti Romanorum, ut hospes ex hoste fieret, partem agri Romani contulit: idque illius Plutarchus ad summam gloriam trahit. Si in exteros illius viri prudentia & liberalitas laudibus in cælum fertur, cur non Ludovici Regis in suos; quando, Salomone auctore, *Munus absconditum extinguit iras; & donum in sinu indignationem maximam.* Quando ut vidimus, tumentes nostra dissensione Britanni* quâ solâ fortes sunt, erexerant animos, struxerant classem infaustam, quam sapientia Regis nostri repressit. Quando præterea Turcus orbis archipirata omnia vexat, omnibus imminet. At testimonio Caii Cæ-„saris, Totius Galliæ consensui ne orbis quidem terrarum „possit obsistere. Denique si bene Ennius Quintum Fabium & Maximum nuncupat & laudat his versibus:

Vnus enim nobis cunctando restituit rem;
Non ponebat enim rumores ante salutem.

Nónne vobis videtur Rex noster Ludovicus eo sublimior, quo auram vulgi contemnens, non inanem rumorem est aucupatus, non falsæ laudis & gloriæ umbras est

f. * Tatium

Prov. 21. 14.

Id est. * Angli.

Verba sunt Vercingetorigis apud Cæsarem in lib. 7. de bel. Gal.

cònsectatus: Sed ita saluti regni prospexit, ut cùm nuper omnia direptionibus & miseranda præda agricolarum infesta essent, subitò urbes pacatæ, agri Francorum Principum statûs integri floreant. Ergo Ludovicus Rex fundator pacis, restitutor quietis dono quodam providentiæ genitus, in quo Regia dignitas totas sapientiæ, fortitudinis, temperantiæ, mansuetudinis vires experirerur, velut Agamemnon sui Nestoris sacro consilio, belli plusquam civilis tempestatem felicissima facilitate discussit: ut vos, carissimi Principes, scitis & testes estis, Reverendissimo domino Cardinali Andegavensi affectatore, interventore, consiliario. Iustè igitur celsissimam istam Cardinalatûs sedem reverendissimus Pater ipse conscendit, cùm ut sapientes advertunt, furorem iræ resedârit Præses impulsus sapientiâ istius Patris.

Atque juvat & certè decet, Reverendissime Pater, ut dignitatis Cardinalatûs flosculos quosdam carpam atque delibem, quatinus mente memori, & gratissimo animo quantum Pontifici Regíque debeas, recorderis, quotiens adspicies tantos honores tibi Regiis precibus condonatos. Fontem equidem gloriæ, & segetem honoris arbitror in ipso Cardinalatu, qui Christi Vicario, etsi vinciri vel uniri non posse dixeris, alligatur. Neque enim est nova & recens hæc dignitas, ut blaterantes quidam halucinantur. At ita garriunt, quia putantur esse multa nova, quæ pervetusta sunt, sed inaudita indoctis.

Quamvis autem apud veteres in limine templorum picta Angerona Dea, digito admoto labellis jubebat viros sacra cernentes fore conticuos*; quia hominum religiones longè maximis atque occultissimis cerimoniis continentur, proindéque satis esse deberet observantia totius Ecclesiæ, quâ Cardinales, velut illa quæ dixi Cherub, quæ Moyses arcæ fœderis impressit, eminent Principes in tabernaculo Dei. Si tamen vetustas Cardinalium desideratur, (cùm omnium Philosophorum consensu denominativa illis à quibus exoriuntur coætanea sint) dum primi Regum 2. Capitulo, *Domini sunt cardines terræ, & ipse posuit super eos orbem*; profectò & cardo & Cardinalis sub

Id est * *tacitos.*

ipso mundi nascentis ictu nomen accepit. Iulius quidam Maternus, elegans auctor & nobilis, in libro suæ mathesoos quasdam stellas præcipuas omnium siderum asserit affixas Soli, quas cardinales appellat. Infitiantem verò virtutes omnium virtutum primas, nuncupari cardinales virtutes, omnium Philosophorum greges urgerent. Sed quid ista consector, cùm Clemens in Stromatibus suis Iohannem, Iacobum, Paulum, Linum, Anacletum, sese, item Silvanum, decem præterea viros sanctissimos asserat beatissimi Petri coadjutores & Cardinales? Textus præterea Decret. lxxix. Decretorum distinctione: Oportebat, inquit, ut hæc sacro sancta domina nostra Romana Ecclesia ritè ordinaretur, sicut à beato Petro statutum est, & unus de Cardinalibus Presbyteris, aut Diaconibus in ea præficeretur. Verùm equidem in his non magnopere nitor, cùm ut emineant fastigia turrium, latent fundamenta: éstque semper in rebus altissimis origo suppressior. Si verò flagitatur Cardinalium dignitas & altitudo, hanc ab Apostolis adscitam & acceptam, Imperator & Reges, nisi insulsi sunt, tanta religione publicè & privatim tuentur, ut Cardinalibus Regum nullus se præferat. Atque ne longè petam exempla, constat ex actis celebratissimi Concilii Constantiensis, primùm Cardinalibus, deinde Sigismundo Imperatori, tum Patriarchis sententiæ dicendæ locum datum fuisse: isthícque constitit (quod canon Hieronymi causâ decima-sextâ, quæstione prima. Cap. Ecclesia instruit) Cardinales exsistere Senatores totius Ecclesiæ, legum sacrarum, judiciorum, juris auctores. Vultis hîc comparem civilium dignitatum omnia culmina? Vultis Senatores quibus per legem jus Senatorum de dignitatibus libro XII. Codicis, Imperator se lubens annumerat? Hos certè XVI. distinctione, canon, Constantinus: Non supergredi Cardinales ostendit. Sed à Cardinalibus vinci, quos & Clerum Romanæ Sedis Senatorum dignitate illustrat.

Vultis Consules? per legem secundam ff. de origine juris, suffectos atque suppares Regibus: & quibus lex antiquitus de Consulibus libro XII. nihil altius putat;

Imperatorius ille Canon quidquid dignitatis, nominis, ornamentorum Consulibus unquam tributum est, Cardinalibus porrigit, celsioribúsque insignibus Consules à Cardinalibus ostendit vinci. Vultis denique illud culmen dignitatis, quod (ut textus capituli Hadrianus. LXIII. distinctione docet) Concilium Lateranense putavit dignum Christianæ religionis propugnatore Carolo Magno, dignum præmio pulcherrimorum factorum ipsius, dignum regno Franciæ atque ista arce Christianæ religionis, dignum quod supergrederetur regiam altitudinem ac dignitatem, ab Hadriano Papa dicatum Carolo Magno veluti præcellentissimum honestamentum omnis honoris, dignitatem dico patriciatus? cardinales esse Patricios, indéque Regibus nusquam inferiores Imperatorius ille Canon declarat.

Equidem Episcopis non aufero & Patriarchis locum & typum Apostolorum qui Actuum xx. capitulo scriptus est. Atque etiam xxxv. distinctione Decret. Hieronymus Presbyter & Cardinalis, Cap. Ecclesiæ Principes. Nos, inquit, in Apostolorum loco sumus. Illi Dispersorum, ac Cardinales Collectorum in Summo Pastore Apostolorum figuram sustinent: illi tanquam in arca Noë tristegis districtis* limitati sunt ac diœcesibus certis & finibus: Cardinales verò ut universo prospiciant sunt instituti. Ergo ut in Philippicis Lucius Flaccus Flaminem Præsuli præfert, eo Episcopis & Archiepiscopis usitatus honos & pervulgatus Cardinales vult antecellere, quo omnis uni parti totum, speciei genus. Etenim omnium sacrorum Ordinum vertices omnes sacro collegio sunt illigati: atque, nisi refragari voluerimus Dionysio Magno in Hierarchia Ecclesiastica, illi primi sustinent locum, qui Summo Præsuli majori connexione conjunguntur. Itaq; ut in structura Rationalis Aaron duodecim lapides simul junguntur, omniáque coagmentata, & fortiora sunt: & venustiora, quàm dissipata & distantibus locis posita, elucere cernuntur: ex quibus oritur mira sublimitas, quæ Pontifici maximo proxima supra cunctos Ecclesiasticos status sine arrogantiæ notis attollitur.

f. * distinctis.

Multa profectò divinitùs in hanc sententiam liceret scripta producere, sed nihil praeclarius arbitror eo, quo XXII. Decret. distinctione, capitulo Sacro-sancta, Ecclesia Romana omnium Ecclesiarum caput & cardo est. Quid enim dignius capitis & cardinis conformitate? Quid capite altius? Quid ipso cardine robustius, qui ostium sustinet, per quod, nisi latrones sint, omnes ingrediuntur sanctum ovile? Ista est, ista capitis & cardinis sacra conformitas, ut *Archidiaconus* LXIII. distinctione, capitulo, *Tibi Domino*, scripsit: quâ juramentum fidelitatis à multis Regibus & ab ipso Imperatore praestitum Pontifici, & Cardinalibus scitis ab ipsis porrigi legibus. Ista est unitas, quâ non modo in Iliade splendet cum Iove Deorum sacer concessus; sed attestante Propheta, Deus stat
Psal. 81. 1. *in synagoga Deorum, & in medio Deos dijudicat*; dum Ecclesiae vir maximus Pontifex elucere putatur, *Quando*
Prov. 31. 23. (ut Proverbiorum ultimo scriptum est) *sederit cum Senatoribus terrae*. Ista est insuper capitis & cardinis unitas, quam consectatus sanctus Silvester, quasi caelo tantùm Cardinales ferre innocentiam debeant, perstrinxit illam (secunda, quaestione v. Capitulo *Praesul*:) convincendorum Cardinalium difficultatem. Quid dixi difficultatem? Immo verò praeter casum haeresis aut schismatis, quibus Decretalis, *ad succindendos*. de Schismaticis libro 6. prospexit (nisi refragabimur aquilae juris Innocentio IV. in Capitulo 2. de Clericis non residentibus) ista unitas etiam Romano Pontifici Cardinalium deponendorum nisi per Concilium universale sustulit auctoritatem. Denique ista unitas est capitis & cardinis, propter quam omnium Iurisperitorum doctissimus Ostiensis in Capitulo *per venerabilem*. Qui filii sint legitimi, Cardinales in plenitudinem potestatis assumptos dicere audet, & rectè audet. Confringat quisquam sanè in sua doctrina Conciliorum Decreta; opiniones omnium Doctorum perrumpat; evolet acumine sui ingenii & argumentorum subtilitate; mihi credite, indissolubilibus laqueis implicatur, quotiens Hilarium de Sede Romana nostróque sacro Senatu asseverantem audiet illud ab Isaïa dictum:

Erit

Erit in novissimis diebus præparatus mons in vertice montium; ad quem confluent omnes Gentes. Credéntne ipsi Cardinali Hieronymo, qui licet ferarum scorpionúmque socius omnem pompam vitaret, dixit tamen super Isaïam ipsius Prophetæ de Ecclesia præsentis temporis & Sede Romana dici divinitus: *Ædificabunt filii peregrinorum muros tuos; & Reges eorum ministrabunt tibi. Gens enim & regnum quod non servierit tibi, peribit; & Gentes solitudine vastabuntur. Venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi, & vocabunt te civitatem Domini, Sion sancti Israël. Pro eo quòd fuisti derelicta & odio habita, ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem & generationem: suges lac Gentium, & mammillâ Regum lactaberis: & scies quia ego Dominus salvans te, & redemptor tuus fortis Iacob.* Hîc est, ô Principes, summi Pontificis & Cardinalium defixa dignitas: hîc ejus; cui nunc cooperatur iste Reverendissimus Pater, dignitas Senatûs nostri: hîc Apostolicæ Sedis illa majestas, quam vester heres Carolus Magnus tanti putavit, ut ante acceptas imperiales infulas isto titulo gloriaretur: CAROLUS MAGNUS FRANCORUM REX, URBIS ROMANÆ PATRICIUS, HUMILIS ECCLESIÆ ROMANÆ DEFENSOR.

Isai. 2. 2.

Isai. 60. 10.

Non potes igitur, Reverendissime Pater, propiùs, ut aiunt, cælo pedem conferre, aut volare altiùs, quàm cerni quasi provectus atque statutus inter custodes arcis, capitis, cardinis omnium Ecclesiarum.

Itaque, Patres, Principes, si Moyses potestate accepta circumfuso nitore ad populorum concionem processit: si afflatus ipse Legislator divinus & Princeps populi divino Spiritu, ne Sacerdotii dignitas fortè vilesceret, omne genus pretiosi cultûs Aaron detulit, & Exodi 39. columnas templi colore rubro ornavit, ceteras verò partes suppressiore colore. Si, Parabolarum ultimo, mulier fortis, & ipsa Ecclesia victrix & retinens semper laureæ viriditatem, bysso & purpurâ ornatur. Egredimini & videte non Regem, sed cui Reges non insulsi concedunt. Vide-

te si non Salomonem, consectatorem Salomonis: qui pacificus docuit, quomodò lingua placabilis est lignum vitæ: in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Videte in diademate suo, quo coronavit illum mater Romana Sedes in die lætitiæ cordis ejus.

Multas quidem res pretiosas diligentia Romanorum Principum Senatoribus & Consulibus ducibus suis ornandis pervestigavit, fasces, secures, sellam curulem, togam prætextam, trabeam, equos candidos, tubas, lictores, militaria signa, aquilas, & fulgentia per aërem vexilla. Atqui pileus & diadema tamquam sphæra omni contagione carens Diis sacrabatur, Flaminibus, ac Pontificibus. Quid est hoc? quo jure dices, qua lege, quo exemplo, qua potestate exoritur pilei tanta majestas? Equidem non infitias eo, quædam in pileis gratia significationis, quædam decoris assumi. Atque si Iuris Canonici auctoritas desideratur, ut Canon, Cleros, XXI. Decretorum distinctione, affirmat, pileus ad eminentiam summæ dignitatis inventus est. Si Lex Civilis spectatur, video legem, *Temperent.* Et legem, *Valeria.* Codice de vestibus olobêris, libro undecimo, quæ vetant conchylii, muricis, purpuræque colores, præterquàm Imperatorio culmini tribui. Video legem, *Nemini*, de Consulibus libro Codicis XII. sanxisse, ut ipsâ quam sine controversia Imperatorius Constantini Canon Cardinalibus, more majorum tribuit, purpurâ adornaretur. Si lex divina spectatur, ut Iosue secundo capitulo, funiculus ille coccineus salvat domum Raab in direptione Hiericontina. Iste color pilei nostri, ne quisquam personam Cardinalis attingat, ita deterret. Quædam decretalis Felicis de pœnis. lib. 6. 36. c. pœnas illi vixdum audito sacrilegio fixit atque inflixit. Immo verò ut meretricis Raab domum salvavit color similis colori quem gerimus, asserit Baldus acutissimus Doctorum omnium, in lege addictos, Codice de episcopali audientia, Liberandum à morte illum qui adjudicatus sit ultimo supplicio, si fortè obviaverit Cardinali. Quam quidem pilei nostri dignitatem

quanta ſeveritate, quantáque diligentia populi ſervent, vidi ego Senis, vidi Coloniæ, iſto Pontifice Paulo tunc Cardinale ſancti Marci, & Nicolao Cardinale ſancti Petri ad Vincula, interventoribus & liberantibus addictos morti.


Sed ut revertar ad Ius Canonicum atque Eccleſiaſticum, pileus Flaminibus & Archiflaminibus, (ut ille Canôn *Cleros* declarat) erat ſpecimen honoris altiſſimi. Tertullianus autem in libro quem de pallio ſcripſit, id tractum docet ab eo ritu, quo Diis omnibus vetuſtas pileum conſecrat, pari quidem figura, diſpari gloria: ceteris nempe Diis pullus & niger pileus tribuebatur: at ſoli Iovi & Mercurio flammeus & rubeus, ut inſigne cæleſte ſumma potentia & ſapientia ſibi conjungeret. Et Epiſcopis quidem ac Patriarchis pileus ornatus eſt, ac eo ſuppreſſior, quo ſidera in ſole deſinunt cerni, noſter autem fulget ut ignis, ſplendet ut carbunculus precioſiſſimus, coruſcat ut ſol. Atque ut Hieronymus ad Fabiolam de veſtibus ſacerdotalibus ſcripſit, pilei ſpecies media ſphæra eſt, quâ Cardinales Pontifici excubant, qui orbem poteſtate complexus, quod Deuteron. 17. quod Decretali *per venerabilem*, qui filii ſunt legitimi, ſcribitur; ſimúlque Cardinales tanquam cum Moyſe Levitici generis Sacerdotes judicant orbem; ſive ut Rabanus interpretatur, quod velut boves duodecim in templo Salomonis orbem, ac fuſile illud miræ pulchritudinis mare ſuſtentant. Sic cervicibus, fidei, ſapientiæ, religioni Cardinalium totius orbis cura atque pondus impendet, haud ſecus quàm apud Veteres Atlantis & Herculis capitibus fertur ſuſtineri cælum ne ruat.

Epiſt. 128. ante med.

Pileo inſuper ſic omnis Eccleſiaſticæ Hierarchiæ vertices alligantur, quomodò Auctore Dionyſio figura & virtus ignis illuminat, purgat & perficit, inferiorúmque graduum omnem vim allicit & trahit ad ſe cuncta communicans eis, quæ ſumma ſupremo præſidi propinquiora ſunt attributa, ne fiat Hierarchiæ Eccleſiaſticæ ordo ſimilis agmini, eoſdem lixas habenti quos Duces & ſum-

mos milites. Denique pileum tibi, Reverendissime Pater, largitur Pontifex obsidem fidei tuæ, qui etiam tuum sanguinem pro fide & Ecclesiæ Romanæ dignitate reposcat. Non satis autem honorem judicii cælestis intelliges, nisi ex hoc oneris quoque magnitudinem metiaris. Quod enim præsentius putas tuæ fidei pignus, quàm coccineum colorem adjectum pileo, ut tuum sanguinem quasi depositum sacrum dignitas Sedis Romanæ & Religio Christiana reposcant, ut nullas contentiones, nullas inimicitias, nulla pericula, nullam vitæ dimicationem pro fide atque Sede Romana umquam declines, cui te redimiculis pilei chordonibúsque illigabit Reverendissimus dominus meus Avinionensis senior noster, qui tuo capiti purpuram regiam, qui diadema imponet, qui tibi verticem tribuet omnis generis omnium ornamentorum.

Finit Harenga per Reverendissimmm Cardinalem Albiensem, Abbatem quoque sancti Dionysij in Francia composita, propositáque in laudabili Ecclesia Parisiensi Dominicâ primâ Adventûs, Anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo octavo, quâ die Cardinalatûs dignitatem recepit Reverendissimus dominus Cardinalis Andegavensis per manum Reverendissimi domini Cardinalis Avinionensis.



SIXTI PAPÆ IV.

An. Christi 1474. *Ex Mſ. cod. D. d'Herouval.*

Cariſſimo in Chriſto filio noſtro LUDOVICO *Francorum Regi Chriſtianiſſimo.*

Conqueritur quòd Concordata Rex non obſervet. Ea Concordata extant inter Extrav. comm. Cap. *Ad universalis. De Treuga & Pace.*

LXXIII. CARISSIME in Chriſto Fili noſter ſalutem, & Apoſtolicàm benedictionem. Quotidie ad nos perfertur ex querelis multorum, concordata inter nos & te non obſervari, ſed proviſiones Apoſtolicas deferentes capi, & contumeliis & injuriis affici, quod eſt nobis & moleſtum, & de Majeſtate tua, quæ Chriſtianiſſima eſt & Apoſtolicæ Sedis obſervantiſſima, ſemper fuit creditu admodum difficile: quamquam exiſtimamus tuorum potiùs quàm Celſitudinis tuæ culpâ id fieri. Hæc cùm apertè tendant in diminutionem honoris tui, & Sedis Apoſtolicæ contemptum, non debes pro ſingulari ſapientia tua id ullo modo tolerare. Non enim te latet, quanta cum difficultate venerabiles Fratres noſtros adduxerimus, ut hujuſmodi concordatis & conventionibus aſſentirentur: quod libenter quidem fecimus; primò ne tanta animarum multitudo, quæ in inclyto tuo Regno eſt, hujuſmodi Pragmaticæ labe ampliùs involveretur & periclitaretur: tum etiam ut & honori tuo, qui Chriſtianiſſimus es, & quem ſingulari caritate proſequimur, & honori Sanctæ Romanæ Eccleſiæ pariter conſuleretur: quod ſecus evenire intelligimus, & plurimùm admiramur; nam poſtquàm hujuſmodi concordata Oratores tui ad te detulerunt, ratificationem quamdam tranſmiſiſti per dilectum filium LUDOVICUM de Amboiſia Procuratorem tuum, quam ad te remiſimus, propter quòd inſufficiens erat, petentes ut pleniorem ad nos remitteres, quæ nunquam poſteà miſſa eſt, neque aliquid ampliùs audivimus in tanto temporis ſpatio, non ſine magna omnium àdmiratione. Quamobrem hortamur & rogamus Celſitudinem tuam, ut aut ratificationem plenam ad nos mittat, & concordata faciat inviolabiliter

observari, aut Bullam ipsam concordatorum remittat. Aliter enim non videmus quomodò & honori tuo consuli possit & Sedi Apostolicæ, quæ dum in dies promissa adimpleri expectat, magno afficitur detrimento: quod te pro singulari religione animi tui & devotione, quâ nos & Sedem hanc sanctam prosequeris, diligenter consideraturum & adimpleturum esse non dubitamus. Hac in re latiùs ipsam tuam Majestatem alloquetur dilectus filius ANDREAS de Spiritibus Nuntius noster, cui fidem indubiam hortamur adhibeas.

Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die trigesimo Decembris, anno millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto, Pontificatûs nostri anno tertio.

L. GRIFUS.



****

CHRONICON
EPISCOPORVM ALBIGENSIVM, ET ABBATVM CASTRENSIVM.

**Anno Domini ſexcenteſimo quadrageſimo ſeptimo* ROBERTUS, ANSELINUS, & DANIEL *tres viri pii & nobiles, relicto cingulo militiæ ſecularis, in pago Albigenſi juxta fluvium Agouti ſub Regula* S. BENEDICTI *Deo militantes caſtra metati ſunt: & inde nomen loco inditum Caſtra. Tres Cellas manibus propriis ſibi conſtruxerunt ex lignis ſilvaticis terrâ & foliis: vacabant orationi, jejuniis, vigiliis, & operationi manuali. Tantæ pietatis fama ſpargitur circumquaque: plurimorum fit concurſus; multiplicantur Cellæ uſque ad numerum viginti novem. Advenit* FAUSTINUS *Miles ſtrenuus, opibus abundans: Deus tetigit cor ejus, fit Monachus, Eccleſiam S. Benedicti à fundamentis magno ſumptu ædificat, & per mortem Roberti fit ſecundus hujus Monaſterii Abbas.*

**Hæc in margine Cod. Mſ. alia manu ſcripta erant.*

SVBSEQVVNTVR NOMINA Epiſcoporum Albigenſium, & Abbatum Caſtrenſium, à primordio & origine Monaſterii de Caſtris uſque ad an. MCCXI.

ANNO Domini Sexcenteſimo quadrageſimo ſeptimo CONSTANTIUS in Albigeſio Epiſcopabat: 647.

ROBERTUS eodem anno abbatiabat apud Monasterium de Castris.

Anno Sexcentesimo septuagesimo tertio RICARDUS episcopabat:

FAUSTINUS abbatiabat.

Anno 692. CITRUINUS episcopabat:

BERTRANDUS abbatiabat.

Anno 722. HUGO episcopabat:

BERTRANDUS abbatiabat.

Anno 734. IOHANNES episcopabat:

ALFONSUS abbatiabat.

Anno 812. VERDATUS episcopabat:

GRIMOALDUS abbatiabat.

Anno 825. GUILLELMUS episcopabat:

ADELMUS abbatiabat.

Anno 844. BALDOINUS episcopabat:

ADALBERTUS abbatiabat.

Anno 854. PANDERIUS episcopabat:

GILIBERTUS* abbatiabat.

** Gislebertus Aimoino c. 7. l. 1. de Translat. S. Vincentii.*

Anno 869. LUPUS episcopabat:

SALOMON abbatiabat.

Anno 870. LUPUS episcopabat:

BERNON* abbatiabat.

*Berno *Aimoino in epist. dedic. Translat. S. Vincentii.*

Anno 879. LUPUS episcopabat:

RIGAUDUS abbatiabat.

Anno 921. PATERNUS episcopabat:

GUILLELMUS abbatiabat.

Anno 972. FROTERIUS episcopabat:

DURANDUS abbatiabat.


Anno 992. HONORATUS episcopabat:

SANCIUS abbatiabat.

Anno

Anno 1020. Amelius epiſcopabat:
Sancius abbatiabat:
Anno 1030. Amelius epiſcopabat:
Arnaldus abbatiabat.
Anno 1043. Guillelmus epiſcopabat:
Gerebardus abbatiabat.
Anno 1052. Aldegarius epiſcopabat:
Gerebardus abbatiabat.
Anno 1066. Frotardus epiſcopabat:
Gerebardus abbatiabat.
Anno 1087. Guillelmus epiſcopabat:
Geraldus abbatiabat.
Anno 1096. Gauterius epiſcopabat:
Geraldus abbatiabat.
Anno 1099. Hugo epiſcopabat:
Geraldus abbatiabat.
Anno 1110. Aldegarius epiſcopabat:
Godofredus de Mureto abbatiabat.
Anno 1115. Bertrandus epiſcopabat:
Godofredus abbatiabat.
Anno 1126. Humbertus epiſcopabat:
Reginaldus abbatiabat.
Anno 1141. Rigaldus epiſcopabat:
Rogerius abbatiabat.
Anno 1154. Arnaldus epiſcopabat:
Rogerius abbatiabat.
Anno 1165. Guillelmus epiſcopabat:
Rogerius abbatiabat.
Anno 1176. Geraldus epiſcopabat:
Guilabertus abbatiabat.
Anno 1190. Geraldus epiſcopabat:

PETRUS Isarni abbatiabat.
Anno 1193. GUILLELMUS episcopabat:
PETRUS Isarni abbatiabat, qui obiit anno 1211. Idibus Iunii.



VERSUS
FRONTI MAIORIS IANUÆ ECCLESIÆ S. BENEDICTI CASTRENSIS inscripti.

FAUSTINUS lapsis à Mauri morte decem octo
Lustris, has S. BENEDICTO dedicat aras;
Impensísque suis tota est structura peracta,
Aptavítque suis humeris de more cucullam.
Religionis amans, Cellis se devovet istis,
Atque Abbas factus, mira pietate refulsit.

ROBERTUS I. *Abbas an.* 647.

ADDUXIT socios secum in deserta ROBERTUS
Binos, spernentes delicias hominum.
Construxêre sibi Cellas à cespite parvo:
Hæc est Castrensis fons & origo Domûs.
Virtus illorum facta est contagio sancta:
Turba exhinc Fratrum multiplicata viget.

FAUSTINUS II. *Abbas an.* 673.

DIVITIIS pollens multis FAUSTINUS & altâ
Militiâ, Albigæ gloria láusque fuit.
Corde retractato meditans ventura, caducas
Sprevit divitias, tactus amore poli.
Fit Monachus, struxit Templum Benedicti in honorem,
Et baculo Abbatis rexit ovile Dei.

CITRUINUS *an.* 680.

HESPERIAS rigidus censor pervenit ad oras:
  Ritúsque antiquos restituisse ferunt.
In Toletano* cœtu CITRUINUS obivit
  Carcassonensis munus Episcopii.
Cúmque cathedra suo Albigæ sessore careret,
  Antistes factus judicio est populi.

*Tolosano.

BERTRANDUS III. *Abbas an.* 692. & 722.

DULCE jugum Christi teneris portavit ab annis,
  Evitans cautè Dæmonis insidias.
Centum térque duos vitam produxit in annos
  BERTRANDUS, summi plenus amore Dei.
Hanc tandem subita at prævisa morte precando
  Ejicit, æterna ut luce frui valeat.

ALFONSUS IV. *Abbas an.* 734.

NOBILIUM ut reparet Martellus damna virorum,
  Injecit dominas in sacra feuda manus:
Castrensi gazæ parcens Abbatis amore,
  Cujus consilio est usus & auxilio.
Proximus est morti princeps: hunc excitat Abbas,
  Et tinctum Christi sanguine monstrat iter.

GRIMOALDUS V. *Abbas an.* 812. & 815.

BELLUM atrox, urgénsque fames, pestísque cruenta
  Cuncta vorant, Trini terna flagella Dei.
O fera corda hominum, quæ tantis acta procellis,
  Accumulant semper crimina criminibus!
Inter tot clades sine damno Castra fuêre,
  Virtute Abbatis conciliante Deum.



ADELMUS VI. *Abb. an.* 825.

Quæ ventura forent tentavit prodere ADELMUS,
Aſtrorum vanis luſus imaginibus.
Ex libro Moſis vitæ ſecreta futuræ
Novit, & hoc ſacro lumine vera videt
Aſtrorúmque loco ſunt illi vulnera Chriſti.
Non ſunt majora his ſidera vulneribus.

ADALBERTUS VII. *Abbas an.* 844.

Carolus Calvus an. 844. Toloſam obſedit.

DUM Carolus valida premit obſidione Toloſam,
Caſtrenſem firmat regia charta domum.
In ſilvam Vauri ſtipatus milite multo
Hoſtiles Hugo provocat enſe acies
Victor ovat, transitque vadum, populóſque ruinis
Implens, quas dederat cogitur ipſe pati.

Omiſſus ſuprà

ELISACHAR VIII. *Abbas an.* 854.

GILIBERTUS IX. *Abbas an.* 858.

SALOMON X. *Abbas an.* 864.

Servorum inſidiis potuítne reſiſtere quiſquam,
Queis condere cibos tradita cura fuit?
Infecta horrendo Monachis datur eſca veneno.
Bis ſeptem Fratres hoc periêre cibo.
Sex ſervi flammis uſti: ſcelus igne piatum eſt:
Libertas reliquis eſt data mancipiis.

BERNO XI. *Abbas an.* 870.

RIGAUDUS XII. *Abbas an.* 879. 884. 888.

Vincentî ædificat templum Rigaudus, opúſque
Perficit oblatis à Patre muneribus.

Transfert Reliquias, populi comitante caterva:
Tunc audit surdus, mutus & alloquitur.
Tres comites feretrum portant, Rigaudus & alter
Lætatur pondus sustinuisse sacrum.

GUILHEM* XIII. *Abbas an.* 921.

Id est, Guilelmus *linguá Gothicá.*

Ascendit cathedram nulli sermone secundus
Guilhem: Pastores arguit esse lupos.
Innocuo trahitur collo, populique tumultu
Exiit immunis carceris è laqueo.
Sponte sua Albigam repetito carcere venit,
Fit nolens liber seditione pari.

DURANDUS XIV. *Abbas an.* 953.

Quæ via sit Domini mea lingua docebit iniquos,
Cordéque converso corruet impietas.
Valfredus * spargit doctrinæ semina falsæ,
Corpus & unà animam morte perire docet.
Insurgit contra vero sermone Durandus,
Et gladio linguæ dogmata falsa secat.

* *De quo nihil hactenus Scriptores.*

SANCIUS XV. *Abbas ann.* 992. 1020.

Sancius inculcat Domini præcepta, viásque
Ipsius monstrans, dissipat omne scelus.
Castigat corpus, menti retinacula tradit,
Commissúmque gregem dirigit atque fovet.
Oblitos voti Monachos meretricio amori
Subripit: hunc meretrix Paula dolone petit.

ARNALDUS XVI. *Abbas ann.* 1030.

Deliciis hominum Arnaldus satiatus iniquis,
Intrat Castrensis Claustra Monasterii.
Pœnitet adversus Dominum peccasse, suique
Peccati veniam postulat: illa datur.

Infirmos sanat tactu, mutósque loquaces
   Reddit: contrito hæc gratia facta viro est.

GEREBARDUS XVII. *Abbas an.* 1043. 1052. 1066.

Dum loca sancta petit Gerebardus noster, obortum est
   Rupto inter fratres fœdere dissidium.
Sedari potuit monitu discordia nullo,
   Abbatis reditus pacis origo fuit.
Grex illi commissus erat, non cura videndi
   Iudæam: officio defuit ipse suo.

GERALDUS XVIII. *Abbas ann.* 1081. 1096. 1099.

Fulgure tacta domus reliquas incendit, & imber
   Miscetur flammis: ignis & unda furit
Incassum Fratres tentant exstinguere flammas.
   Namque ardentem ignis provocat unda sitim.
Iamque Monasterium furibunda incendia volvit:
   Cùm Christi oblato corpore flamma cadit.

GODOFREDUS de Mureto XIX. *Ab. an.* 1110. 1115.

Adstricti satanæ qui sunt anathemate diro,
   Nolúntque absolvi restituíque Deo:
Post annum hos Præsul voluit compellere duro
   Carcere, sic artans corpus & una animam.
Vincula ferre duo populo renuente, querela
   Nascitur hinc ingens inter utrumque forum.

REGINALDUS XX. *Abbas an.* 1124. 1126.

Nocte Dioscorius Benedicti altaria nudat,
   Infandóque onerat colla latrocinio.
Porta adaperta fuit: tamen illi clausa videtur:
   Et frustra templum circuit ut fugiat.
Dum matutino Reginaldus tempore surgit,
   Sub scamno furem & furta simul reperit.

ROGERIUS XXI. *Abbas ann.* 1141. 1154. 1165.

Istas se confert Iuvenis Ludovicus * ad ædes,
  Vincentî ut Sancti pignora honore beet.
De Cane suspenso * Miles carus Ludovico,
  Principis ante fores ense trium cecidit.
Sæpiùs exorant veniam : at conceditur illis,
  Vt sit supplicii sumpta cuculla loco.

* Ludovicus Iunior, *seu* VII.

* Cane Susp. *loci nomen est.*

GUILABERTUS XXII. *Abbas an.* 1176.

Inter Raimundum Comitem concordia facta est
  Et Regem Anglorum connubio stabili.
Túncque Tolosani Legati munere functus
  Est Abbas, nomen cui Guillabertus erat.
Fítque Iohanna uxor Comitis*: pro dote Cadurcum
  Dat. Regi Comitis sic stabilita fides.

* *Tolosæ Raimundi VI. an. 1195. Iohan. Henrici II. Regis Angl. filiam duxit, & pro dote Cadurcos accipit & Aginnenses sub hominij conditione.*

PETRUS Isarni XXIII. *Abbas anno* 1190. 1193. 1211.





GESTA

ABBATUM TRUDONENSIUM*

ORDINIS S. BENEDICTI.

* Abbatia S. Trudonis, vulgò S. Tron.

Auctore RODULPHO* *Abbate ejusdem Monasterij.*

*Florebat hic Auctor an. 1117.

NOTUM est omnibus quibus gratifica manus fortunæ experiendi copiam dedit, quia vetera vina gelidis promptuariis toto anni circulo liquata autumni tempore ad tempus seponantur; & nova musta naturali motu adhuc calentia & necdum prorsus defæcata auidius sumantur. Vt quid hoc? utique non ut nova & turbida veteribus & defæcatis quasi meliora præponantur, sed quia novæ res delicatos hominum animos irruente passione desideriorum oblectabiliùs afficere soleant, donec satiata passione desideriorum cum alacriori aviditate ad veterum usum revertantur. Vnde quidem physicæ non ignarus ait: Alternis uti delectabile est; ipsáque alternitas sapores, licet impares, æqué tamen interdum gratificat.

Secundùm hujus dictæ rei similitudinem, dilecte mi & diligende Præposite sancti Dionysii N...... mitto tibi historiam nova incude formatam de his quę acciderunt antiquo & moderno tempore erga Ecclesiam nostram: ut qui veterum & novarum rerum usu delectaris, vetera nostra & nova per eam sapias, per quam cupidum animum ad condignam passionem afficias: in qua licet ad eruditionem parum proficias, scire tamen poteris qui a nova scire cum veteribus quæris, qualis quondam Ecclesia nostra fuerit, de quanam sublimitate ad quas abyssi

voragines

voragines frequenter corruerit, & quantum laboris super vix extantem adhuc veteris ruinæ favillam, contra malignorum flatuum importunitatem quotidie irruentem, ne prorsus avolet ægerrimè sustineant: quod te scire ideò mihi proderit, quia solent plerumque miseri homines referendo æquanimiùs sustinere dolores, cùm invenerint qui eos audiant familiariter & compatiantur.

INCIPIVNT GESTA ABBATVM S. TRVDONIS.

RODULFUS gratiâ Dei, sanctorúmque TRUDONIS & Eucherii, Abbas eorum Cœnobii, omnibus posteris meis tam Abbatibus quàm Monachis, qui in hoc eodem Monasterio Deo sunt militaturi, id fore quod profitemini, & peccatricis animæ meæ interdum reminisci. Sæpe necnon & sæpissime, Fratres charissimi, totam armarii mei revolvens suppellectilem, dum adhuc in carne quâ nunc agonizatis positus essem, ardebam vehementer me posse reperire qui & quot & cujus professionis omnes monachicæ, an canonicæ aliqui fuissent prædecessores mei, & cujus quisque vocabuli, & quot annis præfuerit; quod ad desiderium meum fateor me nunquam potuisse reperire, sed neque quisquam erat antiquis de Fratribus qui se unquam hoc legendo reperisse, vel unquam audiendo didicisse diceret. Vt ego scire quærebam hoc utrúmne contigerit familiari super nostris negligentia notariorum, an inter frequentissimas loci desolationes amissione forsitan librorum, certum similiter habere nullo modo potui.

Dum autem nostrum & piissimæ memoriæ sanctum TRUDONEM Clericum fuisse & Sacerdotem, & Cænobii nostri primum Ædificatorem, vita ipsius docet, necnon & B. REMACLI Tungrorum Episcopi, ubi aliqui leguntur de Principibus Regnorum, & Rectoribus Ecclesiarum, quorum temporibus hoc nostrum sanctissimæ puri-

tatis lilium effloruit; sed hoc manifestè neque ibi neque aliàs usquam datur intelligi, utrum per eum ipsum regeretur primò ædificatum Cœnobium nostrum, sive per alium. Clerici quoque sive Monachi fuerint quos in eo constituerit, & quando Monachi in eo esse cœperint. Talia, quæ quidem dignissima essent sincera annotatione, dum lectione aut vera relatione sæpe, ut dixi, sæpissime vehementer arderem cognoscere, inveni Libellum quemdam ubi vita S. Silvestri habebatur, atque Translatio S. Benedicti, necnon & Sermo de Assumptione S. MARIÆ semper Virginis; in eo quantum repererim hoc annotare curavi.

Vnde excusatum me rogo habere me lectores hujus mei Opusculi, si minus quàm velletis certos vos reddidero ex his de quibus ipse certior esse non potui. Hæc mea in hoc Opusculo est intentio, ut quod aliorum negligentia fermè obliteratum reperi, nostrâ salvum diligentiâ puriúsque eliquatum futuræ conservem posteritati. Abbates & Monachos post me futuros in hoc Cœnobio volo sollicitos inde reddere, quatenus in anteriorum suorum negligentiam ulteriùs non incidant, sed suis quoque posteris de prædecessoribus suis plenum fidei monimentum scripto relinquant, in quo dum probitas seu improbitas singulorum frequenter legi poterit, probi priorum exemplo accensi in melius & melius semper proficiant; improbi imaginatâ vitâ suâ confusi à malis operibus suis vel sic saltem resipiscant.

Accipite ergo posteri mei nomina quædam Abbatum, sine annis quibus præfuerint & absque annis Domini, quædam cum ipsorum tantùm annis, quædam cum ipsorum annis & cum annis Domini. Cetera verò fidelium virorum qui hæc viderint, aut eos qui hæc viderant relatu didici; ipse quoque de quibusdam, quæ me præsente aut me jam juvene adhuc existente acta sunt, aliquantula fidelissimè quidem memoriæ mandabo: plurima pudore nostri Ordinis & nimio tædio longæ relationis præteribo.

Series Abbatum Trudonensium.

Igitur nomina Abbatum Cœnobium quondam S. Trudonis regentium sunt hæc: GRIMO Abbas, REIRAMNUS

Abbas, HARDEBENUS Abbas, COLUMBANUS Abbas, ANGELRAMNUS Abbas, AMBROSIUS Abbas, GISLEBERTUS Abbas, ADELBODUS Abbas, HILDRADUS Abbas, SABBATINUS Abbas, ERMEMNARUS Abbas, RADULFUS Abbas, LUDOVICUS Abbas, RADBERTUS Abbas, RODEGANGUS Abbas. Huc uſque reperi ſine numero annorum quibus præfuerunt: REIINERUS Abbas præfuit annis quinque, THEUDEFRIDUS Abbas præfuit annis triginta, ERENOFRIDUS Abbas præfuit annis quatuor. Huc uſque reperi quot annis præfuerint, ſed tamen ſine annis Domini.

ADELARDUS Abbas, memoriâ digniſſimus, præfuit annis triginta quinque, ſcilicet uſque ad annum milleſimum trigeſimum nonum Incarnationis Domini. GUNTRAMNUS Abbas præfuit annis viginti, ab anno milleſimo trigeſimo nono Incarnationis Domini uſque ad milleſimum quinquageſimum quintum. ADELARDUS Abbas præfuit annis viginti ſeptem, ab anno milleſimo quinquageſimo quinto uſque ad centeſimum octogeſimum ſecundum Incarnationis Domini. Huc uſque & ita in ſupradicto libello reperi. Poſt hunc autem Adelardum illorum tantùm nomina ponam, qui vel Abbates fuerunt vel Abbates ſe eſſe voluerunt, uſque ad noſtrũ introitum, quoniam tantam confuſionem annorum inter ſe contendentes fecerunt, quia de ſingulis nullum certum tempus habere potuimus præter unum, ſicut in conſequenti Opere explanabimus. Nomina autem eorum fuerunt LANZO, LUYPO, HERIMANNUS, & alter HERIMANNUS, & prædeceſſor noſter domnus Abbas THEODORICUS. De tribus verò ſupradictis Abbatibus, ſcilicet Adelardo, Guntramno, & Adelardo ſecundo, quod fidelium narratione didici referam. Nam de ſupradictis ceteris nihil accepi quod fide certa proferre audeam: à ſecundo autem Adelardo uſque ad me quidquid referam aut ipſe vidi aut videre potui, & quæ non vidi eorum relatione qui hæc viderant didici.



INCIPIT TEXTUS OPERIS.

LIBER PRIMUS.

999. IGITUR primus ADELARDUS factus Abbas hujus loci anno Domini DCCCCXCIX. nativam linguam non habuit Teutonicam, sed quam corruptè nominant Romanam, Teutonicè Walloniam: familiam Ecclesiæ nostræ viscerabiliter dicitur dilexisse, unde & usque in hodiernam diem de eo à plerisque solet tale quid memoriale referri. Cùm ex sterilitate terræ, ut aiunt, fames aliquando ejus tempore accidisset, concurrebat ad eleëmosynam Fratrum omnis sexus & ætas importunè & miserabiliter, quorum aliquibus interdum ad se vocatis quærere dicebatur jlocaliter: Cujus servus tu ille? túne illa, cujus ancilla es? respondentibus illis, verbi gratiâ, S. Lamberti aut S. Petri, sive S. Servatii, sive S. Remacli, postremò cujuslibet Sancti: aiebat; Quid igitur tibi & familiæ S. Trudonis? Pascat te tuus dominus cujus tu es servus: Qui sancti Trudonis se esse profitebatur, paternè ab eo audiebat: Pascet ergo te hodie S. Trudo dominus noster, conservus enim noster es. Primis enim annis Ecclesia nostra necessariis illi deficientibus anxiè nimis (ut referri audivi) laboravit.

At unde hoc potissimùm accidisset fide plena relatione non didici: quorumdam Fratrum suorum inquietatione Theodericus Metensis Episcopus in eum adeò commotus extitit, quòd eum aliquandiu quasi exulem abductum Metis teneret, & per Præpositos interim res nostras curaret; sed Episcopo Leodiensi, cujus diœcesis erat, jus suum eo defendente tandem honorificè revocatus est: quem revertentem tanta comitata est gratia, ut Ecclesiam suam non modò necessariis faceret abundare, verùm interiùs & exteriùs vario cultu, diversísque utensilibus gloriosè corruscare; quorum perpauca, pretiosissima ta-

men, vidimus: nam cetera, ſicut & alia plurima, furor debacchantium Symoniacorum, & de noſtra Abbatia inter ſe decertantium, varijs modis diverſíſque vicibus damnosè nimis diſtraxerat, perditioníque perpetuæ ſepeliverat. Et ne quis hodie videns paupertatem Eccleſiæ noſtræ & in ſubſtantia & in theſauro, exiſtimet eam ſemper tam tenuem támque nudam fuiſſe, videtur mihi non ingratum illi debere fieri neque noſtris verecundum, ſi hæc ei retulero quod in quodam alio Libro inveni de theſauro quondam noſtro, & de ſubſtantia præbendæ Fratrum ita annotatum.

ANNO ab incarnatione domini noſtri IESU CHRISTI ſeptingenteſimo ſeptuageſimo, Indictione tertia, & anno decimo tertio ſedis domini ADVENTII glorioſi Præſulis, ſub die decima octava Kalendarum Septembris, facta eſt deſcriptio per juſſionem ipſius ex Abbatia ſancti Trudonis per ſuos Legatos, videlicet FREDELONEM, & HERIGANDUM. Hinc etiam, ſicut ex aliis multis, noſtrorum negligentia debet meritò reprehendi, qui hîc neglexerunt annotare nomen Abbatis ſui qui tunc temporis præerat, cùm non tantùm Mettenſis Epiſcopi nomen hîc inveniatur annotatum, ſed etiam nomina Legatorum ejus qui hanc deſcriptionem fecerint.

Menda hîc Librarij: nam 3. Indictio in hunc an. non incidit. ſed 8. Nec concordat annus tempori Adventij Ep. Met. illa enim tempeſtate Mettenſi Cathedra ſedebat Chrodegang.

Reperimus de theſauro ſancti Trudonis rebam* ipſius corporis auro argentóque fabricatam; item rebam ſancti Eucherij argento nobilitatam; item in dextera parte ſancti Trudonis ſimiliter; item altare in honore ſanctæ MARIÆ & ſancti Petri auro argentóque imaginatum, cum cyborio deſuper, in medio cyborio pendentem coronam æream deauratam. Item altare in honore ſancti Stephani argento paratum. Capſam gemmis auróque inſignitam. Item capſas argento tectas XXI. cruces inter majores & minores argento paratas decem: capſas evangelicas argento paratas tres: malagranata argentea duo, calices argenteos cum patenis inter majores & minores novemdecim. Item patenæ ſex; item calicem aureum cum patena etiam argentea unde debentur de argento libræ octo & dimidia: altaria parva argento parata quin-

*ſive * repam*

que. Item cruciculas aureas tres argenteas sex, ex cupro 22. thuribula argentea tria, & unum ex cupro. Candelabra argentea septem: suxtas* argenteas duas ad ferendum incensum. Offertoria argentea septemdecim: cyphos argenteos quatuor, & duos ex cupro: suxtilem unum argenteum. Vitam S. Trudonis cum imaginibus decoratam, lampades argenteas quinque & septem ex stanno; coronas argenteas duas. Item clavicellam ex auro: lambittas duas argento tectas; vexilla quatuor; cappæ triginta tres pretiosæ de pallio; casulæ duodecim pretiosæ de pallio; dalmaticas novem cum tunicis subdiaconalibus. Cussinos sericos tres; pallia quatuor majora, & minora quadraginta quatuor. Item pallium unum cum friso & margaritis. Item palleas lineas serico coopertas decem. Item pallas lineas sine serico nonaginta octo. Fuscinulas aureas parvas de auro pensas denariorum quinque; cultellum auro paratum; situlas duas ex cupro, &c.

f. * cupas

Habent ipsi Fratres ad proprium usum deputatam speltam ad panem faciendum, corbos centum & viginti quod colligitur ad modios mille sexcentos: ad cerevisiam faciendam ordei corbos CXCII. quod colligitur ad modios mille DCCCCXX. Sunt simul inter speltam & ordeũ corbi trecẽti & duodecim, quod colligitur ad modios tria millia quingentos viginti: porcos saginatos quindecim: leguminis modios sexaginta: salis modios viginti quatuor.

Talem quondam fuisse thesaurum nostrum, & Fratrum præbendam recta annotatione legatorum Mettensis Episcopi reperimus: diu tamen ante istum Adelardum majorem partem permansisse usque ad ipsum, ipsúmque nihilominus nonnulla perdita reparasse, quædam illius studio acquisita usque ad nostra tempora, non tamen usque ad nostram prælationem perdurasse. Nam, ut superiùs diximus, & in subsequentibus suo aptè loco ponemus, furor pertinacissimus debacchantium Symoniacorum, & de nostra Abbatia inter se collidentium, variis modis diversísque vicibus miserabiliter nimis pretiosissimum Ecclesiæ nostræ thesaurum distraxit, sepultóque irrevocabiliter inæstimabili illo decore sedere eam usque

hodie facit lugubrem & miserabilem plenámque extrema confusione suæ nuditatis. De Adelardo præter obitum ejus non plura didicimus. Nunc ad successorem ejus convertamur.

Post primum Adelardum successit GUNTRAMNUS natus de Hasbania liberorum prosapia, innutritus Cœnobio nostro ab adolescentia, ibidémque Ecclesiasticis apprimè eruditus officiis & regularibus disciplinis. Tempore autem quo prædecessor ejus, Abbas scilicet Adelardus, à Mettensi Episcopo Theoderico exul tenebatur accidisse cognovimus; sed quo ordine non didicimus, Cœnobii nostri curam agere primùm Popponem Stabulensem Abbatem, interea nonnulli de Fratribus nostris relicto loco nostro diversis exulabant Cœnobiis, amissi Pastoris gravissimo dolore exacerbati; inter quos præcipui & religiosissimi magnifici viri Gauzelinus & Godeto servi Dei, carne quidem germani, sed spiritu uno in Deo coanimati, qui reverso tandem pastore ad ovile sunt reversi, & apud nos consepulti. Interea cùm pro ordinanda re utrique homini nostro necessaria primus Poppo Stabulensis Abbas (ut pote qui exulantis Abbatis vices agebat) ad Cœnobium nostrum descendisset, Capitulum Fratrum, ut audivimus, ingressus est, & de culpis cœpit agere pastoraliter: cúmque ad istum GONTRAMNUM devenisset, elegantissimæ formæ juvenis qualitate perspecta, cœpit de eo sagaci mēte pium aliquid humiléque præsagire, atque in lucem velle producere, si ut sibi de eo videbatur ita experiri posset in re. Oblatam igitur sibi ordinis negligentiam cœpit in eum ex industria vehementiùs aggravare, & piæ caritatis stimulis pectus humilitatis terebrare: tandem quasi in contumeliam pręceptum dat ei per obedientiam, ut ad agendam ibi negligentię suæ pœnitentiam, pedes eum sequeretur usque ad Stabulensem Ecclesiam. Erat ille primæva pube vernans, forma elegantissima, statura ultra nostræ ætatis homines procera, grossitudine proceritati congrua, vocalitas in eo instar tubæ altissona, prædulcis tamen, & mole corporis non indigna (claris eum natalibus ortum superiùs di-

Sancta Gontramni Monachi acta describuntur.

ximus) & apprimè eruditum officiis Ecclesiasticis & regularibus disciplinis; hæcque plerisque vagis juvenibus superbiendi solent esse multa materies: pulcherrimus juvenis tanto in se existimabat venustiora fore, quanto humiliori exercerentur obedientia: vicino igitur jubentis pede obediētiæ iter Stabulaus alacriter pedésque aggressus est, nec pudore insueti peditis motus, nec difficultate itineris exterritus. Vbi cùm lassus quassúsque tenerum corpus delicatus juvenis pervenisset, ex præcepto Abbatis, cui portarius eum jam adesse nunciaverat, ad portam atrii ad quam suscipiuntur hospites, scilicet extra Conventum Fratrum, nocte ea manere jussus est. Agebat pius Pater ex industria qualiter ejus comprobata exaltaretur humilitas. Portarius igitur pia humilitate & hilaris vultûs obedientia in tam pretioso nobilíque juvene sagaciter consideratâ, atque tam Fratribus quàm Priori Ecclesiæ, necnon & ipsi tandem Abbati in admiratione celebri facta, facile per ipsos obtinuit ut à Conventu Fratrum non differretur tam honestus támque præclarè obediens juvenis. Itaque in Conventu admissus est atque loco optimo positus, totis scapulis celsior quoque majoribus habebatur. Nocte illa Conversio S. Pauli annualis de more solemniter celebrabatur; quia ille ad Invitatorium, Hymnos, Psalmos, Antiphonas, Responsoria dulciter jugitérque instar amplissimæ tubæ reboans, attonitas aures fixósque in eum omnium Fratrum animos absque invidia delectabat. Cúmque ad illud Responsorium quod cantandum Abbati ab Armario defertur, significavit Abbas Armario, ut memorato juveni pro se cantandum deferret, eo loco quo stabat in ultimo. GONTRAMNUS suscepta cum humilitate cantandi Responsorii obedientia tam mirabili tubæ vocis suæ novitate, atque organica fistulati gutturis dulcedine totum chorum, ipsúmque maximè Abbatem permulsit, ut finito Versu & Gloria Patri, eadem hora Abbas significaret ei ad se venire, & de eo quo ultimo stabat loco eum à se secundum stare.

Itaque aliquanto ibi mansit tempore majori semper cunctis habitus admirationi & reverentiæ. Quomodò

verò

verò inde transierit Hersfeldiam nescimus, sed quòd eò transierit didicimus; quia factum eum ibi Camerarium Abbatis cognovimus. Locus-regius studiis liberalium artium, mundanarúmque rerum gloriâ egregiè præcipuus. Mansimus quoque & nos aliquamdiu apud loci illius Abbatem Fredericum, & exuberantium divitiarum ejus jugem inundantiã, & liberalium artium apud Fratres studiosam efficaciam quotidie tanquam de novo expavimus. Camerarius autem Abbatis non idem qui & Fratrum, est honor magnus; nam & pluribus abũdat domesticis, imperans eis; quæ debentur Abbati quasi tertius participat. Vbi dum moraretur, corporis pulchritudine, morúmque probitate & nobilitate, in brevi factus est celebris aulæ Regiæ, ipsi religiosæ Imperatrici maximè.

Interea primus Adelardus Abbas loco nostro & honori suo jamdudum restitutus, defungitur triginta quinque annis Ecclesiæ prælatus; famâque volante Hersfeldiæ ipsíque Imperatrici nuntiatur: nec mora apud utrosque fit deliberatio qualiter Gontramno daretur nativi soli sui honor & proprii loci prælatio, sed parvum quid esse hoc reputabant, nisi quod inter suos eum sublimandum majus multum illi peregrino honore gratiúsque posse fore asserebant. De provehendo eo Hersfeldia Imperatrixque gratulabantur, sed quòd tanto talíque viro carerent mœstificabantur. Magnis igitur muneribus ab Abbate Hersfeldiensi, maximè verò ab ipsa Imperatrice honoratum cum litteris imperialibus & commendatitiis, honestóque comitatu Metis transmittunt, ut Episcopo annuente Abbas loci nostri, quinimmo sui, sine contradictione constitueretur. Theodoricus qui tunc erat Metensis Episcopus, frater Imperatricis secundùm carnem habebatur; atque Deo ordinante contigit ut simul una die venirent ante Episcopum & Imperatricis nuntii cum Gontramno & Fratrum loci nostri missa legatio: utrorúmque audita Episcopus legatione distulit rem usque in crastinum, sed seorsum utrisque recedentibus, cùm jam profundior esset vespera, jubet Episcopus duos de obsequio suo famulos ire ante Gontramnum cum aureis suis

candelabris, necnon & flammantibus super ea cereis, usque ad illus hospitium, simúlque candelabra illa dono jubet ei relinqui, servitióque ejus & honori, quæque illi sunt suísque necessaria transmittuntur largè de episcopali curia: quo viso Fratres rem ut erat futura intelligunt, & facto mane unanimiter hilaríque vultu consentiunt Episcopo de præferendo sibi Confratre suo viro venerabili Gontramno.

Gontramnus fit Abbas S. Trudonis.

Factus igitur Abbas GONTRAMNUS Metis, & consecratus Leodii, multam paupertatem in loco nostro invenit, parúmque in ordine nostro religionis: maturiùs utrumque correxit, paupertatem ex eis quæ ab Imperatrice dono acceperat & à Regio-loco secum detulerat, ordinem ex disciplina maxima quam Harsfeldiæ didicerat. Mox qui dispersi fuerant Monachis redeuntibus, nonnullísque ex sæculo apud nos habitum vitámque mutantibus, florebat locus odorificentissimè religiosorum senum canitie, obedientiúmque juvenum officiosa multitudine: per viginti & unum annum, quibus eum præfuisse comperimus, Ecclesia nostra & temporalibus & famosissimè crescebat spiritualibus. Hujus vitæ ultimis annis domini nostri Trudonis sepulcrum frequentissimè cœpit coruscare miraculis, quæ ille studiosissimè satagebat occultare; sagaci enim pectore concipiens quod futurum erat, *signa data esse infidelibus non fidelibus* dicebat: quod non longè post illum nonnulli de nostris experti sunt, qui inter ipsa quoque miracula Deum offendere non timuerint. Nos autem qui adhuc supersumus sicut flagella iræ Dei & indignationis super locum nostrum non vidimus incepisse, ita quoque gravissima anxietate ingemiscimus adhuc quotidie necdum desiisse.

1. Cor. 14. 22.

Tempore domni hujus Abbatis Gontramni usque ad modum producta est maxima pars turris nostræ cum utrisque testudinibus suis: quia verò, ut superiùs in juventute ejus testificati sumus, forma erat elegantissima, corporis proceritate convenientíque grossitudine, delectabilis hominum aspectibus, ex eóque sonora valde modulatione dulce canorum, hunc ei contulerat honorem Eccle-

sia Leodiensis, ut summis ejus solemnitatibus indutus honorificentissimè chorum medius cantorum regeret, pulchritudine magni corporis pascens visus astantium, & dulcedine vocis tubeæ aures delectans audientium. Quid plura? talis ante eum in loco nostro non surrexit, nescio utrumne post illum futurus sit. Obiit tandem anno millesimo quinquagesimo quinto confessus & unctus; adhúcque vigete in eo toto sensu animi, disposita sapienter super stratum doloris sui re familiari, & consolata multimodis domo sua spirituali, multa dona in argento, equis, annona, ceteráque suppellectili famulantibus sibi familiaribúsque reliquit, & victum & vestitum abundantissimè usque in alterum annum ulteriúsque Fratribus suis. Sepultúsque in Ecclesia nostra jacet nunc juxta exteriorem partem templi versus aquilonem, medio parietis qui jungitur Fratrum Conventui.

An. 1055. obiit Gontramnus.

Huic successit Adelardus secundus, liberis ortus parentibus de Brabantia, de vico qui dicitur Lovinium, juxta Lovanium, atque inde diminutivato. Hic à puero innutritus est Cœnobio nostro sub Adelardo primo & Gontramno Abbatibus, honestè litteratus, neque ignarus de sculpendis pingendísque imaginibus. Post alios nonnullos Ecclesiasticos honores de majore Præposito electus est Abbas & consecratus. Magnæ gloriæ apud mundales in Abbatia habitus est, multis affluens divitiis & expensis utens sumptuosis, ut pote qui dominum habebat fortem & religiosum Alberonem, secundum videlicet Metensem Episcopum, fratrem Ducis Frederici, cui in omnibus quæ erant ipsius Episcopi nullus Principum sive Advocatorum audebat quicquam damni inferre, sed pro ejus sanctitatis reverentia & ejus timore, quia tota pendebat ab eo Imperialis curia, necnon quia toto utriusque Franciæ regno diffusa erat per nobiliores ejus parentela; ubique peccata exercebantur, & multiplicabantur bona exteriora nostra; sed & venerabilis Abbas Gontramnus ditatam Abbatiam bonísque omnibus refertam illi reliquerat, pacéque vigente & rebus affluente securus eam glorioséque possidebat. Accedebat quoque ad au-

Adalardus II. Abbas.

gendam illi divitiarum multitudinem sepulcrum beati Trudonis frequentissimis quotidie mirabilibúsque coruscans miraculis, quæ tanta toto orbe terrarum fama resperserat, ut multitudinem peregrinorum non solùm templi ambitus, sed & ipse quoque totus oppidi nostri locus ferre minimè posset.

Ab oppido namque nostro pene usque ad dimidium milliare per omnes in circuitu populares vias ad nos se dirigentes, necnon & per campos atque per prata tantus peregrinorum cœtus, nobilium videlicet liberorúmque atque popularium sexûs utriusque pene quotidie, maximè verò diebus solemnibus confluebat, ut in papilionibus tabernaculísque frondeis cortinatísque habitantes totum ipsum oppidum circumsedisse obsidionis specie viderentur, quo pro multitudine ipsæ oppidanorum domus aliis refertæ capere non poterant: tum mercatorum copia, qui vix in equis & curribus, plaustris & animalibus tanta poterant advehere quæ sufficerent multitudini peregrinæ. De oblationibus altaris quid dicam? taceam animalia, palefridos, boves & vaccas, verres, arietes, oves quæ incredibili multitudine offerebantur. Sed & linum & cera, panes & casei, nullo pondere, nullo numero, nullo æstimabantur pretio fila argentea: & vix in Claustro vesperi olympo exhaustus denariorum acervus quamplurimos recipiendo & recondendo custodes fatigabant, & præter id nihil penitus quotidie agere sinebant. Erat igitur non tam incomputabilis quàm re vera inæstimabilis peregrinorum semper venientium ad altare oblatio, & nomen beati Trudonis frequentissimis mirabilibúsque miraculis, Cœnobiúmque nostrum exuberans divitiis diffamatum plusquam toto Romani orbis Imperio. Nam si licet vera referre etiam credere nolentibus, major longè altiùs si res existimaretur erat per totum annum integrum altaris fructus, quàm omnes vel modò vel tunc Abbatiæ redditus, atque non uno aut duobus annis, sed per totum vitæ tempus hujus Abbatis Adelardi.

Pace igitur & abundantiâ securus gloriosè vivebat,

cunctísque de Regno nobis & nostris reverentiam exhibentibus. Hinc gloriosi sancti Patroni miraculis, hinc domini nostri Episcopi Metensis virtute & nobilitate ejus utriusque hominis quantacumque...... in propria quantacumque discordia in regno securus ambulabat, securus terram suam inhabitabat quicumque sancti Trudonis sive servum sive ancillam se esse dicebat. Milites verò qui de circumjacentibus villis ob infestationem inimicorum suorum oppidum nostrum incolebant, cùm adhuc esset sine omni vallo & munitione, tanta tamen pacis securitate in eo manebant, ut si fortè contigisset aliquando eos hostes suos longiùs processisse, & fugientes ut plerumque assolet, redire, hanc præstantis beneficii gratiam ex meritis & reverentia beati Trudonis haberent, quatenus ex eo loco cessarent eos inimici eorum insequi, quò primùm poterat altior pars turris Monasterii nostri videri.

Interea Abbas Adelardus II. sollicitè agens, ne tantus eleëmosynarum fructus otio totus cederet & luxui, Monasterium quod neque vetustate, neque ruinis aliquam ruinā videbatur minari, non sanè passus est præsumptuosorum hominum tam Monachorum quàm laïcorum temeritate dirui, sed amplitudine latitudinéque majus satis ordinatum muro firmissimo, columnísque spectabilibus pulcherrimo tandem opere, sed expensis inæstimabilibus reparari. Videre erat mirabile & relatu erit incredibile, de quàm longè quanta hominum multitudo, quantòque studio & lætitiâ lapides, calcem, sabulum, ligna, & quæcumque operi erant necessaria nocte ac die plaustris ac curribus gratis propriísque expensis non cessarent advehere. Ipsi quoque materiales atque in fundamento grandes atque gravissimi positi, fideliter hoc possunt attestari, qui in tota Hasbania cùm non possint reperiri, de alienis partibus comprobantur asportari. Columnas autem de Gourmatia per Renum Coloniam usque navigio deductas, atque aliunde aliàs plaustrísque invectas tanquam à Colonia usque ad nos per terram vehendas, populus vicatim funibus plaustris injectis arden-


tiſſimo ſtudio rapiebat, & ſine omni boum jumentorúmque adminiculo, per ipſum quoque fundum Moſæ ſine ponte trajectas catervatim ad nos hymniſonis vocibus perducebat? Quid plura? muro vidit conſummatum & tecto totum penè obumbratum, excepta parte aliqua, quæ inter majorem turrim & arcum grandem antepoſitum continetur.

Nec minus interea in ædificandis per Abbatiam Eccleſiis, & emendis Eccleſiæ noſtræ nobilium villis & prædiis, de oblationibus ad altare, fideliter operam dabat: nam dimidium quod habemus in Villario, & totum quod habemus in Moſcha à Comite BRUNONE de Hengebac, Eccleſiæ noſtræ acquiſivit, emptum ſeptingentis marcis. Similiter & totam villam de Stades emptam centum marcis à Duce FREDERICO: & quidquid habemus in Harches à Comite de Muſal ALBERTO: necnon & partem illius quod poſſidemus in Sarchinio. Pro his tamen plurima de theſauro Eccleſiæ diſtraxit; inter cetera quidem calicem aureum magni ponderis, & frontem auream de feretro ſancti Trudonis, aliqua etiam molendina in vadio poſita morte præventus redimere non potuit. Eccleſiæ quas per Abbatiam novas ędificavit, ſeu quas reædificari maxima ex parte juvit, ſunt hæ tam numero quàm nomine. Prima major noſtra Eccleſia; ſecunda ſanctæ MARIÆ ſemper Virginis in oppido noſtro; tertia ſancti Gengulfi Martyris in eodem; quarta in Alburg; quinta in Guimala; ſexta in Pore; ſeptima in Srafe; octava in Guebechem; nona in Dauch; decima in Strades; undecima in Mere; duodecima in Beninges; decima tertia in Horel; decima quarta in Gemapia. Domum etiam noſtram, quæ eſt Leodii, à fundamento fecit renovari.

Cúmque tot & tantis operibus (quæ ipſum quoque Imperatoris ærarium poſſent attenuare) libens ſollicitaretur, ſollicitus occuparetur, tamen à dominis noſtræ Eccleſiæ, & à tyrannis Principibus terræ non minus vexabatur frequentibus obſoniis & graviſſimis precariis: & licet oblationum altaris fructus per hebdomadam centum poſſet æſtimari libris, præter quod hac illlácque

distraxerat audax custodum fraus, & damnosa manuum magistrorum rapacitas, tamen inter has illásque sollicitudines & expensas frequenter egere videbatur & egebat, eóque intolerabilius quia à nemine sibi credebatur. Iam enim sanctæ memoriæ Adalbero secundus Metensis Episcopus, frater, ut dixi, Ducis Frederici, murus & arma páxque post Deum & Sanctos, & læta abundantia Cœnobii nostri obierat, cui succedens Herimannus, pro dissensione quam contra Henricum quartum Imperatorem moverat, eum videlicet qui sub filii sui persecutione longè pòst istis penè omnibus jam defunctis, Leodii profugus obiit, gravissimis exactionibus Abbatem quotidie, ut ita dicam, exossabat, Ecclesiásque & censum suis beneficiari majoris damni damnatione cogebat, quem usque Metis ex violentia præcepti sui pertractum, tanto mœrore gravatum remisit, ut inibi beatum Protomartyrem suppliciter exoraret, quatenus priùs somno mortis domi quiesceret, quàm Metis ampliùs reversus recideret iterum in violentas judicii ejus manus. Sed & Henricus Leodiensis Episcopus hujus Herimanni contemporaneus frequentissimè ad audientiam sibi vocatum anxiè nimis terrebat eum, & in pace esse sine gravissimo damno minimè tandem permittebat. Nam licet canus toto albicaret capite, & in senium vergens omnem æmulis videretur tollere suspicionem familiaris vitæ suæ; tamen apud eum non penitùs habebatur acceptus; quod veríisne an falsis hominum fieret suggestionibus, hoc Domino Deo nemo novit melius: sic de Abbatia multa suis beneficio dedit, & fiducia oblationis altaris nihil vel reliquit vel constituit quod luminaribus vel ceteris necessariis serviret Monasterii. Iámque eum tædebat vivere cùm neque oblatio altaris, nec multus fructus pinguissimæ tunc Abbatiæ valerent gravi sollicitudini ejus satisfacere, cessissétque loco Sigêbergæ intentus animo, si eum non retinuisset Præpositi ejus Gerardi nomine cura & devotio, quievit tandem in pace anno millesimo octogesimo secundo Incarnationis Domini, prælatus Ecclesiæ nostræ viginti septem annis.

Abbas obiit An. 18o2. Adelardus



INCIPIT LIBER SECVNDVS.

POST obitum Adelardi II. mala graviſſima & dolores ſuper dolorem mulieris parturientis apprehenderunt Eccleſiam noſtram, qualia non ſunt audita in toto unquam mundo ab illo famoſo domino Tito & Veſpaſiano Hieroſolymorum excidio, quæ in hoc ſecundo Libro altiori repetenda dignum duxi principio, ut directa per ordinem veritatis ſemita viantem gravatum longo plano relevet veſtigio. Siquidem pius multùm & patientiſſimus longanimitatis Dominus Deus non præcipiti ira, neque ſubito furoris ſui turbine ſtatum evertit Eccleſiæ noſtræ, ſed qui tunc erant temporis patientia Dei abutebantur in contumeliam, vitam ſuam magis magíſque diſtendentes in luxum & deſidiam. Itaque cæcitate ſua & contemptu miſerationis Dei, vim tandem fecerunt patientiæ ejus & longanimitati: nam quod periculoſiſſimum eſt atque iræ Dei maximum incitamentum, nolebant intelligere ſuis peccatis accedere Dei ſuper ſe flagellum, ſed eorum tantùm hominum per quos Deus puniebat ſui contemptum: unde factum eſt, ut agitati tandem intolerabili judiciorum Dei turbine diſpergerentur diverſis partibus orbis terræ, longiúſque multo ipſis corporibus exiliarentur, quàm infami nomine pòſt ventilarentur.

Igitur, ut ſuperiùs dixi, miracula ad ſepulcrum beati Trudonis quantum licuit, quantúmque humana induſtria facere potuit, occultata fuerunt uſque ad paucos annos obitûs domini Gontramni Abbatis. Intelligebat enim tanquam vir prudens non evenire ea ſuis neque ſuorum meritis, ſed admonitiones ea eſſe de vitæ & morum ſui ſuorúmque correctione, quoniam ſigna data eſſe infidelibus non fidelibus legerat. Satagebat ergo quampluri-mùm Fratrum numerum augere & meritum; quapropter ea liberaliſſima manu Omnipotentis largitoris hanc obtinuit

obtinuit benedictionem, ut omnibus diebus vitæ pax & abundantia comitarentur ejus studiosam religionem: defuncto autem eo, & succedente Adelardo II. cœperunt haberi miracula & virtutes sepulcri sancti Trudonis non tam timori & reuerentiæ, quàm ostentui & populari gloriæ. Frequentabat enim sepulcrum ejus infinitus peregrinorum numerus, neque diebus tantùm singulis sed singulorum dierum horis superveniebat multitudo multitudini atque noctis medio grandisona faciebat venientium & abeuntium inquietatio. Vellent nollent Fratres per omnes claustri irrumpebant partes; maximè quia aqua nostri qui adhuc superest putei dicebatur potata in nomine sancti Trudonis fieri medela, atque fiebat accedentibus ad eam languidis. Sed & leprosi ibidem de ea loti referuntur nonnunquam fuisse curati. Quid multa? Oratorium, chorus, templum, claustrum, pratum nocte diéque non inveniebatur à multitudine vacuum, quarum perstrepentium continua inquietatio magnæ fiebat molestiæ, & ordinis impedimento senioribus solitis & volentibus Deo servire in quiete & silentio. Iuniores verò, quibus tædio erat Religio, & disciplina odio, gratulabantur priùs occultè hac quasi necessitate se magistræ Regulæ mandata præterire. Accessu verò temporis, & frequentissimo usu peregrinæ multitudinis, tandem inverecunda fronte cœperunt ad libitum cuncta agere, locorum indifferenter abutebantur qualitatibus, & horarum tam incompetentium quàm competentium vicissitudinibus, seniorum increpationes indignanti supercilio respuere; in ipsum quoque Abbatem interdum indecenter protervire; quódque primum in anima Monachi est totius perditionis radicale seminarium, & supremum exterminandi Ordinis vixque evadendum excidium.

Interea illicitis proprietatibus ardenter studere, & à sæcularium personarum accessibus vel mediocriter non abstinere, audere quod non expediebat. Hinc quosdam superbi sanguinis effrenabat tumida recordatio, hinc quibusdam lenocinantibus modò sub murmuratu, modò palam objecta accendebat ejusdem fastûs suggestio: quo-

rum impunitas alios animo & sanguine degeneres audaciores reddebat ad similia aut majora committenda, & impatientiores efficiebat si fortè decepti dignè plecterentur regularis disciplinæ sententiâ. Ad hoc ruinosum perituræ Ecclesiæ præcipitium accedebat, ut ita dicam, lubricamentum, videlicet quia de hac vita subtrahebantur quotidie sancti & religiosi viri, qui nutriti fuerant sub disciplina Abbatis Gontramni, quantóque eorum imminuebatur numerus tantò præsumptio & indisciplinatio invalescebat ampliùs. Qui verò de illis supererant admodum pauci sibi soli cum dolore vivere, & de juvenum insolentia nec audere mutire. Quid pudore & reverentiâ nostri Ordinis teneor? Quantò longiùs ferebatur relatione peregrinorum gloriosa celebritas miraculorum sancti Trudonis, tantò & nostrorum reprehendebatur sæcularitas ex levitate morum & abusione indisciplinationis. Erat enim summa opportunitas quibusque nostri Ordinis perire volentibus ex peregrina, ut dixi, veniente & abeunte multitudine, tum ex confracti Monasterii vasta reparandáque amplitudine.

Et quia quidquid à discipulis delinquitur ad Abbatem respicere beatus Benedictus testificatur, extendit pius & tantus salutis nostræ monitor manum suam ad percutiendum Abbatem Adelardum, quia remissiùs multò agens quàm necesse esset animabus non opponebat se ad tantum animarum periculum, & ad avertendum imminentis furoris Dei exterminium. Percussit igitur eum Dominus, & sensu alienavit; ut etiam inter signa & miracula, quibus per beatum Trudonem, vitam nostrorum emendandam quotidie admonebat, ex hoc admonitos Fratres terreret, territos animadvertere faceret, quia eorum peccatis facientibus ille sensu esset alienatus, cujus ducatu regi deberent imitantes eorum gressus. Ductus itaque est Leodium ad Monasterium beati Laurentii; ibíque freneticorum more factis multis diebus in crypta beatę MARIÆ semper Virginis, curari tandem meruit ejus intercessione ad sepulcrum Wolbodonis Episcopi. Sed neque sic sentire voluit nostrorum mala cæcitas,

quàm piè, quàm cautè manum misericordiæ porrigeret eis divina miericordia, in flagello sui capitis periculum admonens totius corporis, quin magis impetu irrevocabili ferebantur ad omne quod erat eis desiderio & voluptati, captâ, ut dixi superiùs, opportunitate ex circumstrepenti peregrinorum multitudine, atque ex vasta fracti Monasterii amplitudine; tum quia si quid fortè concupiscentiæ cujusque deerat, supplebat singulis ad placitum suæ pruriginis effusissima oblatio sepulcri beati Trudonis; non enim noxias manus à tanto sacrilegio continere curabant.

Latere ipsa omninò non poterant dominos nostros, scilicet Metensem & Leodiensem Episcopos, quinimmo invidorum delatione majora satis veritate cœperunt credere, Abbatémque gravissimis exactionibus & frequentibus audientiis super posse gravare. Nam Clerici, quos in exitiale malum suum parvulos educarat inter scholares pueros nostros stulta Abbatis Seniorúmque indulgentia, rem sibi ex prima familiaritate nimis notam cum augmento deteriore per multorum ora spargebant, ipsósque Episcopos modò litterarum transmissione, modò præsenti suggestione in nostrorum omnium ejectionem, & aliorum Monachorum introductionem vehementissimè accendebant; quorum impudentes linguæ atque impudentiores litteræ plus ceteris omnibus delatoribus, plúsque ipsa fama rem semper augmentante, nostris qui eos educaverant exitiales, ut dixi, fuêre. Vnde factum est ut duo supradicti Episcopi Metensis scilicet Herimannus & Leodiensis Henricus, pari in unum conspirarent consilio, quatenus si superstes adhuc defungeretur Abbas Adelardus secundus, nunquam nostris ex nostris Abbas daretur, sed ad evacuandam irreligiositatem eorum alius aliquis Religiosus eis introduceretur. Bonum siquidem & utile consilium si magistra directione & non ira vindice esset consummatum.

Quid plura? Octavo Idus Decembris Abbas Adelardus secundus defungitur, Fratrum electio Metis respuitur, decimo tertio Idus Augusti in Capitulo nostro ab

utrisque Episcopis cum Religiosis tam Clericis quàm Monachis convenitur: affuit & Abbas sancti Laurentii Berengarius, & magnę vitæ & nominis Franco Magister scholarum sancti Lamberti religiosus. Recitantur sub omnium audientia delatrices litteræ ab iniquis Clericis maléque nobis familiaribus datæ: ascribuntur illis & illis de nostris aliæ atque aliæ criminatorum infamissimæ notæ; deinde omnibus pro hac infamia in commune Fratribus præcipitur, ut exilio longè latéque per diversa Cœnobia ferantur. Totum pondus Capituli die illa in nostros convertitur: non enim erat qui misereretur quibus jamdudum cæcitate sua obduratis longanimis Dominus tandem inveniebatur iratus. Tamen petitâ víxque impetratâ audientiâ unus ita respondet pro omnibus: Licet peccata nostra, ô Domini nostri & Episcopi, vósque sanctus tam Clericorum quàm religiosus Abbatum & Monachorum Conventus, alienent pia corda vestra à nostri miseratione, tamen debita justitiæ piíque judicii regula nunquam debet vacare ab universali matre virtutum sancta discretione. Si à Regula sancti Benedicti, quam professi sumus, hactenus utcumque deviavimus, idcirco regulam datam esse credimus Monachis, ut Regulæ prævaricatio ipsius authoritate & sententia emendetur: ita tamen secundùm eandem Regulam, ut rubigo vasis sic abradatur, ne testa humanæ fragilitatis comminuatur. Peccatis quidem nostris exigentibus licet sero tamen recognoscimus factos nos esse opprobrium omnibus per circuitum nostrum, non tamen cuncta esse vera quæ loquuntur adversum nos malignæ linguæ odio nos habentium; quapropter si canonicum hoc est, si Regulæ nostræ consentaneum, si vestræ religioni debitum, si usibus Ecclesiasticis usitatissimum, date oramus, pronísque tam mentibus quàm corporibus imploramus, date supplicamus, date piissimi Domini nobis Abbatem, quoniam noster defunctus est, cùm datus nobis ille fuerit de omnibus quibus infamati sumus, quibúsque hodie accusamur tam falsis quàm veris vocibus, magistra Regula ipsa ordinante, vobis etiam, si placet, præsentibus satisfacere & emendare parati su-

mus, qui si priùs cuique inde respondere debemus, sanctus iste vester decernat Conventus. Electus noster cùm non tantùm careat crimine, sed omni quoque suspicione mala, ísque nulla possit auctoritate respui, si nostris tamen falsis reprobatur criminibus, detur nobis quicumque vobis placuerit alius, non contradicimus, quin libenter annuimus, dummodò habentes caput purgari & emendari sub oculis ejus ex his possimus, quibus vel præsentes vel absentes arguimur.

Et quidem erat Electus ille vir peroptimus, prudens & religiosus Monachus, humana divináque pagina apprimè eruditus, diúque loci nostri Præpositus, nomine Gerardus, ex discipulis Gontramni Abbatis superstitum adhuc unus. Sed tanta fuerat, Proh dolor! infamia eligentium, ut præjudicans prævaleret adversus Electi meritum, quámque Dei benignitate & patientia abutentem, aurem cordis à clamore ejus diu averterant, effectum petitionis suæ licet justæ ...... justo tamen Dei judicio assequi non poterant. Quid plura? Solvitur tandem die illa Capitulum cum ira magna & indignatione Episcoporum, ratione & regulari auctoritate se premi dissimulantes, tamen occultè ingemiscebant; sed tanquam ministri iræ, & virga furoris Domini in nostros, etiam volentes assentiri non poterant. Satagebant ergo tota die illa simul, ut qui ferri in auxilium reluctarentur viribus & ignominiosè sequenti die de Monasterio & oppido ejicerentur; útque ejecti miseratione humana à nullo reciperentur vel in hospitio. Progressus in publicum Episcopus Leodiensis Henricus stolatus auctoritate Episcopali per bannum omnibus in Episcopio suo præcepit, ut & hospitium eis non indulgerent, ut quidquid habere invenirentur primò illis obviantes impunè distraherent. Res miserabiliter miseranda, & nisi Dei judicio accidisset, nullo Dei & hominum judicio suscipienda. Sed ne fortè in judicio duorum istorum Episcoporum occultum Dei judicium videamur reprehendere, sinamus cum reverentia justum judicem Deum peccata nostrorum per istos punire; hoc tantùm ad miseriam eorum veraciter referamus,

quod etiam non indulgentes ministros iræ Dei & virgam furoris Domini se esse, esse tamen meruerunt & pro peccatis suis peccata aliorum punire, atque ita ut non modò hoc fieret sine reverentia Monachici Ordinis, sed etiam sine compassione in homines saltem extremæ necessitatis. Quæ enim Regula, quis Canon, quis Ordo, quæ leges hoc authorizant, ut defuncto suo Abbate Monachi Abbatem regulariter petentes, & quidquid de eis vel fama mentitur, vel veritas perhibet secundùm Regulam suam vel purgare vel emendare volentes, ire ante datum Abbatem ab Episcopo in exilium compellantur, & nisi assentiant, stola & banno omnes in Episcopio Christiani ab eorum hospitalitate interdicantur? Sed cum reverentia, ut diximus, justum Dei judicium in istorum judicio suscipiamus, proximiorémque Dei clementiam indubitanter credamus esse erga illos quos dignatur corripiendo flagellare, quam quos voluit ministros iræ suæ & virgam furoris sui esse, si tamen in humilitate conscientiæ suæ sciant correctionem Dei suscipere. Episcopi nec justæ petitioni nostrorum acquiescentes, nec Deum in se nostros persequi pro peccatis tam suis quàm nostris intelligentes, spreta nostrorum digna electione & quæ reprobari non poterat aliqua regulari objectione, sicut jamdudum deliberaverant, sequenti die stupentibus oculis Monachorum introduxerunt in Monasterium nostrum LANZONEM quemdam de Cœnobio sancti Vincentii Metis Abbatem, virum quidem religiosum & inter Religiosos nominatissimum; at nihil religioni ejus detraxissent, si tamdiu à regimine Cœnobii nostri abstinuissent, donec canonica auctoritas etiam repugnantes eum ad id pertraxisset. Nam nisi me fallunt auctoritates Sedis Apostolicæ, scilicet Cęlestino Papa præcipiente, necnon & illud idem Nicolao Papa ad Carolum Francorum Regem & Egilonem Episcopum Senonensem, multipliciter iterante: „ Illicitum est in aliena stipendia quemque obrepere, & „ ex transverso venientem in castra inter quæ non militavit „ ducatum arripere: Tunc* tandem alter de altera eligen„ dus est Ecclesia, si de civitatis ipsius Clericis vel Mona-

Nicol. I. ep. 21. sub init.

* Celestin. I. ep. 2. cap. 5.

chis nullus dignus inveniri potuerit qui ordinandus sit. Primùm enim illi requirendi sunt quàm * aliqui de alienis Ecclesiis præferantur. Habeat unusquisque fructum suæ militiæ in Ecclesia in qua suam super omnia officia transegit ætatem in aliena stipendia minimè alter obrepat; nec alii debitam alter sibi audeat vendicare mercedem. Hæ sunt auctoritates Sedis Apostolicæ.

al. * illi reprobandi sunt ut

Quòd si quis dominum istum & religiosum quidem virum Lanzonem Abbatem ex eo conatur deffendere, quia faciente ipsius famosa religione consenserint in eum duo Episcopi isti de violenta ejus in nostros prælatione, audiat se inde redargui hac ejusdem Nicolai Papæ ad eundem Egilonem auctoritate. Quid autem, inquit, suffragatur consensus Episcoporum ubi non pro Regulis sed contra Regulas adunatur. Et paulò pòst, Cujuscumque itaque sit sanctitatis dono quolibet præditus, alienos non debet labores præripere; quippe cùm jubet nihil eorum quę proximi sunt aliquo modo cõcupiscere: eo ipso enim quo quisquam alteri pertinentia jura surripit, sanctitatis gratiam perdit. Nam quæ sanctitas vendicat mercedem alteri debitam? Quę sanctitas alterius sibimet fructus usurpat? Contra has ecclesiasticas auctoritates & Sedis Apostolicæ interdictiones, licet sanctus, licet justus, licet religiosus, licet suffragante illi duorum Episcoporum consensu peccatis nostrorum ita merentibus, dominus Lanzo Abbas est super nostros introductus. Donum tamen rerum temporalium & cura committendarum ei animarum delatum est ab Episcopis usque IX. Calendas Septembris.

Die verò Capituli convenerunt in Chorum ad Vesperas omnes Confratres nostri vestientes chorum formosis viris magnarum personarum, & eruditis apprimè in omnibus officiis Ecclesiasticarum institutionum. Felix quidem Ecclesia tot & talibus & tantis viris, si non iratum habuisset Deum Patrem, si pro peccatis suis vel iram ejus scivisset portare in humilitate cordis & contritione carnis. Sed quid moror? Eadem nocte intelligentes ab amicis quòd sequenti die violenter & contumeliosè contru-

derentur in exilium si in Claustro essent uniti, pavore dissoluti (ut est humana natura, & maximè formidolosa simplicitas Monachorum) fugâ sibi consuluerunt: unus tantùm eorum, Luipo nomine, exilio sibi magis quàm fuga electo transmissus est Leodium sub BERENGARIO Abbate apud sanctum Laurentium: paucissimi verò cum Abbate Lanzone remanserunt, GERARDUS scilicet Præpositus ille nostrorum electus, necnon & Blingerus, Herimannus quoque senior cum alio Herimanno nepote suo, atque Eugo paulò post missus est Metis in exilium; cæterorum plurimis per Flandriam & Angliam, Daciam & Saxoniam, Regnum quoque Theutonicorum dispersis: pars minima habitu sibi retento per diversa Cœnobia hospitabantur, pars maxima nihil sibi de Monacho retento Presbyterorum more per diversas parochias vagando ferebantur: sed & Leodii & Coloniæ post iræ Dei super locum nostrum pœnitentiam, & redditam nostris miserationis suæ gratiam, vidimus nonnullos eorum inter Clericos sub Clericorum habitu consenuisse in ordine Canonicorum Leodii in Monasterio sanctæ Crucis, necnon sancti Iohannis Coloniæ in Monasterio sancti Georgii.

Interea LANZO Abbas fultus duorum auctoritate Episcoporum cœpit strenuè de temporalibus & spiritualibus apud nos agere, advocata sibi de Metensium partibus religiosorum Monachorum multitudine; sed nescimus quo occulto Dei judicio gravissima contritus est divinitùs adversitate, dum humana forsitan nimiùm elevaretur prosperitate. Nam anno tertio prælationis ejus super nostros septimo Idus Martii combustum corruit mirificum illud & pulcherrimum opus Monasterium nostrum, quod incomparabilibus in hac nostra terra columnis & tectura irrecuperabili penè cōsummaverat pia sollicitudo Abb. Adelardi II. tantúmque fuit, non dicam infortunium, sed, ut dixi, occultum Dei judicium, ut de una domuncula, longè quidem posita, in toto oppido nostro solùm nostrum combureretur Monasterium; globus namque ardentis straminis altissimè se attollens ab incendio flam-
mivomentis

mivomentis domunculæ, dicitur visibiliter tandem corruisse super nidum ciconiæ in una duarum turrium, quæ est juxta orientales absides in australi latere, & oppidanis ad clausum ostium Monasterii concurrentibus, sed Fratribus causam nescientibus, tamdiu protelatum illis esse introitum, donec vis ignea inexpugnabile sibi præoccupasset totius domus imperium. Cecidit igitur tandem, cecidit illud Monasterium, cujus simile amplius nostrum non habebit Cœnobium, illæque mirabiles columnæ super quibus labor, expensæ, studium, opus, pulchritudo, magnitudo referri dignè vix potest, ita funditus igne resolutæ corruerunt, ut de duodecim reformari non posset una similis prædictarum. Sed à tam luctuosa descriptione paululùm hîc jam respirare oportet, & secundi libri fine terminato ad tertium inchoandum molestum animum recreare clementiori otio.

****

LIBER TERTIUS.

QUAM gravi sollicitudinum mearum pressura urgeor, tenue nimis vilitérque scissum ipse reprehendo quidquid in hac ordita tela texuisse videor. Sed quid? Si talis non fuerit res peracta, vel digna sit ita permanere, tantùm saltem conferet ex sua vilitate, quam quandoque coget erubescentem se in melius stylum commutare. Interim Lector animadvertat quod scribitur, non quàm bene scribitur.

Anno igitur Dominicæ Incarnationis millesimo octogesimo secundo obiit Abbas Adelardus II. octavo Idus Decembris; tertio verò Idus Aug. Capitulum actum est super Confratres nostros à duobus Episcopis, HERIMANNO scilicet Metensi & HENRICO Leodiensi, qua nocte dispersi sunt omnes Confratres nostri præter paucos quos superiùs nominavimus. Nono autem Calendas Decembris LANZO Abbas sancti Vincentii Metis ordine memorato in secundo libro Abbatiam nostram regendam 1082.

ſuſcepit : tertio verò anno introitûs ejus combuſtum eſt
1085. Monaſterium noſtrum, ſcilicet ſeptimo Idûs Martii anno milleſimo octogeſimo quinto.

HILDEBRANDUS Papa, qui & GREGORIUS VII. eſt appellatus, & HENRICUS IV. Romanorum Imperator, qui Leodii obiit filii perſecutionem fugiens, graviſſimis diſſidiis Regnum & Sacerdotium hac illácq; miſerabiliter diſtrahebant; quare Imperator faventium ſibi Epiſcoporum Mogontiæ Concilio habito, ſuíque Papæ CLEMENTIS appellati, Ravennenſium ſcilicet Archiepiſcopi, auctoritate ut ſibi videbatur roborato; HERIMANNUM Metenſem Epiſcopum, hoſtem imperii publicum adjudicari fecit in eodem Concilio, totóque alienari Metenſium dominio, Abbate quodam ſancti ARNULFI Metis, Gualone dicto, Epiſcopo pro eo ſuppoſito.

Interea LUIPO unus de Fratribus noſtris, ille, inquam, qui Leodii apud ſanctum Laurentium exilii ſententiam ſuſceperat, fuga exilium evadit, neceſſitate quidem eâ quia Leodienſium Epiſcopum longiùs eum velle in exilium mittere ſenſit: qui cùm per omnes quos utiles ſibi fore exiſtimabat, per ipſum quoque Imperatorem apud Abbatem Lanzonem omni humilitate ageret, ut receptus in Clauſtro ſuo, quo nutritus fuerat, ordine quo & alii venire poſſet, nullo modo impetrare valuit. At ille cum parentibus ſuis Lovanii, interdum verò Salechem, aliáſque nonnunquam (nobiliter enim natus fuerat) de patrimonio ſuo triſtis & mœrens vivebat. Sed auditis inimicitiis quæ inter Imperatorem & Herimannum Metenſem obortæ fuerant, & quia abjudicatum illi Epiſcopatum, Imperator cum omnibus appendiciis ejus, ſimul etiam & Abbatiam noſtram eadem lege habebat in manu ſua, locutus Fratribus ſuis qui Gandæ in Monaſterio ſancti Bavonis exulabant, necnon & quibuſdam qui Abbatem Lanzonem aliquantum cum eo morati tandem effugerant, ſimul etiam aliquibus qui cum eo adhuc erant. Ut multa interea hac illácque acta prætercam, ab Imperatore tandem obtinuit ut ſuſcepto dono Abbatiæ noſtræ de manu Imperatoris, per duos Comites ejus in eam in-

troduceret, Gerardum ſcilicet de Caſtello quod dicitur Guaſſenberge, & Goſuinum avunculum ejus de Caſtello quod vocatur Heineſberge. Hæc autem ea geri videbantur ratione, quia abſque electione domnus Lanzo introierat Fratrum electioni ſuppoſitus, Epiſcopatúſque Metenſium, qui Herimanno abjudicatus videbatur, in manu Imperatoris habebatur, cujus capiti inhæret noſtra Abbatia: quare Imperator Lanzonem tanquam invaſorem removere poſſe ſibi videbatur, & Fratribus noſtris ſuum electum dare. Noſtro tamen judicio non videtur cohærere hæc ratio, cùm ſi quid contra Canones actum eſſet ab Epiſcopis in noſtros de Lanzone, Apoſtolica potiùs coërcendum eſſet auctoritate, quàm illicita Imperatoris poteſtate. Sed apud mortales per mortales nihil juſtè rationabilitérque agitur, cùm rationis juſtitiæque regula Deus judex juſtus victâ patientiâ inſurrexerit iratus. Hac tamen ratione & ordine Luipo Abbatiam noſtram primùm viſus eſt intraſſe, qui ſi tum & poſtmodùm gratis & per oſtium introierit teſtabuntur ſequentia ipſius opera.

Intravit igitur ſeptimo Calendas Iunii in pompa magna militum, qua die ſecunda feria fuit Rogationum, cujus tyrannidem Lanzo veritus intra parietes ſe continuit, turrímque præoccupans cum paucis Monachis vitæ ſibi eam ſolatium fecit. Primus quidem ipſe fuit, qui turrim noſtram ſibi vitæ præſidium fecit; quæ res perniciosiſſimum poſtea exemplum noſtris fuit fiducia tanti præſidii factis rebellibus in excidium totius loci noſtri: non tamen vir religioſus ita intellexit, cùm eam aſcenderet, qui nihil ex ea niſi vitam ſibi ſervandam cogitabat, donec Epiſcopi auxilio ſalvus evadere poſſet. Sed ſeditioſus populus noſter, & ad omne quod eſt turbæ & diſſidii leviſſimus, hujus viri neceſſitatis leviter in malo potuit meminiſſe, oblata ſibi rebellandi & calumnias faciendi occaſione. Vnde ipſi aliquando meminimus & pòſt præſentes vidimus, non ſolùm oppidum noſtrum incendio prorsùs conflagraſſe, verùm turris hujus occaſione plurima miſerabilia in eo accidiſſe cum humani ſanguinis larga effuſione.

Igitur quidam de Fratribus noſtris, qui prælationem Lanzonis Abbatis ferebant inviti, ad Luiponem ſtatim ſe convertunt, beneficiati Eccleſiæ præter pauciſſimos, necnon & oppidani fidelitatem ei faciunt: Lanzo interea Letanias Rogationum intra parietes templi agebat cum paucis Monachis. Luipo per campos, ut mos eſt, cum multis de Fratribus noſtris, & turba laïcali. Homines noſtros ad hujuſmodi ſeditiones facillimos, & modò hac, modò illac leviſſimè devios uſque ad noſtra quoque tempora invenimus; quod & interdum graviſſimè experti ſumus quamdiu de Monachis ſuperſit vel unus, qui contendere de Abbatia noſtra moliretur. Quid moror? franguntur tandem ab hominibus Luiponis fores Monaſterii verſus Clauſtrum, & Abbatem Lanzonem intra turrim coactum oſtium exire non permittunt. Tandem eum in ea neceſſitatem audivimus ſuſtinuiſſe, ut aliquot diebus à pauperibus mulierculis per feneſtrulas aleretur groſſo & arido pane, vaſculóque parviſſimæ refocillaretur aquæ. Sic & ſic & hæc & illa per quindecim dies ſunt inter eos acta. Quinto decimo demum die in qua miſit Epiſcopus Leodienſis Abbatem Berengarium de Cœnobio ſancti Laurentii Leodii, & aſtu ſimplici ereptum Abbatem Lanzonem de noſtra turri, cum eodem Abbate manere fecit Leodii in Monaſterio ſancti Laurentii. Fecit etiam ibidem ei ſervire quidquid habere videmur in Siſuin, & in Iemapia, & in Villario, & in Olere; deliberans interea quid de Luipone ageret. Poſt hæc nihil moratus Luipo Metis proficiſcitur, & redditum Gualoni baculum, qui ſuper Herimannum Epiſcopus ibi dicebatur, ab eodem recipit, præſentibus ibi de Fratribus noſtris multis, & de oppidanis melioribus. Epiſcopus Leodienſis de hac præſumptione Luiponis contemptúque Eccleſiæ ſancti Lamberti, ſuis tam Abbatibus quàm Archidiaconibus totíque ſimul Eccleſiæ conqueſtus, eorum judicio Luiponem excommunicat decimo ſeptimo Calendas Iulii, Octavis ſcilicet Pentecoſtes, omnéſque adhærentes ei.

Sed heu! nunc, nunc invaleſcit materia de miſeriarum noſtrarum miſerrima relatione, ſub cujus pondere mens

collisa hebetudine sua stylum quoque hebetem facit, horrórque informis monstri & enormis materiæ timet in lucem prodire. Dicendum enim hîc erit post primam & miserabilem illam mirabili flamma faciente templi nostri ruinam, secundo vix anno & quasi calidis adhuc templi cineribus quomodò totum oppidum nostrum in una quasi favilla corruerit, & humanus sanguis non modò perustos semirutósque templi parietes fœdaverit, verùm altiùs largéque super ipsas altariorum crepidines roraverit.

Igitur Luipo quid faceret? Episcopum HENRICUM inexorabilem prorsùs sibi videt: rem igitur ad Imperatorem iterum atque iterum refert. Imperator turbato sibi Regno & Sacerdotio ægrè occupatus rem ejus usque in Curia Aquisgranensi differt: fit Curia in Natali Domini, assunt Episcopus & Luipo, longè inter utrosque post & ante Imperatorem verborum conflictus. Cedit tandem Episcopus victus terrore Imperatoris magis quàm legibus. Solvitur cum suis omnibus ab excommunicatione Luipo. Sed interim Fratribus nostris omnibus divino interdicto officio, donec dato sibi conductu veniens ad audientiam pacificè Leodii discuteretur Luipo, si quo modo posset de eo petitio Imperatoris fieri. Luipo instante die licet conductum sibi videret deesse, CONRADUM scilicet. Vlterioris Trajecti Episcopũ, qui sibi permissus fuerat coram Imperatore, tamen ad diem tendit, quem ministri Leodiensis Episcopi excipientes insidiis, juxta villam Iupiliam Leodio proximam graviter verberatum spoliant; neque tamen sic à proposito itinere prorsus deterrent. Sedit Concilium. Iubetur Luipo intrare. Ille non abnuit dummodò spoliato sibi res suæ restituerentur, & qui eum introduceret promissus ei adesset conductus. Iterum atque iterum & usque tertio vocatus, cùm superiùs dicta ratione venire nollet, tandem excommunicatur: sícque tristis ad Claustrum reversus, res domesticas disponit, & statim ad Imperatorem redit. Nec mora, fautores ejus consilio similiter habito de munienda turri nostra deliberant, & quidquid munitioni & obsidioni videbatur esse necessarium parant. Eliguntur ad tale

negotium juvenes audacissimi multarum in corpore & parentela virium, sed paucissimi consilii; ut si Episcopus Leodiensis Lanzonem reducere vellet, timor turris ab illis occupatæ eum à reditu arceret, donec dominus eorum Luipo ab Imperatore pace habita rediret. Tantáque erat cæcitas judicio Dei eorum qui videbantur in oppido nostro sapientiores & natu majores, ut non attendere vellent quàm pessimum furem haberent, quia domus Dei illis cooperantibus aut consentientibus, sive non resistentibus fiebat militum præsidium, quinimmo spelunca latronum, & sacrilegorum refugium.

Cœperunt interea novi illi castellani ædificatam sibi munitionem possidere multo Dei contemptu, & rerum Ecclesiasticarum abusione: nam cortinis & tapetibus, quibus tunc multis & pretiosis abundat nostra Ecclesia, velabant undique exteriùs novæ ædificationis suæ circa turrim ambulatoria, sub illis & circa ea protegentes se ab æstivalis solis ardore; & bibentes & manducantes luxuriosè: nam spatium Monasterii, quod est à turri usque ad arcum primum ante ipsam turrim, munitioni suæ quasi antemurale conjunxerant, & per fenestras trium simul positarum turrium trabibus ingentibus longè porrectis in giro extra turres placidum aspectu composuerant ambulatorium. Ibi, ut dixi, cortinis & tapetibus cæterísque ecclesiasticis utensilibus luxuriosè nimis abutebantur. Censum quoque & annonam, quæ pertinebat ad Fratrum præbendam, gulæ suæ & libidini prodigè nimis servire faciebant. Nam inter magnos & parvos vix octo Fratres tunc habebantur apud nos: qui enim Deum timebant, Leodiensis Episcopi dispositione per alia Cœnobia hospitabantur, & quidam vestibus abjectis Monachicis Clericali habitu exules abutebantur. Quidam verò illorum, qui cum Luipone remanserant, horum omnium malorum non tam incentores quàm etiam cooperatores existebant, & simul cum seditiosorum furore quasi oleum in igne rebellionum insaniâ effervebant. Quorum scilicet turrensium insolentiam cùm majores oppidanorum tardè quidem nimium cohibere vellent,

nullo modo jam poterant: quia parentelâ & armis, insupérque forti, benéque stipendiata munitione confidentes, ad modum quem excesserant redire jam nisi invitè nolebant; unde frequenter inter eos est rixa exorta, ínque fori medio & intra ipsum atrium cruenter pugnatum. Tunc demum peregrinorum multitudo cœpit cessare, quæ ut superiùs descripsi quotidiana concertatione ad sepulcrum beati Trudonis solebat oblationem offerre. Nam hinc illos dehortabatur horror bellicæ, immo diabolicæ faciei, quam ex armata turre impresserant latrones illi domui Dei; hinc Episcopalis terrebat interdictio, quæ sacrilegos illos præconabatur ex oblatione fidelium non debere stipendiari.

Quid longiùs moror? his & aliis innumerabilibus nostrorum præsumptionibus provocatus Leodiensis Episcopus, movit tandem exercitum ad expugnandam non jam turrim Ecclesiæ, sed speluncam latronum. Igitur Nonas Iulii feriâ secundâ obsessum est ab eo oppidum nostrum, ipséque resedit ante portam illam qua exit Sarchinium. Erat tunc temporis totum oppidum nostrum vallo fortissimo munitum, atque desuper postibus fortissimis magnísque trabulis* coronatum: super singulas portas turres ligneæ eminentiùs ædificatæ, stratæque per medium, & vestitæ per circuitum cratibus firmissimis, & nullis sagittarum acuminibus perviis. Præterea turris Monasterii fortissima quasi arx excelsa in medio oppidi instar montis eminebat, qualem non deceret tunc temporis habere Monasterium, sed civitatem bellicosissimam aut castellum Regium. Tum fortissimus Monasterii murus, qui in anteriore anno concrematis tectis adhuc totus stabat nudus, longo suo exterius gyro & amplo interiùs spatio, amplissimos & plenos securitatis præbens illis qui in turre mirabantur recessus. His namque freti munitionibus, tum multitudine maxima bellicosorum, magnæque audaciæ virorum, quibus semper abundasse oppidum nostrum scitur, prima die obsidionis frequentes temerariósque nimis faciebant in exercitum excursus, ita ut Episcopum loco moveri facerent, & majorem suorum revocare mul-

f. * tribulis, *vel* trabibus

titudinem, potuissentque non multùm timere illam obsidionem nisi propter injustam eorum causam & domus Dei prophanationem, Deum vindicem habuissent expugnatorem. Orta igitur sequenti statim die inter eos est seditio, aliis de deditione murmurantibus, aliis de repugnatione conclamantibus. Itaque invitis qui turrim occupaverant, alii quos jam pœnitebat incœpti, obsides Episcopo tradunt, ut sanis rebus suis & corporum concessa sibi incolumitate Episcopus cederet ab obsidione, oppidani à rebellatione. Sed quæ prudentia, quod consilium effugere tandem potest judicis iræ Dei judicium? Nam & ipsa pœnitentia interdum esse potest infructuosa cùm facti mali pœnitet nos, magis ne de rebus temporalibus aliquid perdamus, quàm ut Deum quem offendimus satisfactione placare studeamus.

Erat tunc temporis adhuc inter Brustenienses & Trudonenses gravissimum & antiquum belli jure dissidium, quorum alterutros nunc lancea, nunc sagitta, plerumque & gladius usque ad quamplurimos & de melioribus viris voraverat. Itaque Brustenienses intelligentes de pace facienda inter nostros & Episcopum, gravissimè ferunt, & quidquid illud sit audent moliri ad nostrorum excidium. Postposita igitur fide qua Episcopus obsides nostros susceperat, eadem hora qua ante eum venerant per quosdam recessus ultra vallum in oppidum nostrum transiliunt, nostris nihil minus quàm id suspicantibus, pro pace laudata & datis jam obsidibus, & immò remisse positisque armis se continentibus. Priùs ergo silent igne injecto, deinde pedestri populo clamoribus in idipsum concitato, deinde igne & ferro totum invadit exercitus oppidum nostrum spe prædæ, captivandorúmque cupiditate, non respicientes ad reclamantem ferméque solum relictum Episcopum, qui nihil Brusteniensium insidiarum sibi conscius ægrè nimis ferebat pro acceptis obsidibus, lacrymásque & grave suspirium dicitur fudisse, cùm victricem flammam videret Ecclesiam beatæ MARIÆ semper Virginis corripuisse. Nostris licet serò ad arma tamen audenter convolantibus per plateas, per compita, per notos

sibi

ſibi meliùs quàm illis viarum receſſus, multus hoſtium ſanguis effunditur. Hinc tamen eos igne, hinc armis circumvallantibus, inque fori medio graviſſimum commiſſum eſt prælium, armorum colliſione, & gemituoſa humani ſanguinis effuſione tetra & miſerabilis facta eſt diei illius facies, horribilis quoque & cruenta tota fori planities. Prævaluit tandem multitudo, & noſtros in atrium retrogrado cogunt veſtigio. Heu quantum ſanguinis effuſum fuit priuſquam poſſent noſtri compelli intra portas Monaſterii! Nam qui ſupra turrim erant omni defenſionis genere hoſtes miſerrimè procul & propè conterebant, etiam quibuſdam ex Monachis, qui diu poſtea nobiſcum vixerunt, acerrimè accinctis ad hujus defenſionem neceſſitatis. Miſerabile erat videre à feneſtris turris ſanctam imaginem Domini, ſanctum ſcilicet Crucifixum pendere, & in expoſitum ſancti Eucherii feretrum congredientem multitudinem ſagittas mittere. Cúmque recepti intra templi parietes qui fugæ aut neci ſuperfuerant de noſtris portas clauſiſſent, multo hoſtium dolore graviſſimo ſuorum moti occiſorum, ſpéque illecta majoris prædæ, cœpit diligentiſſimè explorare per gyrum Monaſterii parietem, ſi quem ad noſtros poſſent habere acceſſum, & fracto tandem muro ad auſtrum contra cryptæ introitum, necnon & per feneſtras cœperunt irrumpere in Monaſterium. Interea noſtri timorem & ſollicitudinem intus ſilentio ſimulantes, quantos volunt de hoſtibus intrare permittunt, ſubitáque in eos facta irruptione non tantùm trucidant, quantum ſuper ipſa quoque altaria inſilientes horribiliter immolant. Fit, proh dolor! in domo Domini cædes cruentiſſima ita ut membratim conciſorum hoſtium hac illácque plura facta congerie, viſceribúſque effuſis forte inſatiabili furentis gladii mucrone, non ſolùm parietes & pavimenta humano aſpergerentur ſanguine, ſed ipſa quoque altaria ſancti Trudonis & Eucherii ſepulcra avulſorum inteſtinorum heu, heu! polluerentur ſtercore, nec ſatis hoc erat huic tam miſerè victæ noſtrorum victoriæ; nam artus exanimes igni circumfurenti injectos hic ibi prunarum ex incendio ferven-

tissimus factus acervus, pestiferi nidoris profluente sanie miserabiliter urebat.

Hóccine portendebant, sancte Trudo, tua miracula quæ tantis priùs temporibus fiebant ad sepulcrum tuum, tot tam crebra, tam stupenda, tam gloriosa portendebant quidem, quia dum blanda commotione miraculorum tuorum non corrigeretur negligentia vitæ nostrorum, quin magis inconsideratè elati in luxu & desidia abuterentur fructu inæstimabili ad altare oblationum, meruerunt tandem experiri tam terrificam, tam gemituosam sententiam in se iræ Dei judiciorum? Intellexerat hoc longè ante prudentia sagacis mentis religiosi Abbatis Gontramni, qui quando suo primùm tempore inciperent fieri hæc signa, dicebat ex auctoritate divinæ scripturæ, *Infidelibus non fidelibus signa data primùm fuisse*: & quasi ad divinam commonitionem per ea signa melior factus & timidus, satagebat priùs multùm de occultandis quæ fiebant suo tempore miraculis, deinde de vitæ suæ & Fratrum correctione, quam prædicabat quotidie ea miracula commonere; quod quoniam nostri noluerunt animadvertere, involuti sunt tandem hac quam descripsimus miserrima vultûs sui confusione.

Quid tandem? Tota die pugnatum est, noctis supervenientis beneficio cessaverunt utrinque hostes. In toto oppido nostro nec minima domuncula die illa superfuit incendio. Nocte illa qui supererant de nostris fugâ dilabuntur, quippe qui nihil congregaverant sibi unde in Monasterio sustentarentur. Pauci qui erant in turre, & qui tantorum malorum maxima pars fuerant, licet ambigui necdum tamen illa nocte recesserunt, sed missis nuntiis ad Comitem Arnulfum de Los turrim ei tradiderunt.

Heu heu! quibus gemitibus, quibus lacrymis referam gloriosam adhuc tunc thesauri Ecclesiæ nostræ suppellectilem, quæ in ea turri comportata fuerat, à reddentibus & recipientibus turrim quibus quantísque modis distracta fuerit, quo ludibrio habita non tam viris aut matronis, quàm ipsis quoque mœchis aut mulierculis. Nudata est illa die Ecclesia nostra omni interiore sua & exteriore

gloria. Pauci de Monachis qui in ipsa obsidione gravi senecta corporis locum relinquere non poterant, miserabilem loci faciem interiùs & exteriùs aspicientes, & nihil aliud præter ruinam, nisi horribilem solitudinem, utcunque exire conantur, viámque Margueles arripientes, à nostris quoque perfidissimis, & nullo unquam Dei judicio castigatis corripiuntur, percutiuntur, spoliantur, Episcopóque Leodiensi, plectendi transmittuntur. Erant in his duo magnarum & pulcherrimarum personarum viri, litterarum artibus, & usu Ecclesiæ nostræ apprimè eruditi. Alter LIEBERTUS, cujus studio multi & optimi adhuc hodie habentur in bibliotheca nostra libri, & qui multa thesauro Ecclesiæ nostræ addiderat, quæ illo exterminio cum ceteris aliis quamplurimis bonis, non tam prædonum quàm nostrorum quoque manus sacrilegæ diripuerunt. Alter verò STEPELINUS cujus nos diu pòst sepulturæ interfuimus. Ceteri utcunque miserrimè evaserunt. At Episcopus illos præter nostrorum perfidissimorum spem illos impunitos abire permisit, episcopium tamen suum interdixit.

Acta sunt hæc octavo Idus Iulii. Interea Comes ARNULFUS de Los turrim nostri Monasterii pro præsidio habebat. Cúmque in Monasterio nostro nec puer, nec juvenis, nec senex, nec quisquam Monachorum tandem remansisset, nudósque semirutósque Monasterii & Claustri parietes solitudo cum nimio horrore nocte & die inhabitaret, erat nimis miserabile & gemituosum etiam inimicis de tam gloriosa quondam domo faciem tam tristem, tam lugubrem, támque horribilem aspicere; vespertinísque horis, necnon & nocturnis & matutinalibus pro dulci quondam psallentum Monachorum choro, stridores tantùm in ea audire vespertilionum & malè ominatos cantus ulularum. Tunc de ea dici illud aptè nimis quidem poterat, quod Dominus per Isaïam Prophetam minatur de Babylonia: *Et erit*, inquit, *Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbia Caldæorum, sicut subvertit Deus Sodomam & Gomorram.* Atque illud Hieremiæ: *Præcipitavit Dominus nec pepercit, omnia speciosa Iacob*

Isai. 13. 19.

Thren. 2. 2.

destruxit: destruxit in furore suo munitiones. Et infrà:
Ibid. 3. *Succendit in Iacob quasi ignem flammæ devorantis in gyro.*
Ibid. 5. & seqq. Et paulò pòst: *Factus est Dominus velut inimicus: præcipitavit Israël, præcipitavit omnia mœnia ejus: dissipavit munitiones ejus, & replevit in filia Iuda humiliatum & humiliatam. Et dissipavit quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum: oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem & sabbatum; & in opprobrium in indignationem furoris sui Regem & Sacerdotem. Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ; tradidit in manu inimici muros turrium ejus.* Et paulò superiùs:
Cap. 1. 10. *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus.* Possem currere penè per omnem lamentationem Hieremię super Hierusalem, & etiam ad litteram invenire possem aptissimè convenire eam ad Ecclesiæ nostræ lamentabilem miseriam; qui enim etiam nunc hodie eam aspicit intus & foris, cum tamen multo & incredibili dolore & sumptibus pars aliqua murorum, immò multa sit resarcita, ædificiorum restructa, substantia reaquisita, Fratrum numerus major, ordo & vita eorum melior; & pòst cùm adhuc florens staret Ecclesia videre eam potuit in pulchritudine sua & divitiarum gloria; parvissimum quidem est unde consoletur suam mœstitiam, cùm vix umbra sit hæc ad priorem ejus gloriam. Sed de his satis hîc dictum est.

Igitur hâc miseriâ, & majore quàm sciamus dicere, hócque Monasterio in solitudinis horrore jugiter permanente, præter quod milites Comitis Arnulfi de pręsidio turris prophanatica præsumptione frequentabant ingressum & egressum Monasterii: tandem Episcopus Leodiensis misertus miseriæ loci, tam quondam gloriosi quàm nunc ignominiosi, eodem anno parum sicut ante Augustum remisit ad locum nostrum Præpositum Gerardum, illum scilicet quem superiùs diximus fuisse ad Abbatem electum. His enim malis super locum nostrum irruentibus, & Abbate Lanzone apud sanctum Laurentium Leodii morante, posuerat eum Episcopus apud sanctum Iacobum in eadem civitate, diligens & honorans eum tan-

quam virum prudentem & religiosum. Remisit igitur eum, ut dixi, ante Augustum, ut horrea construeret, fruges colligeret, & circa exustos Monasterii parietes aliquas utcunque domunculas repararet, sepulcrúmque sanctorum Trudonis & Eucherii qualicunque cappellula circumdans præpararet, ut aliqui de Fratribus redeuntes possent incipere Deo servire, & habitaculum manendi invenire. Quâ re pro tempore & loci facultate peracta, cœperunt Fratres bini & bini redire, sed illi tantùm qui Luiponem execrantes Lanzonem noluerunt deserere. Lanzo autem Abbas novissimus suorum omnium rediit, decimo scilicet Calendas Martii die natalis sancti Eucherii. Et ut dixi pro tempore & loci facultate agere strenuè cœpit, nihil tamen unquam remissiùs agere promittens de his quæ sunt nostri Ordinis. Sed erat odibilis supra modum penè omnibus oppidanis, dicentibus eum causam fuisse malorum quæ acciderant eis. Tunc tandem milites Comitis Arnulfi recesserunt de præsidio turris, & oppidum nostrum cœpit licentiùs inhabitari. Interea dum hæc aliáque perplurima mala geruntur apud nos, & non tam volubili fortunæ rota quàm justa in nostros vindicis Dei ira, nihil firmum, nihil certum, nihil prosperum nostris esse permittitur. Metensis quoque Ecclesia, cujus nos membrum sumus, tantò aliorum fluctuum gravissima quatiebatur collisione, quantò caput cetera quælibet membra solet supereminere.

Itaque GUALO, quem superiùs diximus Episcopo Metensium HERIMANNO suppositum, videns quia nihil proficeret, quinimmo veraciter cognoscens quia se graviter apud homines infamasset, apud Deum condemnasset, quia scilicet illicita ascensione viventis adhuc patris sui cubile maculasset, pœnitentia ductus ad humillimam satisfactionem Herimanno venit coram omnibus majoribus & religiosioribus Episcopii; próque emendatione tam illiciti facinoris positus in Cœnobio Gorziensi sub disciplina, factus est custos puerorum, qui antea dicebatur Episcopus Metensium. Postea tamen vidimus eum Abbatiam suam recepisse scilicet sancti Arnulfi Metis, com-

pulso ad miserationem ejus Herimanno Episcopo super pœnitentiam humillimè pœnitentis. Veruntamen Imperator Herimannum nec sic esse quietum sinebat; statim enim contra eum & super eum Metensibus alium figuravit Episcopum, BRUNONEM videlicet Comitis de Caluch, hominem quidem nobilem sed levissimum, ínque solo mendacio gràvissimum, cujus frater GODEFRIDUS postea extitit Comes Palatinus. Bruno ergo per missaticos suos ea quæ apud nos habere videtur beatus Protomartyr Stephanus sibi usurpans, frequentibus & humillimis litteris Lanzonem Abbatem ad se venire rogat, suámque invasionem hujus viri auctoritate palliare volebat; sed viri religiosi constantia nullo modo acquiescebat, solùm habens eum pro suo & Metensium Episcopo, quo vivente videbat adhuc vacare sedem illam absque canonico judicio. Quid tamen faceret? Permanente itaque invasore illo, aut Abbatia sancti Vincentii Metis, quam cum nostra tenebat, erat illi carendum, aut ad illum quoquo modo respiciendum. De nostra quoque non bona multùm spe diutiùs præsumebat, cùm illum super se irruere quotidie metueret, & plurimis oppidanorum nostrorum propter templi incendium se intolerabiliter exosum videret. Nam cùm nocte ad matutinorum hymnos surgeret, procedere nunquam ad chorum audebat nisi stipatus armatorum manu, neque aliter inde egredi.

Pertæsus igitur tandem tantorum malorum, & jam quasi desperans ulteriùs de pace, versus Hierosolymam cœpit ordinare peregrinationem suam: toto tamen illo anno, & usque dum Leodium veniret, ita occultè quòd nullus nostrorum omnium illud unquam potuit subintelligere. Itaque contra vitæ suæ propositum, & inviolatæ in eo religionis habitum, cœpit in argentum æquè & iniquè conflare quidquid per totam Abbatiam de sua & Fratrum præbenda potuit corradere. Inter quæ constat eum tunc gravi damno Ecclesię nostræ dedisse quidquid nunc de Remhrode videntur extra dominicalia nostra esse: qui etiam silvas quæ Mere & Burlo pertinebant fecit extirpari, sumptum inde pretium servans suæ pere-

grinationi; censum verò molendini de Moisc juxta Villarium ad quinque solidos redegit, quod multis longísque reclamationibus longè post dirutum & destructum, de fortioribus quorumdam manibus labor prædecessoris nostri domini Abbatis Theodorici, Gerardi tunc Præpositi nostro tandem tempore, Follardo maximè allaborante, nostra quoque sollicitudo maximis dispendiis ad dominicalia nostra retraxit, totúmque ex novo reædificatum vix contra renitentes plurimo damno redimere potuit. Quidquid in villa Hallei habere videmur eodem tempore cuidam forti tyranno, scilicet EVERARDO de Nadelbet, culpatur beneficiasse, sumpto ab eo mulo ipsa profectionis suæ die. Sic & sic multo collecto argento æquè ut dixi & iniquè exivit de oppido nostro, nemine quò proficisceretur hoc sciente: veniénsque Leodium in crypta sancti Laurentii stupentibus nobis & omnibus qui aderant, reddidit Episcopo Leodiensi curam Abbatiæ nostræ & baculum; cappas tamen & casulas, & quidquid de Reliquiis thesauri nostri tulerat per manus Præpositi sui Gerardi ad nos remisit, sed uno tantùm die se reliquisse Fratribus unde viverent Præposito confessus discessit.



LIBER QVARTVS.

HEu, heu, heu Domine Deus, qui Lanzone recedente putabamus naufragi perditis mercibus nudi saltem portum tenere, ecce videmus nos iterum in altissimum sævientis maris profundum gravi revolvi turbine. Perpauci ergo Fratres de nostris qui jam redierant (nam præmiserat suos Lanzo Abbas qui secum venerant Metis) mittunt relationem de Abbate Lanzone quomodò discesserat, petúntque humiliter primam sibi adhuc concedi electionem, saltem post tantam loci nostri desolationem. Annuit eis BRUNO, qui Herimanno suppositus post Gualonem Metis invaserat Episcopatum: mandat

tamen se priùs ad nos venturum. Interea Præpositus Gerardus consulit Episcopum HENRICUM de secunda sua electione, & Fratrum de eo unanimitate : alter namque alteri familiarissimè sibi credebat, & quis alterum potiùs diligeret non facilè poterat intelligi. Dissuadet Episcopus, prætenta sicut & superiùs indomabili inquietudine Fratrum ; tum quia videbat Brunonem illum, à quo accepturus erat baculum, super canonicum adhúcque viventem Episcopum invasisse Episcopatum ; per quem si intraret canonicam ei benedictionem dare non posset. O Henrice, Henrice, verum quidem & pium est per manus invasoris religiosus vir intrare non debet, sed cur non permisisti hunc intrare cùm priùs posset canonicè, scilicet cùm Herimannus pacificè adhuc maneret in sua Sede. O quanta mala dehabet hodie nostra Ecclesia quæ tibi imputantur omnia, dum illum nobis prohibes promoveri, quo possent hæc & alia futura nobis mala utcunque arceri.

Itaque BRUNO paucis iterum diebus interlapsis ad nos descendit nullum habens secum de honorabilibus Metensium ; audiénsque Gerardum Præpositum nolle accipere de manu sua baculum, nullo modo eum coëgit, quin magis gavisus cuidam Fratrum nostrorum, HERIMANNO scilicet qui Calvus & Senior cognominabatur, pecunia gravissima Abbatiam vendidit. Habebat iste Herimannus germanum quemdam, virum quidem tam genere nobilem quàm prædiis à parentibus suis prædivitem, nomine Engeramnum, cujus inter cetera dicitur fuisse villa de Harfasse, & Furt : hic de suo proprio totum dedit, quod de vendita Abbatia nostra Bruno accepit. Quod audiens factum Episcopus Henricus indignatus de præsumptione voluit Herimannum excommunicare, sed obstitit instantissima supplicatio familiaris sui & amici Præpositi Gerardi, proponentis & commonentis simili re primam desolationem Ecclesiæ nostræ sub Lanzone & Luipone accidisse ; timentísque adhuc gravius quoque multum posse accidere, cùm jam populus non haberet quid sicut primò perderet, & in vindictam præteritorum dolorum facillimè

facillimè commoveri posset. Episcopus audita ratione consideratáque tempestuosorum temporum necessitate acquievit, & Herimanno neque maledixit, neque benedixit. Verùm quidem ille Herimannus non satis erat ad hunc honorem idoneus, ut pote in quo de aliquibus virtutibus nihil didicimus quod dignum alicujus memoriæ videatur, neque de sæculari neque de scientia litterali.

Interea Bruno sævissimus quidã turbo in superextantes cinerum nostrorum favillas, quæcunque nostra & ejus apud nos erant ventilata diligentissimè cœpit in omnem ventum dispergere: útque hîc taceam de plurimis tanquam minimis, inter cetera villas nostras vendidit viro cuidam forti & nobili Ottoni videlicet de Diste, patri Arnulfi scilicet Gebechen Paltehaletret Gruvali, acceptísque ab eo centum marcis traditione quali potuit ei firmavit. Inde Aquisgrani ad Curiam profectus ultro ad nos non est reversus: Nam Metenses cùm insolentiam ejus ferre non possent, stultáque ejus suorúmque superbiâ, Deo ita volente, provocarentur, armis tandem in eum irruerunt, & intra Monasterium beati Protomartyris inclusum obsederunt: sed foribus tandem super eum fractis, milites ejus hac illácque per Monasterium gladiis lanceísque confoderunt, quosdam super ipsa altaria immolãtes, quosdam ipsis altariis contortis spiculis affigentes. Itaque Bruno vix elapsus tam honore quàm nomine Episcopi ea ipsa die penitus est privatus à Metensibus. Quid ergo misera nostra Ecclesia poterat facere? Post ignem & gladium graviùs ferebat hoc damnum sibi contigisse, maximè cùm nemo esset etiamsi posset qui nostri misereri vellet: Mettis turbatio, Leodii super nos & nostra, Dei & hominum indignatio. Abbas quasi nullus, quippe cui neque pulchrum responsum pro aliqua nostra necessitate daretur.

Accidit quoque eodem tempore ad cumulum malorum nostrorum, dum in his aliísque perturbationibus nostris negligeretur Ecclesia nostra de Alboro, ut clausa diutissimè caderet tandem judicio in manibus Episcopi Trajectensis CUNRADI gravissimi & potentissimi hominis:

neque priùs inde poſſet eximi donec ampliùs quàm quadraginta libras conſtaret nobis : pro quali tunc neceſſitate venditus eſt calix magnus aureus multò pretioſior hac quantitate pecuniæ, auri valentiſſimi pondere, & mirabilium gemmarum operíſque mirifici in æſtimatione. In quo negotio multam fraudem audivimus feciſſe nobis (ſicut & ſæpiùs fecerunt hujus rei venditores & argenti portitores) maximè verò Preſbyteros noſtros, ſemper & uſque hodie Eccleſiæ Fratrúmque noſtrorum inſidiatores damnoſos. Quid ampliùs? undique concluſerat nos Dei indignatio, multorum hominum maximéque domeſticorum compaſſio applicabat ſe noſtræ miſeriæ; quin ipſa noſtra familia erubeſcebat ſe fateri noſtræ eſſe Eccleſiæ.

Cùm his tantis malis aliiſque multis quæ prætermittimus, non tam quateremur quàm funditùs erueremur, tetigit Dominus Deus cor HENRICI Epiſcopi, non noſtris meritis, ſed ipſius; & reminiſcens quanta mala nobis ac noſtris accidiſſent in brevi ſuo tempore, ipſúmque maximam partem inde fuiſſe tactus intrinſecus cordis dolore (erat enim homo pii cordis) atque graviter ſe peccaſſe inclamans in noſtram Eccleſiam, accinxit ſe ad ſuccurrendum ei in quibus laborabat, & ad parcendum in quibus ulteriùs peccaret humanitas. Primùm igitur decem marcas de proprio miſit ad reparandam Eccleſiam ſanctæ MARIÆ ſemper Virginis, quæ combuſta fuerat tempore noſtræ obſidionis.

Deinde OTTONI viro illi forti & nobili, qui villas noſtras à BRUNONE emerat minaciter interdixit, ut de bonis Eccleſiæ noſtræ nullo modo ſe intromitteret, alioquin eum excommunicaret: non enim poterat eſſe ratum quod contra Dei & hominum leges inde fuerat factum. At ille non acquievit. Mandante ergo Epiſcopo nobis, Fratres & multa familia Eccleſiæ tam militum quàm peditum cum feretro & reliquiis ſancti Trudonis Hales ad eum veniunt; qui verò ad Gnebechen & alias villas noſtras pertinebant, quas Otto ſibi uſurpaverat, nudati pedes, laneíſque induti miſerabili cultu, maximóque ululatu ex

altera parte fluminis Sanctis nostris occurerunt, ita ut etiam ipsum Episcopum com pungerent ad lamentationem. Itaque cum grandi suorum nostrorúmque processione introduxit Episcopus sanctos nostros in Gnebechen, celebratóque ibi in Ecclesia divino sacramento, interdixit ante altare Ottoni Episcopali auctoritate villas nostras, satisfaciens omnibus qui astabant ratione quia non posset stare illa venditio, quam fecisset non Episcopus sed fur & latro: habuítque de præsenti sermonem ad populum nuntians ibi, *Væ homini illi per quem scandalum venit:* Sícque nostris in pace & lætitia magna dimissis Episcopus ipse ibi prope ad sua pernoctaturus pertransiit. Matth. 18. 7.

At Otto nec sic quievit; nam recedente Episcopo ut priùs illa omnia sacramento sibi mancipavit. Contigit autem Deo ita ordinante pacis die illo illum præsumpsisse; quod audiens Episcopus, ut erat vir valde potens, nec minus nobilis indignè admodum tulit, veniénsque Leodium paribus illius majoribúsque sui Episcopii conquestus est acriter contemptum suum & pacis violamentum: quorum judicio tamdiu persecutus est Ottonem, ut reus adjudicatus ad satisfactionem tandem venire compelleretur, & non solùm villas nostras sine ulla nostra exfestucaret redemptione, verùm Episcopo per gratiam ipsius centum marcas persolveret. Sic Deo miserante, sanctóque Trudone intercedente, Episcopo verò miro studio allaborante recepit Ecclesia nostra bona sua & tenet usque hodie.

Interea authore hujus mali Brunone ab urbe Metensi & Episcopio irremeabiliter, ut superiùs dixi, expulso, Herimannus Episcopus ad suam rediit sedem, non tamen adhuc satis securus propter Imperatorem, qui mandans se citò venturum ad nos præcepit non Herimanno à Brunone Abbati posito, sed Gerardo Præposito, ut pararet ei servitium suum, Herimannúmque nunquam adducerent ante conspectum suum. Dúmque Leodium venisset, volebat ei jurare super sacramenta cum undecim secum adductis liberis. Engeramnus germanus Herimanni quòd de bonis Ecclesiæ nihil datum fuisset pro fratre suo

Abbate posito, sed de suo totum, nihílque ampliùs inde vellet exigere. Quod Episcopus benignè audiens rem distulit usque in loco nostro, ubi cùm venisset nulla voluit nos communione suscipere, donèc absolveret nos à banno quo dicebat nos teneri pro excommunicato illo Brunone. Cúmque altero die sedens in cella Abbatis de negotiis suis strenuè ageret, prandiúmque illi ingens ex damno nostro paratum interea expectaret, inter plures oppidanorum nostrorum, qui ante eum ad placitum vocati fuerant, unus eorum ita protervo ore, indignanti supercilio præfatus est: Hiccine est, viri optimi, Episcopus qui facta in Ecclesia ista & oppido nostro tanta seditione de suis Abbatibus, nostra omnia incendio fecit cremari, & parentes nostros nobis vix elapsis gladio cruento jugulari? Et ecce nunc in conspectu filiorum cum miseris incendii nostris reliquiis contendit judicio, cui non deberet rependi, nisi mors pro tanto nostro nostrorúmque excidio. Subintelligens hæc verba Episcopus rem diligentiùs interrogatam alto silentio dissimulat, secretéque sibi parari equum suis secretariis mandat, habénsque in verba quòd foris super campum nepote suo se Leodiensi Episcopo deberet occurrere, Hoïum statim citissimè tetendit, neque ultra ad nos aut nostra est reversus. Excepto autem damno quod de magnificè sibi parato servitio afflictæ Ecclesiæ nostræ, duos ei Herimannus equos transmisit, pro quibus molendinum de Stades in vadio positum fuit. Sic & sic inter Episcopos & Abbates quotidie ibat in deteriùs Ecclesia nostra, Herimannus verò ita remansit in Abbatia.

Dum hæc & illa aguntur per annos aliquot Luipo jamdudum sine spe auxilii ab Imperatore redierat, adhúcque cum parentibus suis Lovanii hac illácque manebat, ubi gravissima, ut visum est, infirmitate correptus; fuerunt enim qui eam simulatã fuisse dicerent, ut taliter absolvi ab Episc. posset, & ad Claustrum suum redire, cùm quasi de vita desperare videretur per parentes suos; nobiliter enim natus fuerat: hoc effecit ut absolutus ad Claustrum suum si fortè vivere posset referretur: sed citò convaluit, &

cùm reversus, redeuntibus quoque Fratribus nostris, privatus manere cœpit. Reversi autem majori parte Fratres cùm diutina longáque nimis Dei animadversione extriti & emendati esse possent, obliti sunt citiùs & prætentarum culparum suarum, pænarum pro his subsecutarum, de vita sua, de religione magis, ut ita dicam, deteriorantes quàm emendantes; & cùm experti fuissent quanta per altercationes passi essent, haberéntque ex seipsis modò Prælatum per quem nullo modo gravarentur si vivere vellent quietè: ita agere noluerunt, sed verbis & factis suis miserrimè illum quotidie affligentes, ut ranæ bacellum conculcabant de substantia Ecclesiæ penè annullata, de combusto reædificando Monasterio, de reparandis à fundamento officinis & claustro, nulla eis aut minima cura erat; sed ventri tantùm & eis quæ sunt ventris servire, portionésque grandes piscis & mensuras vini exigere. Hinc lites horis & locis incompetentibus & competentibus quotidie, hinc maledicta, hinc convitia in miserum illum Herimannum sine ulla miseratione.

Parvo interea præterlabente tempore ambo Episcopi moriuntur, Herimannus Metensis, Henricus Leodiensis. Imperator autem in Longobardia morabatur. Sícque factum est ut quisque terræ nostræ potentium quantum vellet usurparet sibi quæ suis adjacebant vel interjacebant partibus. Igitur Comes Henricus Lovaniensis, cujus defuncti frater Godefridus Comitatum tenuit, qui etiam primus Lovanensium postea Dux extitit. Iste quidem Henricus potentior tunc habebatur in nostris partibus. Et quoniam mortuo Henrico Episcopo, nullóque ei alio substituto non erat qui Ecclesiasticæ rei resisteret, viribus etiam sæcularibus, neque ipse etiam Dux eum offendere auderet, Luiponem in Abbatiam nostram restituit, Fratribus ita volentibus, laïcísque partim assentientibus, partim contradicere non audentibus. Sic itaque Herimannus de Abbatis honore & nomine irrecuperabiliter ejectus, in claustro nostro mansit quietus quidem, & nullum unquam inde scandalum movens: qui nobiscum tandem gravissimo languore & longo multùm

consumptus, atque priùs in paupertate propter loci desolationem magnam, & multa angustia cruciatus, præter ossa & nervos tensámque desuper cutem pallidam nihil habens vigoris, penè hominem vivens exutus, tandem confessus unctus & communicatus præsentibus nobis obiit, atque in Fratrum cimiterio sepultus est. Dies verò qua hoc Herimanno ejecto Luipo intravit, fuit translatio sanctorum Trudonis & Eucherii 3. Idus Augusti, defuncto eodem anno in diebus Pentecostes Episcopo Henrico; qua etiam die sub Herimanno Episcopo, & Henrico supradicto Capitulum illud ante actum est, quo Fratribus nostris expulsis Lanzo Abbas sancti Vincentii Metis apud nos quoque Abbas constitutus est. Nunc verò quidam Canonicus sancti Lamberti, OLBERTUS nomine, Præpositus in eadem civitate in Monasterio sanctæ Crucis, jamdudum ad Imperatorem in Longobardiam profectus fuerat spe adipiscendi Episcopatum Leodiensem, sicut & adeptus est. Videns ergo Luipo opportunitatem temporis ad confirmandum se in Abbatia nostra circa autumnum & ipse ad Imp. in Longobardiam profectus est.

Nemo me mordeat, nemo mihi detrahat, si veritatem loqui ipsa veritas me compellat, ipse animæ meæ terror de mendacio, ipsa Dei per sanctam Scripturam comminatio: nam *omne mendacium à diabolo est*. Et, *Os quod mentitur occidit animam*. Historiographi debitum est nec assentatione, nec amore, nec odio, nec terrore à veritatis tramite declinare. Scribam ergo Deo teste sicut à multis didici, & ut veraciter exquirere à Fratribus quoque potui qui erant apud nos tunc temporis, qui mecum postea inde ore ad os ista sunt locuti. Sed quid rem prophanam verbis juvat multiplicare? Gravissima pecunia, LUIPO, hoc ibi effecit apud Imperatorem, ut OLBERTUS factus Episcopus, Leodiúmque reversus & consecratus, secundùm jussionem Imperatoris eum consecraret in Abbatem sancti Trudonis, de qua persolvenda illis quibus constituerat Imperator, & aliis quibus ipsemet promiserat, multa fœda & illicita placita visa sunt ipsa etiam die quo inductus fuerat ut consecraretur. De quibus honestius est

Iohan. 2. 21. Sap. 1. 11.

silere quàm loqui: hoc tantùm sufficiat, & nimium sit dixisse, quia neque priùs neque tunc intelligere potuimus eum secundùm Deum intrasse, qui paulò pòst gravissimè ingemiscens de malis quæ per eum apud nos acciderant, & conscientiam suam infirmam crebris prodens suspiriis accingere se videbatur ad diluenda peccata sua per multas eleëmosynas, & per suscipiendos pauperes & peregrinos, & interdum etiam leprosos lavandos, tergendos, manibúsque propriis ungendos.

Acer quidem erat constánsque & intrepidus ad resistendum violentiæ Advocatorum, tanquam generosè natus de libertate & familia Lovaniensium. Parentibus verò suis & curâ domesticâ profluus nimis & gulosus, plura victus & vestitus effundebat quàm in Fratribus, & quæ interdum tolerare non poterant Abbatiæ reditus, unde & ruricolas in precariis frequenter nimis aggravabat. Cultor tamen agrorum & nutritor pecorum habebatur strenuus. Quædam temporalia quidem in manibus ejus prosperabantur, sed de tenenda aut emendanda religione pristináq; morum Fratrum qualitate neq; terror, neq; respectus aliquis apud eos habebatur. De reparando Monasterio & claustro quædam incipienti illi parum succedebant; nam quod memoria dignum sit nihil inde egit: quartam tamen illam partem claustri, hoc est domum tantùm quæ est ad occidentem inceptam per Lanzonem Abbatem, ipsam consummatam texit, & interius sursum & deorsum sine omni cultu reliquit, in qua posteà tantas fieri commutationes officinarum vidimus, ut nesciamus quo magis nomine eam appellemus.

Quodam tempore diebus messis valde æstuans, lassúsque de agro reversus, cùm vespere multùm bibisset cum domesticis suis, multum lætatus stratóque sanus repositus, media nocte inventus est membris penè omnibus in eum emortuis, ita ut neque loqui, neque movere se posset, deteriúsque semper & deteriùs ageret, víxque utcumque usque ad Primam vivens, diluculo tandem expiravit, neque confessus, neque unctus, neque communicatus. Obiit autem Calendas Augusti vix post consecra-

tionem suam vivens in Abbatia duobus annis, sepultúsque est in Monasterio nostro. Quo etiam anno Præpositus Gerardus mortuus est priùs confessus, unctus & communicatus; sicque in bona memoria ad patres suos in Monasterio nostro est appositus.



LIBER QVINTVS.

CONSIDERATO lugubris miserabilísque operis instanti pondere qui superius heri ter exclamaveram, nunc septies atque multo crebriùs illud idem exclamare in assumenda mihi materia opus haberem, nam quo altius provehor terribiliores fluctus in faciem mihi consurgere video. Igitur defuncto Luipone per quem ante Abbatiam, & in Abbatia navis Ecclesiæ nostræ onerosa peccatis nostris in gravissimas syrtes defluxerat, & inexpleta charybdis voraverat, quidquid fructus & decoris in domo Dei intus & foris apud nos fuerat. Dux Godefridus qui postea Hierosolymam profectus est, totam Abbatiam nostrã suo mancipat servitio. Necdum reparata erant templi & claustri nostri ædificia, sed Fratres quasi in tuguriis circa exustos parietes hac illácque habitabant, parum apud eos religionis, minúsque consilii, inter quos erat quidam Herimannus nepos superiùs dicti Herimanni, nobiliter natus, & à puero claustro nostro innutritus, simpléxque sine prudentia, tacitus & patiens ad sufferendas injurias, sed obstinatus ad occultè ulciscendas, facillimus ad quodvis præsumendum, sed pertinacissimus ad non dimittendum. De liberali scientia insulsus, usu Ecclesiæ nostræ tantùm exercitatus. Hic laïcorum suggestione corruptus, & partim eorum qui propter Luiponem turrim olim occupaverant, ex dono Ducis GODEFRIDI superiùs dicti providentiam invadit totius Abbatiæ nostræ, sperans sic tandem ipsum & nomen & fructum obtinere posse.

Huic damno Fratres vehementissimè reclamabant, tum quia

quia ad talem curam eum inutilem esse omninò sciebant, tum quia metuebant, ut evenit, de promissa ab eo Duci pecunia, pro eo dono totam vastandam Abbatiam. Vicit tamen dulcis violentia corrasáque est illi modò hinc, modò illinc cum maximo damno Ecclesiæ gravis nimis pecunia: nam soli nostri homines de Testrebant usque ad sexaginta marcas inde persolventes, mendicare tandem compulsi sunt, qui priùs fuerant divites. Quid singula enumerem? undecunque fuerit corrasa, centum marcas nescio quantum excessit summa. Sic & sic, & sic & sic pauci etiam qui apud nos tunc erant Fratres summâ vivebant inopiâ, nudi turpiter & famelici intolerabiliter. Quidam verò ab intrantibus Monasterium, ut ipsos ore proprio audivi conferre, stipem interdum petebant, aliqui eorum qui à parentibus suis, cognatis & amicis aliquid accipiebant, inde aliquandiu tenuiter nimis victitabant, aliqui si quid in libris aut vestimentis haberent quo patientiùs carere possent vendentes, panem inde emebant.

Herimannus autem laïcorum consiliis similiter addictus, eorum etiam qui habebantur de stultioribus nunc apud Episcopum Olbertum, qui Henrico successerat Leodii, nunc apud Archidiaconos, ceterósque aulicos promittendo, dando, mentiendo voces Fratrum pro necessitatibus suis clamantium ad effectum aliquem pervenire non sinebat. Audiens autem quia prævalente apud Imperatorem Ecclesia Herimanno Poppo successerat, magno laïcorum stipatus agmine, sed nullo omninò de Fratribus nostris sibi comitante, ad eum tetendit, & quibuscunque pravis modis solet illud fieri, donum ab eo Abbatiæ ambire cœpit. Aderant ibi aliqui de nostris Fratribus missi à ceteris, legationémque Ecclesiæ nostræ, necnon & Leodiensi Episcopo canonicam offerebant, simúlque & Trevirenses litteras, quibus Herimannum inter minas quidem & verbera, direptionémque caballorum suorum & vestimentorum, quod Abbatiam sibi non debere dari constantissimè rationabilitérque confutabant. Sed quid? prævaluit pecunia, prævaluit adversus

Fratres laïcorum malitia. Data est Herimanno hac auctoritate Abbatia. Fratres inde reversi, laceri, spoliati, & pedites per tam longum pérque tam difficile iter, rem per ordinem Ecclesiæ beati Lamberti, Episcopóque lacrymabiliter conquesti sunt, & damna Ecclesiæ quæ nunc eam pressuram metuebant, suíque victus & vestitus extremam inopiam: Victi tandem sui contemptu, & nostrorum miseria etiam illi quos transversos aliquando agebat Herimanni pecunia, accedunt Episcopum ut ad audientiam faciat venire Monachos & Herimannum. Vocatur semel & iterum ac tertiò Herimannus, tandémque venire nolens canonica persecutione excommunicatur & damnatur. At veritus Episcopum ne sicut disponebat manu militari ejiceret eum, oppidum nostrum exivit, & apud villam nostram Hales aliquandiu multo damno Ecclesiæ commoratus, transivit ad Comitem de Lemburg, HENRICUM nomine, majorem tunc temporis Advocatum Ecclesiæ nostræ: sperabat enim per eum se posse recuperare quandoque Abbatiam aut se afflicturum eam, sicut fecit frequentibus damnis & multis irruptionibus.

Interea necdum cessante dissidio, quod erat inter Metensem Episcopum & Imperatorem Henricum, Imperator partem illam dominicalem, quam Metensis Episcopus apud nos habere videbatur, tradidit in beneficio Comiti ARNULFO de Los: quod indignè ferens HENRICUS Comes de Lemburg, quoniam major apud nos erat Advocatus, introivit oppidum nostrum cum aliquantis equitibus, usurpans sibi quod Comes Arnulfus in eo habere videbatur. Adduxerat etiam secum tunc Herimannum, ut in Abbatia vi restitueret eum. At Fratres tanta unanimitate & constantia spreverunt eum, ut neque signum facere, nec divinum officium facere vellent, quamdiu eum sciebant intra septa Monasterii nostri aut atrii esse. Terroribus, minis, blanditiis per homines Henrici Comitis frequenter pulsati, nullo modo movebantur. Ille verò interim in angulo unius nostri spicarii, ad quem accedentes fautores ejus homines levissimi, & nullius boni inter nostros testimonii sive consilii animabant eum ad

perseverandum in proposito, & contra Henricum etiam conviriis inflammabant ad vindicandum terribiliter in nos contemptum suum de Abbate suo. Interea Comes Arnulfus collecta suorum ingenti multitudine Comitem Henricum aut in oppido nostro occidisset, aut dedecorosè ejecisset, nisi orantem ita suppliciter per nuntios suos Comes GODEFRIDUS de Lovanio, qui postea Dux extitit, interponendo se illum eripuisset, cujus conductu sanus evadens abduxit quoque secum Abbatem: statimque apud nos & signum horæ tertiæ sonuit, & divinum officium quod propter eum dimittebatur fieri cœpit.

Vtraque ergo repulsa Comes HENRICUS gravissimè efferatus Herimanno apud se collocato, quæcumque de nostris poterat invadit, dissipat, affligit, suisque ut similiter faciant præcipiendo præcipit. Quis referre totum queat quibus quantisque malis distracta tunc temporibus bona Ecclesiæ nostræ, aut prorsus in perpetuum sunt nobis sublata, aut nimia longáque afflictione nobis penè ampliùs inutilia reddita? Nam Dux GODEFRIDUS qui postea Rex Hierosolymorum ibidē obiit, nostra sibi quęquę erant in Hisbania in Testrebant servire ad libitum faciebat; Comes Henricus quæ erant circa & ultra Mosam, & in Rupuaria & circa Renum; Comes HENRICUS Palatinus quæ habere videmur super Mosellam. Ab illa die invasam nobis Ecclesiam de Fonce non longè à Metensi urbe, nunquam postea rehabere potuimus, quæ adhuc Lanzonis Abbatis tempore, & longè pòst adhuc ut nostra possidebatur. Præterea villici nostri, & quidam de beneficiatis hominibus Ecclesiæ nostræ quidquid eis placuit, quidquid melius eis tunc visum fuit suis attraxerunt villicationibus, suisque feudis, nobis modò volentibus ea recipere afferentes jura sua fuisse antiqua, legalíque beneficii aut villicationis possessione. Vlli ergo mirum sit si in gloria & divitiis attenuati hodie humiliter vivimus, cùm magis mirandum diligenter attendentibus possit videri quomodò inter tot loci nostri desolationes vel tantum relictum est, quia congregatio apud nos esse & Abbatia appellari possit. Itaque paucissimi tunc tem-

poris apud nos Fratres remanserant, nullus apud eos ordo, nulla religio, ut potè qui victus & vestitus necessitate afflicti fame & frigore penè interibant, & qui neque claustrales officinas habebant quibus suas necessitates occultarent, tantáque fuerat miseria, tanta desolatio, tanta rerum distractio, ut desperantes plerique vel ipsum nomen Abbatiæ loco posse remanere satagere viderentur, ut Clericorum præpositura fieret, & sex aut septem sub se Clericos haberent.

Inter hæc & cetera innumerabilia mala cùm penè annullata esset nobilissima illa & famosa quondam Abbatia nostra, tandem miseratio divina tetigit corda Leodiensium, habitóque simul frequenti colloquio, cœperunt viscerabiliter tractare quomodò desolatæ & penè annihilatæ Abbatiæ subvenire possent. Sed quoniam temporale bonum nostrum ad Metenses pertinet, curáque animarum tantùm ad Leodienses erat, aliqui inter eos, ut plerumque fit qui ad subveniendum nobis non multùm erant attenti, dicentes hoc tantùm ad eos pertinere cui debebatur annualis reditus nostræ Ecclesiæ, Leodiensésque non debere nobis Abbatem donare, sed tantùm ordinare: è contra sapientiores & religiosi asserebant canonicè hoc posse facere Leodiensem Ecclesiam, útque cura animarum & consecratio Abbatis ad eam pertinebat, & Metensis Eccles. nobis subvenire non poterat propter tribulationem suam, Leodiensis Ecclesia Abbatem Ecclesiæ curæ suæ provideret atque ordinaret, ita ut nihil ex his quæ debebat Metensi detraheret: non enim esset leve ferendum tantum locum, tantum nomen, tantum quondam honorem negligentiâ Metensium annullandum esse ab Ecclesia Leodiensium.

Quærebatur ergo diligentissimè si quis superesset de filiis nostræ Ecclesiæ cui idoneè committi posset cura subveniendi matri suæ. Aiunt Fratres nostri necnon Clerici & laïci qui eum cognoverant qui Gandæ in Monasterio sancti Petri moraretur unus de nostris Fratribus, nomine THEODERICUS, qui à loco nostro recesserat sub contentione Abbatum Lanzonis & Luiponis. Hic si

possset extrahi inde idoneus illis videtur ad regendam Abbatiam, quoniam theutonicâ & gualicanâ* linguâ expeditus, liberalibus artibus egregiè eruditus in prosa & versu nulli esset suo tempore secundus, dulci & altissima sonorus vocalitate brevis sed pulchra persona, mediáque ætate, qui etiam Fratrum suorum infirmitatibus meliùs sciret compati tanquam à puero illis connutritus, & qui viderat & audierat mala quæ passi erant in suis tribulationibus. Quid plura? Gavisus est inde Episcopus OLBERTUS & Ecclesia Leodiensis.

f. * Vualonica.

Electum igitur à Fratribus eum necnon Clericis & laïcis vix tandem de cœnobio S. Petri Gandæ litteris & missaticis suis abstrahit, & ducit eum Aquisgrani, facit eum accipere donum Abbatiæ nostræ de manu Imperatoris, sicut mos erat tunc temporis. Hoc idcirco per manum illius factum est, quia Imperator quidquid beatus Protomartyr in partibus nostris habere videtur, suo juri mancipaverat, propter Popponem Episcopum Metensem, qui Episcopatum absque dono & consensu Imperatoris obtinebat. Adhuc enim Imperator hoc in toto regno suo jure antiquo possidebat, ut absque dono ejus nullus in eo constitueretur Episcopus. Nunc autem quia, ut dixi, Poppo absque dono & voluntate Imperatoris Episcopatum Metensem intraverat, & hac de causa Imperator quæ sunt apud nos Protomartyris suo juri mancipaverat, necessitas hoc fecit, ut de manu Imperatoris baculum de Abbatia nostra reciperet, ne longa inter Imperatorem & Episcopum decertatione locus noster miserabiliter desolatus interiret. Quandiu ergo Aquisgrani erat eunti illac & & moranti ibi Episcopus obsonium illi dabat, quique suis expensis reducens eum Leodium tamdiu ibi secum tenuit donec ordinatum ad Abbatem per semetipsum ad nos adduceret, & loco Abbatis posito, Fratribúsque & populo commendato, omnibus diebus vitæ suæ consilium & auxilium suum ei in auribus omnium præsto fore promitteret, dummodò strenuè agens de loci recuperatione propter nimiam ejus desolationem non desperaret. Datus est ei baculus 3. Calendas Februarii Aquis-

Abbas eligitur Theodericus.

grani, consecratus est in Abbatem & Sacerdotem Nonas
1099. Martii Leodii, anno ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimo nono.

LIBER SEXTUS.

POST varias Abbatum commutationes, post obitum Abbatis Adelardi II. ut retulimus, certam annorum seriem propter violentias eorum, & frequentes ejectiones & regressiones singulorum nequaquam tenere potuimus. Nam ibi nullus legitimus ordo succedentium sibi Abbatum servabatur, sed quàm citiùs quisque poterat æmulum suum ejiciebat, istéque quàm minus poterat illum præesse sinebat, observari facilè certus annorum numerus non potuit, de singulis maximè, etiam si posset cum familiari semper nostris negligentia nemo erat qui operam impenderet. Superiùs igitur repetens, ab obitu scilicet Adelardi secundi usque ad introitum Abbatis Theoderici in Abbatiam annos continuabo, & quod aliorum interpositorum schisma dirupit, per duos istos renodare studebo, notatis ex obitu alterius & alterius introitu annis Incarnationis Domini. Abbas Adelardus secundus obiit anno MLXXXII. Incarnat. Domini: Abbas Theodericus intravit Abbatiam anno MXCIX. ejusdem Incarnat. fuerunt igitur ab obitu Adelardi secundi usque ad introitum in Abbatiam Theoderici Abbatis XVII. anni, quos inter se compleverunt, iste plus ille minus, Lanzo, Luipo, Herimannus & alter Herimannus de Abbatia contendentes, & nullum certum tempus invicem habere permittentes.

Anno igitur ab Incarnatione Domini MXCIX. post longas & diuturnas mortes quibus à domno Abbate Adelardo secundo usque ad ea tempora de Ecclesia S. Trudonis omnis vicinia desperaverat, quidam THEODERICUS ejusdem loci antea nutritus ad eandem Ecclesiam regendam à domno OLBERTO Episcopo & primis Leo-

diensium, tertiis jam missis litteris à Flandria Monasterio S. Petri Gandæ tandem est revocatus, nescio magis an coactus, & Nonas Martii Presbyter & Abbas loci nostri consecratus. Quantam desolationem intus & foris invenerit, crede omnis mihi qui hæc legis, quia nulla vi ingenii possum exprimere, nullaque facultate exponere sicut veritas se habuit: nam de toto Monasterio præter turrim nihil tectum habebatur, quin interioribus parietibus collapsis exteriores vastissimè patebant, continentes in medio vilissimam capellam super sanctorum Trudonis & Eucherii sepulcrum. Nostri autem post combustionem templi, cùm sanctuarium stante adhuc firmissimè muro fortissimo facili sumptu possent cooperuisse, totum potiùs funditùs diruerant, & majus stulta temeritate orditum voluta jam crypta usque ad fenestras cancelli illud produxerant. Ad quod opus ferventissimè accinctus domnus Abbas Theodericus brevi tempore quidquid etiam superiùs à fenestris cancelli pulcherrimo opere consummavit, duobúsque pilariis cum superstantibus illis parietibus juxta chorum ædificatis, totam illam partem Monasterii quæ est ab arcu super sepulcrum S. Trudonis ad partem Orientis cæmento plasmavit, calce dealbavit, fenestris vitreis decoravit, cælatura continuavit, tectámque superiùs pavimento linivit inferiùs, similiter & cryptam quam volutam tantùm invenit, ceteris omnibus quæ deerant consummavit, atque in honore B. Proto-martyris Stephani principale in ea altare dedicari fecit.

Anno Domini millesimo centesimo secundo dedicata est crypta nostra à domino Olberto Episcopo Leodiensi ad instantiam domni Theoderici, qui de villissima capella supra sepulcra Beatorum Trudonis & Eucherii introduxit nos in eam cryptam Cantardi, quæ dies visa est nobis & fuit immensæ lætitiæ, cùm in ea jam inciperemus secundùm ordinem & orationes facere, & in choro stare, & ad altare procedere, quod nullo modo poterant priùs Fratres per multos annos in angustia capellæ. Nam ab ea die qua vetus Monasterium dirutum fuerat, & no- 1102.

rum combustum atque discissum, inter ceteras desolationes & calamitates quas Fratribus accidisse superiùs retulimus, ordo & disciplina prorsus abolita fuerant, maximè loci positura deficiente in qua teneri possent. Quæsitus est unus de antiquioribus Fratribus vix præ senectute seipsum valens regere, Custos puerorum, qui stante adhuc veteri Monasterio viderat disciplinam eorum & ordinem Fratrum. Itaque paulatim cœperunt reviviscere quæ erant Religionis, & frequenti in Capitulo collatione abundantiùs proficere.

Postquàm verò eduxit nos de crypta in chorum pulcherrimum, & in partem illam Monasterii quam partim ædificaverat, partim reformaverat, & sepulcro beatorum Trudonis & Eucherii usque in finem operis versus Orientem, cum augmento lætitiæ cœpit & religio augmentari, & Fratrum numerus aliquantulum crescere. Hoc autem vehementissimè impediebat, quia officinas claustri Fratres paucissimas atque illas vilissimas habebant, partibus illis quæ sunt ad orientem & aquilonem non habentibus nisi tantùm sepem nudam & vilissimam; quæ non modò hominibus sed & canibus & porcis indifferenter pervia erat. Pars illa claustri in qua sedentes Fratres ad lectionem Conventum suum silendo vel legendo modò tenent, medio intertexta pariete tantùm coopertura habebat, sub qua Fratres Capitulum suum faciebant, dimidiúmque superextantis dimidii necdum coopertum, ex varia aëris intemperie Fratribus ibi sedere volentibus multam molestiam tam æstate quàm hyeme faciebat. Refectorium Fratrum ac dormitorium domus illa una erat, quæ ad occidentem pars quarta claustri esse debebat, intertexto nihilominus pariete habens subtus scholam puerorum, cellarium, domum infirmorum.

Sed ut superiùs dixi, sine aliquo cultu erant omnia tectura nulla ante officinarum istarum ostia, jugéque lutum hyeme, & molestia grandis intus pluviæ, nivis, grandinis, & boreæ, nihilque obstaculi quo prohiberetur quodvis animal accedere. Domus infirmorum neque die habebat ignem, neque nocte lumen, nisi Fratres in ea jacentes,

centes, undecunque sibi interdum etiam ex victu & vestitu suo ea sibi procurarent: sed neque in dormitorio lumen erat, Fratribus tota nocte in tenebris manentibus, & per tenebras ad matutinos euntibus; quòd quidem erat gravissimum eis, quia de illa parte domûs in qua dormiebant oportebat eos per tenebras transire partem aliam, in qua reficiebant, atque inde exeuntes sub tectura partim lignea, partim straminea, utraque verò semiruta juxta murum Monasterii palpando, frequentérque ruendo aut offendendo ire omni nocte ad Matutinos, ut de Matutinis similiter per tenebras redire. Infra Matutinos si quis Fratrum aut puerorum volebat aliquando exire ad necessaria naturæ, dum timebat tenebrarum horrorem, magnam interdum sustinebat naturalis necessitatis injuriam. Hyemali tempore lecta Fratrum aspergebantur nive densissima, surgentésque ad Matutinos sicut se albicantes nive super vestimenta sua inveniebant, ita & revertentes tota lectisternia sua, propter quorumlibet accedere volentium importunitatem, nihil tutè servare poterant de lectisterniis suis in dormitorio, nihílque de his quibus serviebatur mensæ eorum in refectorio, qua necessitate habebatur, qui habere poterant pro lectis ligneis arcas seratas, in quibus surgentes lectisternia sua obfirmabant. Qui verò habere non poterant frequentes molestias de vestimentis suis à Fratribus sustinebant. In refectorio autem post se in muro fenestrulas diligenter seratas habebant, recondentes in eis mappulas suas, cultellos, scyphos, & quæ supererant eis de mensa, quia non habebant quibus necessitatibus suis succurrerent, nisi ex ea substantia quæ aut supererat, aut quam ori suo subtrahebant. Ad eleëmosinam nihil inde aut permodicum dabatur.

Transitus tritus utriusque sexus erat. Plurimùm verò ad Missas mane per eum locum quem tunc appellabamus & nunc habemus conventum, & frequens in eo cum Fratribus fabulosúmque laïcorum & Clericorum usque ad noctem colloquium. Si qua potens persona, ut frequentissimè assolet, hospitari apud nos voluisset, Fratri-

bus hac illácque miserè panem suum manducantibus, ipsa in refectorio ad mensam Fratrum discumbebat, aut si purior clementiórque aër in medio prati: milites usque ad ostium refectorii sive ad medium Conventus equitantes, ibi descendebant, nullámque reverentiam non dicam Monachis, sed ipsis quoque Sanctis loci exhibere usque ad noctis medium curabãt. Testor Deum quia dignè non possum os meum stylúmque miseriæ applicare, quo tantam majorémque miseriam Fratrum secundùm quod audivimus, maximáque ex parte ipse vidi, fideliter valeam referre.

Vir autem bonus, scilicet domnus Abbas THEODERICUS, noviter hanc Hierosolymiticam nescio magis an Babylonicam desolationem ingressus, cùm omnia simul corruisse invenisset, omnia simul & de repente non poterat erigere, verùm ut superiùs retuli ad Monasterium reparandum & animo incendebat, & studio infatigabili accingebatur, qui dum facundi oris gratia concionaretur diebus Paschæ, sive Pentecostes in Ecclesia Beatæ MARIÆ ad populum, frequenter eis eliciebat decem aut duodecim plúsve minúsve marcarum ad Monasterii reparandi auxilium, ubi occupatus minus intendebat ad claustrum. Tamen quantociùs potuit in domo infirmorum, in dormitorio, in cella Abbatis, in crypta ante altare beati Protomartyris lumen constituit de Ecclesia de Corbecce disponendum per manus Custodis Ecclesiæ. De marca & dimidia census ejus cõstituens Custodi marcam ad luminare, Præposito verò dimidiam ad præbendam Fratrum quæ prius non persolvebat, nisi quinque tantùm solidos. Similiter de censu Ecclesiæ de Stades constituit Custodi quinque solidos ad luminare quod ampliùs non persolvit. Eleëmosynæ pauperum prorsus abolitæ sex quotidie constituit siligineos panes dandos de decima de Brustrinia, quam redemit positam in vadio pro decem marcis. Molendinum de Moisc cùm auferre prorsus non posset viro potenti, qui dicebat se illud acquisivisse pro censu quinque solidorum singulis annis, & quod plus valebat accepisse in beneficio de manu Abbatis

Lanzonis multis sumptibus, multis laboribus eo perduxit, ut ferro inde sublato paulatim decidendo avelleretur, & præter aquam & ripam nec vestigium molendini ibi relinqueretur. Quod usque ad nos ita permansit. Alia plura molendina redemit, quæ gravissimâ pecuniâ invadiata aut beneficiata dicebat sibi fraus malignorum fœneratorum.

Ad Missæ suæ ornamentum reponendum scriniola duo tali operi convenientia fecit, suóque studio amictum magno aurifrigio & longo ornatum, albámque laqueum à colli aurifrigio factum, & nodum unde affigebatur ex auro, & margaritæ pulchræ habentem compactum in eis acquisivit. Similiter & cingulos duos, unum de nigro bonóque pallio latum satis, aurifrigio latitudinis trium digitorum in fine decoratum, alium de pallio varii coloris valde bonum à nodo ante ventrem cingentis cum filis aureis usque ad summitatem, operosè multùm crasséque undique contextum. Sed & balteum, & calicem cum patena argenteum intus & circa oras deauratum, pixidem argenteam similiter & argenteam acerram, vásque argenteum ad vinum trium firtonum pondus habens: thuribulum quoque de cupro deauratum, catenulas argenteas habens; pelviculam simulacro bestiolæ caudatam de cupro factam ad suscipiendam aquam manuum lavandarum, intus habentem imaginiolas argenteas fusili opere cælatas, trésque tuellas, unam sternendam super altare, aliam sub libro, tertiam ad tergendas manus. Crucem quoque cum crucifixo, & pede quatuor Evangelistarum imaginibus operoso, utrumque de cupro sed deauratum. Columbam etiam cupream auro tamen superiùs argentóque variatam, continentem aquam ad opus manuum. Casulam de nigro pallio circa collum, & à collo vsque ad pedes ante ventrem aurifrigio lato ornatam: cappam similiter de nigro pallio pene eodem circa collum, & super cristam capitii aurifrigio ornatam, ante pectus habentem plusquam palmæ unius longitudinis æqua longitudine & latitudine aurifrigium, neque tantum aurifrigium quàm rem filis aureis desuper solidissimè contextam, in medio

habentem gemmulam bullulâ circumclusam. Hæc omnia ad officium Missæ suæ & ad ornamentum Ecclesiæ proprio studio & novo acquisivit. Redemit quoque cappam unam albi pallii valde bonam, thuribulum quoque argenteum appendens septem marcas, quod cùm posteà præstitisset Archidiacono cuidam nomine Alexandro, cum pallio uno optimo, quod ipse quoque emerat, & calice argenteo, nunquam rehabere potuit, quæ ita usque hodie nostra Ecclesia perdidit. Pallium quoque unum quod sufficit ad majus altare cooperiendum emit totum novum, & de spisso pallio purpurei coloris pallentis tamen in grandiusculis rotis imaginibus bestiarum variatum. Hoc hodie quoque penes nos est.

Fratres quos invenit benignè fovit, & quot & quos potuit addidit, multa perpessus ab his quos necessitate minoris sibi numeri de aliis claustris exeuntes suscipere cogebatur, invehentibus in illum frequenter malignè semper loquacibus nostris oppidanis, quod tantæ fructum Abbatiæ octo aut decem tantùm Fratres consumerent, non attendentibus, neque veteri malitia cæcitatis suæ considerare volentibus, ad quantam paupertatem devolvissent Abbatiam, furor mobilitatis eorum, & contentio inter se Abbatum factione eorum, & quanta consummanda essent in reparando Monasterio, claustro & appenditiis eorum. Hac, inquam, malè loquacium & malignè detrahentium necessitate compulsus, cùm plures de suis Fratres non haberet, & aliunde venientes Monachos ignotos susciperet, multa & damna & injurias sustinuit frequenter, talibus nullum ordinem servare volentibus, & cùm de nuditate sua revestiti, & de famelitate sua refocillati essent, aut molestissimè nobiscum commanentibus, aut cum damno & injuria & detractione nostri, tandem à nobis effugientibus vidi ipse intra quinque aut sex annos de talibus XVII. à nobis recessisse revestitos apud nos à planta pedis usque ad verticem integra veste. Studium & laborem ejus circa emenanddam Ecclesiam nostram intus & foris, & quantum sub eo profecerit, longissimum esset enarrare, cùm tamen nunquam

desuissent interim ei tribulationes & persecutiones ab eis, de quibus aliquid hîc modò volo referre.

Primo tempore introitus ejus in Abbatiam gravissimus persecutor fuit ei Comes GISLEBERTUS de Duram Advocatus noster, quem nunquam potuit placare nisi damnosa Ecclesiæ pecunia pro eo intercurreret. Præterea HENRICUS de Lemburg major noster Advocatus supradictum illum Herimannum, qui per violentiam non potens Abbatiam nostram quam invaserat tenere, ad eum patrocinii causâ confugerat, frequenter super domnum Abbatem Theodericum in oppidum & usque in cellam Abbatis introducebat, volens libentissimè in Abbatia eum confirmare, si & Fratrum consensum inde priùs habere potuisset, & fidelibus Ecclesiæ fidelitatem extorquere suo Herimanno. Sed Fratribus constantissimè illi pro domno Abbate Theoderico in faciem resistentibus, atque adeò ex auctoritate Leodiensis Episcopi, ut quamdiu Herimannus aut in cella Abbatis, aut quoquam in toto oppido nostro esset, divinum officium in Ecclesia nostra non fieret, & nulla campana sonaret, cum multa tandem confusione & in nos & nostra indignatione recedebat, suúmque iterum Herimannum in malum nostrum recipiens custodiebat. O IESU bone quando totum dicerem, aut quomodò totum dicere possem malum & damnum, quod per hos duos sustinuit Ecclesia nostra?

Quas passus est persecutiones Abbas Theodericus referuntur.

Accidit interea turbato vehementissimè Regno & Sacerdotio, ut HENRICUS tertius Romanorum Imperator Augustus traditis filio æquè Henrico vocato Imperialibus insignibus, abjectúsque à regno iterum regnare moliretur, cujus maxima spes tunc temporis esse videbatur iste Henricus Comes de Lemburg Dux modicò jam ante creatus. Quæ res propè exterminium debuit esse Ecclesiæ nostræ, quia cùm tunc temporis non tam dux quàm Rex esse videretur, ut pote qui Regis erat factus patronus, non erat Rex, non erat Episcopus, non amicorum quispiam qui auderet nos contra tantum tyrannum juvare, maximè pravissimis quibusdam de oppidanis nostris & hominibus de factione Luiponis & Herimannorum fa-

Henricus III. Imp.

ctiosissimis, ad hoc quotidie illum instigantibus, & in fornacem ardentissimam illius malæ suggestionis suæ oleum, picem, resinam, & omnia instigatorum fomenta congerentibus, ut suum Herimannum in Abbatiam nostram restitueret, & Theodericum ejiceret: modò utilissimum tempus adesse, in quo hoc liberrimè facere posset, faceretque eum benedici, cùm non auderet unquam Episcopus contradicere ei, quem & introduxit; sed Fratres non ampliùs quàm antea inflectere ad suam voluntatem potuit. Relicto tamen eo cum custodibus sibi familiaribus in cella Abbatis abiit, multa vastatione facta in curia nostra, & in claustro de rebus victui & vestitui nostro præparatis.

Interim domnus Abbas THEODERICUS secesserat ad Castellum Comitis GISLEBERTI Duram, timens sibi si tyrannum illum expectasset de vita, quo una parte oppidum nostrum egrediente, ipse alia ingressus est. Testor Deum omnipotentem quia nisi oculis vidissem, & præ magnitudine lætitiæ gemitum eorum, querelosáque suspiria auribus hausissem, non facile mihi, sed neque ipsi cui fiebat posset persuaderi tantus affectus, tanta erga eum populi devotio sexus utriusque diversæ ætatis. Ipse è converso quàm acclivi vultu, quàm modesto ore humiliari, quàm profusis lacrymis, quàm humectis genis tota facie irrorari, flebant illi præ nimia qua in eum ardebant caritate, flebat ipse præ maxima qua seipsum metiebatur humilitate. Tam triumphali applausu, tam favorabili populi devotione exceptus usque ad cellæ suæ januam est perductus. At illi interiùs eum observaverant, & strepitu indignationéque populi perculsi nihil sibi certius quàm eorum perfodi gladiis expectabant, qua observatione populo magis magísque in iram indignationemque concitato, cùm tamen quidam dubitare viderentur, utrúmve vi in eum irruerent; quidam verò ad irruptionem cum clamore se accingerent, unus eorum, cujus sapientiæ & consilio totum inniti videbatur oppidum, vultu flammeo & ore grandisono prorupit in medium: Eïa, inquit, eïa viri si tamen viri, quid hîc tam ignaviter excubatis? quid

ad postes hujus domicilii observatis, cur statim fracto repagulo, vel ipsis postibus radicitus evulsis aperto ostio, micante gladio non irrumpitis? Quasi non voluntate neque judicio Dei, sed fortuitu hîc conclusi teneantur rei illi, & gladiis nostris hodie decapitandi, quorum venenata delatione, pestilenti consilio, domûs vestræ damnoso olim flagrarunt incendio, matres legitimo destitutæ sunt conjugio, nepotes vestri sine parentibus, vos ipsi heu heu sine liberis estis hodie & nepotibus; & ecce nunc iterum ad nostram & nominis generísque nostri ignominiam in oculos nostros importuni contumaces, ignobiles lenones se ingerunt, ut quorum patres, filios, fratres, nepotes, affines, amicos & servos peremerunt, quosque igne & rapina, de divitiis in inopiam, de gloria in ignominiam detruserunt, eorum nunc dominum inermes, ignavi, pauci, scelerati ejiciunt, ut quæ ferro flammæque eorum cum periculo capitum eripuimus, libidinosi deglutiant seditionem, intestinum bellum in oppido nostro plectendi parricidæ ut olim ut sæpiùs nunc etiam commoveant. Si viri essemus filii virorum, nunquid hæc in capita eorum nunc de præsenti non redundarent?

Talia Gontramnus: erat hic Gontramnus servus Ecclesiæ nostræ, homo gratissimæ grandísque facundiæ, statura procerus, grossitudine corporis ejus decentissimè respondente proceritati, acerrimus in bello, audax animo, prudens consilio, formosus tam venusto corpore quàm pleno vultu & elegantissima facie. Hunc talem qualis apud nos de nostris nemo surget ampliùs. Oppidani nostri flagrantes in eum odio maligno & iniquissima invidia, pro probitate ejus casu volantis sagittæ in frontem ejus incerto auctore occiderunt, dum quadam die proditione ejus sic tandem patefacta adversus eum sic nec opinantem consurrexissent armati; quem si casus eo minus se gladio defendere non vetuisset, ô quot quantámque dedisset stragem antequam occumbere posset. Sepultus jacet inter turrim & ostium quod aperitur versus cimiterium Fratrum & meridiem, juxta murum statim ut exitur de ostio ad dexteram manum.

Hoc tali viro ita, ut superiùs dixi, perorante ad populum, statim versus in furorem præteritorum malorum recordatione populus, & tanquam ursus cruentis prægustatis carnibus in eos efferatus, stricto mucrone in eos conclamat ostia confringere, postes evellere pertentat, ut omnes tam Monachos quàm milites, minores quàm majores in ore gladii interficiat. Sed statim pietas & benignitas domni Abbatis Theoderici perituris scelestis tutissimum scutum se opposuit, vehementérque inclamans Gisleberti Comiti, necnon singulos eorum proprio ex nomine revocans, vix tandem ne in funestos illos irruerent multis precibus obtinuit: quibus sedatis hoc modo Fratres suos ante populum alloqui cœpit: Absit à me, Fratres carissimi, absit inquam, dulcissimi filii, hoc peccatum in Domino, hoc scandalum in populo, ut regressus meus ad vos, & pia in me vestra populíque devotio maculetur, obfucetur sanguine cujusvis aut homicidio. Non his armis decertandum nobis, non hoc gladio trucidandus est impius hostis, cujus nos sumus milites, ipse armatura nostra Christus est. Hujus signifer beatus Paulus suis ita conclamat comilitonibus: *State*, inquit, *præcincti lumbos vestros in veritate, & induite loricam justitiæ; & calcate pedes in præparationem Evangelij pacis. Super omnia accipientes scutum fidei, in quo possitis universa tela maligni ignita extinguere; & galeam salutis accipite, & gladium spiritus quod est verbum Dei.* His armis ad similitudinem boni Regis David muniti hunc superbissimum spurium & incircumcisum fiducialiter poterimus aggredi, ut cùm tantus blasphemus percussus in fronte, & in corporis parte vulneratus, in qua præsumptor Sacerdotii Ozias lepra incanduit, lepra corruerit, capite ei proprio mucrone truncato, armísque omnibus expoliato *confiteamur Domino quoniam in sæculum misericordia ejus. Qui facit mirabilia magna solus.* Atque iterum cum nostro David dicamus: *Benedictus Dominus Deus meus qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Misericordia mea & refugium meum; susceptor meus & liberator meus.* Hæc cùm dixisset, populus ad propria rediit; ipse

Ephes. 6. 14.

Psal. 35. 1. 4.

Psal. 43. 1.

verò

verò nobiscum in claustro habitavit. Qui autem conclusi erant in cella Abbatis, ne à nostris qui turrim eis præripuerant deberent interfici, nocte illa penè omnes effugerunt, & præter unum qui cum Herimanno venerat de Malmundaria Monachum, quasi nulli cum illo remanserunt. Quidam tamen ex oppido nostro impurissimi nebulones ventricolæ, apud quos data crustula hispidi panis cujusvis dignitatis nomen facile mercari, eadémque subtracta patibulo reus posses adjudicari, frequenter ad eum conclusum in cella introibant, lethargicúmque cerebrum ejus fœtido adulationis suæ oleo impinguantes interius leccatriæ suæ sic cum eo satisfaciebant. Tota autem Abbatia & maximè Monachi ad domnum Abbatem Theodericum humili fidelitatis obsequio, & piæ obedientiæ oculo respiciebant, ejúsque anxiatum amaro satis animo deflebant.

Sequenti igitur die cùm domnus Abbas Theodericus vocante eum Olberto Episcopo Leodium venisset, injuriam suam, persecutionem, redivivi Simonis superbiam, invasionem in auribus Episcopi Ecclesiæque beati Lamberti exposuisset, non eos tantùm mœsta compassione sauciavit, sed & ipsam totam civitatem mœrore quidem maximo obnubilavit. Erat enim tam Clero quàm populo & Monachis gratissimus, multa litterarum scientia, & egregiæ vocis jubilo acceptissimus, tum placidissimus moribus, & vultûs hilaritate serenissimus. Sed tamen prout deceret dignitatem disciplinæ & nominis Leodiens. citò non vindicatum fuit tam grave facinus in præsumptorem impium. Sed nec mirum, bona eis venia indulgemus dum necessitatem temporis & eorum angustiam respicimus. Erat enim tunc non parva turbatio, non in ea tantùm Ecclesia, sed & in toto Episcopio, & unumquemque non modò reipublicæ sed familiaris quoque sollicita urgebat occupatio, sicut superiùs tetigimus, pro recuperando extorti sibi regni statu Imperator Henricus ibi anxiè insudabat, & quia crudeli odio & gravissimis dissidebant inimicitiis Episcopus & Henricus Dux, similiter quoque Namurcensis Comes Godefridus, & idem

Dux, eos priùs ad pacem & concordiam revocare Imperator maximè laborabat, ut posteà robur pacis eorum & concordiæ esset ei spes & causa victoriæ. Quatiebantur etiam muri totius civitatis & Ecclesiæ undosa imminentis belli formidine, quia ferebatur, verúmque erat, filium Imperatoris Henricum nomine, in manu robusta & indignatione maxima ad civitatem obtinendam properare.

His malis concurrentibus, quò publicæ familiaríq; rei suæ unusquisq; prout necesse sibi videbat cõsulit attẽtiùs, eò de nostra disponitur satis quàm expediret negligentiùs. Semel tamen atque iterum vocatum eum Episcopus tandem excommunicat, omnésque ejus complices, præcipiens Archidiacono suo Alexandro, ut eum de caminata Abbatis, atrióque suo eliminet, sed ille omninò neglexit; quâ causâ, quo animo ipse viderit. At Dux non immemor injuriæ contemptúsque sui in Herimannum arma copiásque suas in furore & indignatione magna adversum nos colligit, ut die data quoscumque de nostris ad dedicationem sui Baalis compellere non posset, eorum carnes in ejus sacrificio victimas propitiabiles faceret. Sed Comes GISLEBERTUS, qui reconciliati sibi fidelis tunc adjutor existebat domni Abbatis Theoderici, conducto sibi Comite Lovaniense GODEFRIDO, qui non multo pòst Dux extitit, viriliter ei resistit, omnémque conatum Henrici licet domini sui dum accedere non auderet irritum fecit.

Nec multò pòst domnus Abbas Theodericus reversus est de Leodio ad Cœnobium nostrum grandi ferens patientia conclusum in cella sua æmulum suum. Iámque dies eminebat qua Comes Flandrensis Imperatori occurrere Andegueri* debebat, quo dum Imperator proficisceretur, contigit eum habere per locum nostrum transitum, atque in cella Abbatis, in qua non sani consilii Frater ille habitabat, nocte una hospitium, qui dum cellam omninò non auderet Imperatori contradicere; si verò ab ea egrederetur, nullum sibi ulteriùs patere regressum formidaret, in cellarium sub caminata descendit, ibíque tota illa nocte mansit, ut facto mane cùm Imperator viam

*Andeguerp.

suam proficisceretur, ipse ex inferioribus abditis prodiens ad obtinendam cellam regrederetur. Sed quidam de pueris nostris, qui nocte illa Imperatori ministraverunt, Fratrum nostrorum consilio præstruentes ei aditum, in cellam regredi non permiserunt, nihil tamen contumeliæ aut virium ei ejúsque satellitibus intulerunt. Cúmque sibi interceptam introeundi facultatem intelligeret, & se quasi in sepulcro in cellario illo scilicet à pueris nostris suffocandum omninò formidaret, de lacu in quo seipsum malè damnaverat novus qnasi terrigena ad invisam sibi lucem per aliud ostiolum tandem erupit, & magnum spectaculum populo factus, platearúmque pueris, ad unam forensium domum homo sine hònore, Monachus sine pudore se proripuit; aliquótque dies ibi faciens sabbatho sancto Dominicæ, iterum ad Ducem transivit, qua peste eliminata, sentináque ejecta de navi nostræ Ecclesiæ, mox quia erat hora tertia sonuit, & post tot luctuosos dies quibus chorus noster siluerat, nos jam posse licenter divinis ora laudibus aperire grandis lætitia fuit: nam nostrum Monasterium & parochia foris tamdiu ab Episcopo in banno posita erat, ut in eis nemo cantaret, donec de cella Abbatis, & de tota curia & atrio Herimannus exiret.

Quod cùm nunciatum fuisset Duci HENRICO, fortè enim ipse eadem hora per forum nostrum transibat, ira incredibili exarsit, dolore intolerabili infremuit, & nisi hanc suam in exemplum omnibus injuriam vindicaverit, cum obtestatione & horribili quadam anathematizatione se suáque omnia diræ morti exterminióque crudeli devovit. Ira igitur vehementi, furoréque ingenti, necnon & indignatione non minima in nos & nostra exardescens, contemptum sui Abbatis cordi graviùs apposuit, totúmque se statim in nostrum nostrorúmque vitæ periculum, tam substantiæ quàm membrorum quoque detrimentum dissolutè nimis accinxit. Iámque nulli nostrum parcere inter Monachum & Clericum, clerum & laïcum, neque quidquam discernere, crudeliter persequi, bestiali furore in nostros & nostra sævire, ut nullius nostrum mise-

reantur ſuos omnes ſuppliciter orare, obſecrare, terribiliter præcipiendo præcipere. Tum ſi illos vel illos de noſtris poſſent arripere, quoſdam ſine compaſſione decernebat ſuſpendere, quibuſdam oculos effodere, iſtis nares truncare, illis manus amputare, aliis pedes abſcidere, nonnullis crura comminuere. Quibus verò miſericordem & humaniorem ſe exhibere volebat videri, eos diu carceratos, tandem præcipiebat graviſſimo argenti pondere debere redimi, & certè longè ſe beatiores ceteris reputabant, qui nihil aliud ſe perdere quàm pecuniam metuebant. Erat igitur omnibus grandis formido, pavor & tribulatio, mentis hebetudo, membrorum diſſolutio, genuum colliſio, cùm nulli noſtrûm extra oppidum pateret aliqua via ſine vitæ periculo, membrorum ac ſubſtantiæ detrimento. Sed & Comitem GISLEBERTUM quia pro nobis ſe illi oppoſuerat, in tantum odio habebat, quòd eum de infidelitate palam arguere, & hereditario propter hoc privare beneficio fidenter laborabat. Erant etiam tunc nobis adhuc Coloniæ plures carettæ vini, quas ſtatim fecit ſuis uſibus obfirmari.

Hæc aliáque plurima quæ nobis quotidie ingerebat mala; nam & villicis noſtris omnibus interminatus terribiliter fuerat, ne in quovis nobis reſponderent domni Abbatis Theoderici animum graviter afficiebant, & illud multo amarius, quia audiebat eum velle beneficiare ſuis ſatellitibus quæ nobis juxta Moſellam, necnon in Teſtebrant obaudiebant: quòd ſi ſemel in tam tempeſtuoſa tempeſtate contingeret, aut vix aut nunquam ea ampliùs Eccleſia noſtra reciperet, & vinum & piſces ulteriùs Abbatia noſtra non poſſideret. Immenſo igitur dolore & metu afficiebatur, metuens etiam & nimium ſollicitus ne in tanta turba quiſquam propter eum occideretur, carceraretur, ſpoliaretur. Sed cùm ſub hoc curarum ſollicitudinúmque onere importabiliter premeretur, fuerunt quidam ex amicis ejus cum Duce, qui videntes ejus anguſtiam, oppidanorum periculum, Eccleſiæ intolerabile & irrecuperabile damnum, mediante pecunia conabantur adhuc eum ab his malis quæ in nos cogitabat, revo-

care. Vix tandem argenteo malleo emolita est nigri silicis duritia, exceptóque Comite Gisleberto annuit, ut pacem habeant Abbas noster & tota ejus Ecclesia. Sed re perlata tandem ad domnum Abbatem Theodericum, nam novit Dominus se nesciente hoc priùs ab amicis agitabatur, nulla ratione, nullo consilio, nulla persuasione, nullo timore adduci potuit ut acquiesceret, nisi res Ecclesiæ quas impedierat priùs ab omni impedimento Dux enodaret, & Comitem Gislebertum oppidanósque omnes, quibus propter eum molestus fuerat, in firmam pacem, gratiámque suam revocaret quod miro indicibilíque labore ab utraque parte tandem concessum est.

Ipse præsens istis interfui, & pro explendis feriâ sextâ Parasceväe Domini die una Leodium equitavi, & multùm ibi moratus pro hoc negotio ipsa redii, & statim reascendens cum domno Abbate iterum Leodium abii. Persoluta est ibi peracta priùs pecunia, Comiti Gisleberto reddita est Ducis gratia, oppidani liberati sunt à timore, res Ecclesiæ eo jubente prorsus sunt expeditæ. De Herimanno verò inter Ducem & domnum Abbatem hoc tantùm difinitum est, ut si cognoscens reatum suum ad satisfactionem & pœnitentiam venire vellet, misericorditer reciperetur, probatáque ejus humilitate & obedientia secundùm ejus animi infirmitatem condescendere, ei domnus Abbas non dedignaretur. Sed inveterata miserandi hominis malitia humiliari nullo modo ad satisfactionem & pœnitentiam potuit, sed id quod fuit permansit, & quod non erat assumpsit.

Ex hac Ducis oppressione & Herimanni invasione gravissimè afflicta elanguit diu Ecclesia nostra. Calix aureus nescio quanti ponderis cum patena, quem ipse domnus Abbas Theodericus acquisierat, hac necessitate irrecuperabiliter venditus est, silva in Bryrchem excisa est & vendita, substantia alia multùm attenuata, quódque magis dolendum erat magísque deflendum, totum opus Monasterii intermissum usque ad obitum ejus deperibat. Dei autem faciente judicio eodem anno abjudicatus fuit HENRICO ducatus, & datus Comiti GODE-

FRIDO Lovanio causa existente, quia eadem hebdomada scilicet feriâ quintâ, quæ fuit Cœna Domini pugnaverat contra filium abdicati Imperatoris HENRICI, Regem creatum HENRICUM dominum suum super fluvium Mosæ oppido Guiscir ante pontem, Regémque contrito exercitu ejus fugaverat.

Ad cumulum autem malorum nostrorum accidit nobis & aliud malum quantò de familiari & amiciori priùs nobis potente persona, tantò & gravius, tantò & intolerabilius. Cœperunt namque in invicem diffidere Comes GISLEBERTUS Advocatus noster & domnus Abbas THEODERICUS. Comes exigebat ab eo viginti quatuor marcas argenti, quas Duci Godefrido dederat de Lovanio, quia Ducem Henricum propter à nobis suum abjectum Herimannum super nos irruere non permiserat, & quidquid super eas ex usuris quotidie crescebat. Abbas respondebat se ei non promisisse nisi quinque tantùm, & eas se jam persolvisse. Sic & sic quotidie mala nostra multiplicabantur. Comes quid faceret? Rationi omninò acquiescere nolens neque veritati, cum duplici damno quod argenti hujus summa fuisset totum per Abbatiam quod exigebat diripuit, nulliúsque unquam petitione Abbati reconciliari voluit, sed conversus ad dominum suum Comitem Henricum, & ad æmulum Abbatis Herimannum, cœpit omni consilio & virtute agere, ut de Abbatia ejiceretur, & Herimannus ei introduceretur.

Habebatur tunc Metis Episcopus ADALBERO post Popponem, qui licet litteras suas & missaticos pro domno Abbate Theoderico ad Comites Henricum & Gislebertum frequenter mitteret, nihil tamen aut modicum juvare eum contra eos poterat, nisi in hoc tantùm quòd magis inde confortabat animos Fratrum nostrorum, & corda ambigua levium oppidanorum. Sub hujus fune contentionis aliquandiu agitatæ sunt ancipites utræque partes diffidentium. Cùm igitur humano undique destitueretur auxilio, & ab illis vehementissimè affligeretur qui eum maximè debuerant juvare, ratum sibi duxit ad Dominum eodem modo confugere, si dissolutionem no-

ſtri Ordinis, quæ diu nimis caſibus diverſis accidentibus apud nos non abſque infamia inoleverat, religioſorum Monachorum uſibus poſſet emendare, ad quod peragendum quidam de Fratribus, pauci tamen, inſtantiſſimè eum perurgebant: plures verò graviſſimè inveteratas abuſiones ſuas immutandas ſibi ferebant; maximè autem qui apud nos de aliis clauſtris profugi confluxerant.

Sed cùm Dei adjutorio, prævalente meliori parte Fratrum licet minori, introducti ſunt uſus Cluniacenſium in Monaſterium & Clauſtrum noſtrum, ſcilicet Calendas Martii, quæ fuit eo anno ſextâ feriâ in capite jejunii: ad quos demonſtrandos miſit nobis domnus Abbas S. Iacobi de Leodio STEPHANUS duos de ſuis Fratribus, Abbas S. Laurentii BERENGARIUS de eadem civitate duos; cœpítque doceri Ordo Cluniacenſis ferventiſſimo apud nos ſtudio, & exerceri tenaciſſimè non ex parte, ſed ex integro, maximè juvenibus noſtris in eo laudabiliter ſine omni mendacio noſtro ferventibus, ſenibus cum ſilentio mente pacifica acquieſcentibus, ſcholarum pueris ſine gravi jugo quotidiana exercitatione diſciplinam exhibentibus. Qui aliunde apud nos collecti fuerant, immutarique veterem levitatem ſuam nolebant, receſſerunt; ſimiliter & de noſtris aliqui ejuſdem levitatis.

Volo autem hîc annotare nomina eorum, qui tunc de præſenti inventi, quando uſus iſti apud nos introducti ſunt, ut gloria eorum inde in hac quoque vita creſcat, & poſteri intelligant quanta apud nos Fratrum paucitas extiterit. Abbas Theodericus, Prior ego Radulfus*, Secretarius Sibertus, Præpoſitus Morungus, Cellerarius, Cantórque Folrardus, Hugo jam ſenex, Giſlebertus juvenis maturus. Prima autem die qua Ordinem incepimus, exierunt de ſcholis quinque pueri, Thidelinus, Balduinus, Henricus, Chriſtianus, Franco, qui poſtea abjecto habitu fugit. Hi omnes jam adulti fuerant, & de ſcholis jamdudum exiſſe poterant, ſed Prioris diligentia eos intra ſcholas uſque ad eam diem tenuerat, timens ſi ante inceptum ordinem ſecundùm veterem abuſionem extra ſcholas levitatis & otii placitam juvenibus, vene-

* Auctor hujus operis.

natámque dulcedinem gustassent, quòd ampliùs rigidæ juvenum, jugíque insuetæ cervices applicari ad Ordinem non possent. Pueri qui in scholis remanserunt fuêre hi: Guazelinus, Adulfus, Guilbertus, Fredericus, Humbertus. Inter majores & minores eramus XVII. quo parvo numero cum adjutorio eorum, qui de Leodio præstiti nobis fuerant, cœpit, ut dixi, Ordo ferventissimè teneri, maximè studio juvenum laudabiliter ad hunc se accingentium.

Si quis tamen nostrûm præcipuè extitit, cujus importunitas & opportunitas, cujus mille formis variata sagacitas animum Abbatis, ad hos usus tenendos, & cum multa sua tribulatione & angustia, odio & invidia, apud ipsum ut teneretur tandem obtinuerit, & cujus studio eo vivente viguerit, mortuóque refrixerit, non dubitat quisquis ille sit, cùm multum emendationis vitæ Fratrum, & profectus Ecclesiæ per hos usus subsecutum sit; quòd de eo nobis tacentibus ille tacere debeat, pro cujus amore nihil adversi, nihil odii, nihil invidiæ, nihil periculi sustinere formidabat, dummodò religio introduceretur, & locus à præteritæ irreligionis infamia liberaretur.

Injecta igitur nobis ab HENRICO gravissimi mœroris nebula magna jam ex parte deterserat nova introducti Ordinis gaudia, & sub suavi jugo Domini leve satis habebatur nobis onus nostræ afflictionis. Vadit inimicus & invidit prosperis de Ordine nostris successibus, atque multum doluit giganteis, ut ita dicam, nos in eo promoveri passibus. Implevit igitur spiritu suo nequissimo en nescio quota vice eundem Henricum ad affligendas animas nostras jamdudum usitatissimum sibi ministrum, & familiarissimum; qui oblitus peractæ pactionis cum domno Abbate Theoderico, damnosæque multùm nobis pecuniæ quam ei extorserat pro sibi ulteriùs eo placito, mentitus fidem, & non Dei reveritus judicium, iterum agressus est sine omni dilatione suum nobis intrudere Herimannum. Regnum autem & Sacerdotium, ut superiùs dixi, ita adversus invicem erant conturbata & commota, ut adversus violentiam tyrannorum nihil aut parum juvare posset

nos

nos tunc Ecclesiastica censura. Herimannus etiam per quosdam complices, & in Curia Regis aliquantulùm familiares, conciliavit sibi animum Cancellarii Regis, Adelberti nomine, qui postea Archiepiscopus fuit Moguntiæ, & per ipsum Regem habens eos fidos adjutores de sua restitutione, res verò non fuerat ita notificata Regi & Cancellario, sicut se veritas habebat de Herimanno. Itaque mendaciis faventium Herimanno decepti, restitui eum in Abbatia nostra per litteras & missaticos suos Metensi & Leodiensi Episcopo præceperant, cujus adventus quotidie nuntiabatur. Comes autem Gislebertus paratus erat suscipere, & quia Advocatus noster fuerat in Abbatiam introducere.

Inter quæ minantia famæ volitantis quotidie tonitrua manus tonantis Dei excelsa, jamdudum ab antiquo gravissimè super nos extenta, terribilissimo fulgure subito nos perforavit, tollens nobis de medio domnum Abbatem Theodericum infirmitate vix quinque dierum ex sanguinis minutione viam universæ carnis introductum. Heu quo ore habeo referre, quo stylo scribere, quas tunc sustinuerimus pressuras, tribulationes & angustias? Hi qui vivente Abbate Theoderico palam nos persequebantur propter Herimannum, vix jam manus continebant quin nos vivos discerperent, aut in frusta gladiis conciderent; & qui occultè soliti erant nobis ponere insidias, tunc aperta fronte prodibant, tantò in nos jam palam acriores, quantò priùs fuerant occultiores. Paucissimi qui nobiscum sentientes quidquam pro nobis agere vellent, quod effectum aliquem virtuosi alicujus operis haberet. Herimannus quotidie pro foribus nunciabatur, & ab aliis invitatus, ab aliis expectabatur, omnium tamen Fratrum animi erant contra eum obfirmati non minus Abbate defuncto, quàm priùs vivente illo. In hac nostra pressura, tribulatione & angustia nullos graviores invenimus persecutores, quàm Presbyteros nostros, tres potissimum, Reynerum scilicet de Hales, Hezelonem de Mergueles, necnon & Lanzonem quemdam de oppido nostro.

Istis dissensiones magnas facientibus, & laïcorum ami-

citiam contra nos antè & retrò concitantibus, vix obtinuimus ut integro die defuncti Abbatis corpus insepultum custodiremus, donec mandati compares ejus debitas ei solverent exequias. Alii Presbyterorum & laïcorum adventanti Herimanno acclamabant, alii hunc & illum prout sunt qualitates hujusmodi partium, nulli tamen eorum secundùm assensum nostrum, unde, ut dixi, vix se continuerunt quin sepelissent eum absque exsequiis Fratrum. Quorum furori cùm essem Prior constanti auctoritate me opposui, in multo tamen periculo vitæ meæ, flocci factus priùs ab illis, multis convitiis, & pluribus contusus injuriis. Evici tandem, & tertia die expectata sepelivimus Abbatem Theodericum exhibente illi exequias domno Abbate Berengario de sancto Laurentio Leodii, prosequente funus ejus Comitum & nobilium, & populorum grandi turba; intérque sibi viventi fideles & amicos facientibus illi Fratribus planctum magnum, & miserabilem ploratum & ejulatum irreprissibilem. Fuerat enim erga eos lenissimi affectus & grandis patientiæ, vultus hilaris, & jucundæ allocutionis, malos æquanimiter sciens tolerare, bonos amare & honorare. Obiit autem VII. Calend. Maii die litaniæ majoris anno millesimo centesimo septimo, exactis in Abbatia annis novem, mensibus tribus, sex diebus minus.

Obiit Abbas Theodericus An. 1107.

Nihil de possessione sua tempore ejus perdidit Ecclesia nostra, excepto allodio, quod jacet versus Andeguerp juxta Malines: hoc persolvebat singulis annis viginti quinque solidos monetæ & ponderis de Andeguerp die Conversionis S. Pauli, quod ea necessitate vendidit, quia nihil inde habere poterat Ecclesia nostra propter raptores & violentos prædatores. Ea autem intentione, ut de pretio ejus aliud apud nos allodium redimeret, fecítque illud non sui unius consilio, sed majorum suorum Metensis scilicet Episcopi & Advocatorum nostrorum & Parium Ecclesiæ. Sed morte illum præveniente Comes Gislebertus ab hominibus illis commissum argentum abstulit, qui servabant illud ad redimendum Ecclesiæ aliud allodium, sícque Ecclesia tandem & allodium perdidit & pretium.

Thuribulum etiam argenteum ponderis ſeptem marcarum, & unum pretioſum prorsúſque novum pallium, necnon calicem argenteum appendentem marcam & dimidiam præſtitit Archidiacono cuidam Leodienſi nomine Alexandro, quæ uſque hodie rehabere non potuimus. Abſtulit etiam Comes Giſlebertus eo defuncto. Eccleſiæ noſtræ philacterium pretioſiſſimum, quod ei Abbas præſtiterat, tabulam ſcilicet unius pedis longitudinem habentem tantumdem propè latitudinis in exteriori parte argento celatam, in interiori auro puriſſimo, multíſque & electiſſimis lapidibus miro opere ornatam & oneratam, plenam pretioſiſſimarum gemmarum.

LIBER SEPTIMVS.

SEPULTO igitur domno Abbate Theoderico, cùm viderem æmulorum meorum invidiam me ſuſtinere non poſſe, maximè eorum jamjam ſe manifeſtantium odia, quibus propter novi Ordinis introductionem, non licebat abuti Clauſtro noſtro, & horis locíſque inconvenientibus Fratrum colloquio, eadem die humillima ſatisfactione petivi me abſolvi à Prioratu, & abſolutus ſum, Fratribus tamen id ægrè ferentibus. Præterea quicumque Herimannum deſideranter expectabant, Comitem Giſlebertum & uxorem ejus, & quotquot alios poterant malignis de me detractionibus & fictis aut veris meis ſceleribus in me quotidie inflammabant, certum habentes quandiu cum Fratribus eſſem, quòd adverſus eos ratione & conſilio de ſuo Herimanno prævalere non poſſent.

Factam igitur Fratres electionem ſuam cùm Leodii Epiſcopo Eccleſiæque repræſentaſſent, & inde Metis tranſire vellent, invenerunt ibi nuntios Imperatoris Herimannum prçveniſſe litteris Imperialibus, & una voce Epiſcopo præcipientes, ut Herimanno ultrà moleſtus de Abbatia noſtra non exiſteret. Epiſcopus tunc noviter

Imperatori reconciliatus fuerat defuncto Leodii patre Imperatoris, cujus partes contra filium adjuverat, quo timore non satis audebat, ut tamen eum decuisset, violentiæ Imperatoris contradicere, neque tamen assensit, sed quantum salva gratia Imperatoris potuit nuntiis rationem reddidit, quomodò apud sanctum Trudonem non posset ampliùs Abbas canonicè fieri, atque subjunxit: Non est meum dare donum Abbatiæ sancti Trudonis, sed Abbatem ejus benedicere. Metensis illud est Episcopi, quem mihi mittat benedicendum ipse viderit. Ibi sicut & aliàs frequenter religiosus vir Abbas sancti Iacobi Leodii STEPHANUS multa fiducia & ratione Nuntiis Imperatoris ostendit, quòd frustra laboraret Imperator de Herimãno, quem suo suorúmque comparium Ecclesiastico judicio constabat jamdudum damnatum pro invasione hujus Abbatiæ, & pro obstinatione incorrigibilitatis suæ etiam excommunicatum fuisse, nec ampliùs potuisse tandem mereri absolutionem, nisi promissa ampliùs emendatione invasionis suæ & violentiæ. Hac turbatione intermissa est Fratrum profectio Metis, & reversi sunt ad Claustrum nostrum disponentes nuntium suum mittere pro instanti necessitate ad Metensium Episcopum.

Nec mora adest Herimannus, & Nuntiis Imperatoris eum adducentibus, per Comitem Gislebertum in Abbatiam introducitur. Faciunt ei fidelitatem & hominium quibus placebat ipse, & qui propter Comitem non audebant contradicere. Primi tamen Abbatiæ & honestiores viri manus suas continuerunt à fidelitate ejus & hominio. Fratres omnes unanimiter non solùm Monasterio & Claustro, sed & nullo eum dignantur nisi per internuncios colloquio, & eo duro, & qui assentiri ei nollent ullo modo nisi ad audientiam & canonicam discussionem priùs veniret, quam ille tanquam infirmæ sibi conscientiæ ut semper ita & nunc refugiebat. Collaterales ejus & consiliarii erant homines levissimi, mendaces, seipsos metiri nescientes, inanis spei, omnis præsumptionis, nullius tam virtutis quàm consilii. Pars maxima de illa Lui-

ponis conjurata factione, adhuc tunc truncas manus portantes in signum damnationis & exlegalitatis suę. His miseriis & miserrimè miserrimis hominibus circumventus, & ut ab uno eorum didicimus juratus in Sanctos illis ad insaniam eorum hac illácque nolens volénsque ferebatur insanus: nihilominus interdum illis tantum diripientibus ut non haberet saltem panem & cervisiam unde aleretur, aut præter simplicem tuniculam, unde media quoque gravissima hyeme cooperiretur, qui sibi talis erat qualem nobis futurum existimatis.

Quæsitus interea nuntius qui de his malis relationem ferret Metis, electus ad hoc & compulsus multis Fratrum sumptibus, timens mihi sicut & postea graviter sensi accidisse, quantum ex relicto Prioratu invidiæ & odii Herimannitarum crediderim mihi minui posse, quod tantùm contraherem, si non ampliùs ex hac suscipienda legatione; parui tamen, pretiosiorem mihi non faciens animam meam, quàm Ecclesiæ utilitatem; sed propter Herimannitarum insidias non ausus publicam viam Metis transire, junxi me exercitui Episcopi Coloniensis Friderici, & Ducis Lovanii Godefridi, & Lomensis Comitis Arnulfi, duorum, ut putabam, si non ampliùs millium militum tendentium ad Imperatorem ad urbem Virdunum. Habuimus igitur iter de Leodio Hoyum, & de Hoyo per Hasflangiam & Villantiam, inde per Castellum Innis, sícque per aliud Castellum dum pervenimus tandem Virdunum. Iesu bone quanta in illo itinere sustinuerimus, quomodò referre? Dum putarem nos nocte debere per villas hospitari, subitò vix octava adhuc hora diei laxabant equos suos scutiferi & militum nonnulli, & tota simul duarum vel trium villularum ædificia rapientes, grandémque & parvam materiem caudis equorum suorum ligantes, per viridaria secus fluenta aliqua quasi domicilia inde sub horula una sibi & equis suis ædificabant, secum bipennes aliáque ferramenta ad tale opus portantes, necnon & falces; quibus interea pars alia herbam ad opus equorum metebant. Dum autem in papilionibus suis magnis & operosis statim erectis, quasi in

domo propria habitabant, deducentes se spatiosè usque ad vesperum, aut per viridaria secus fluenta, aut secus saltuum virgulta, variè volucrum modulis voluptuoséque resultantia.

At ego quid facerem Monachus, & unum tantùm habens famulum? si ad villas tenderem aut exercitu eas diripiente jam villæ non erant, hominibus omnibus de eis per silvas latitantibus, aut si qua juxta remanserant, nihil tutum me posse in ea servare nocte illa certum habebam; hinc à rusticis spoliatis, & nocte explorare venientibus exercitum de silvarum latibulis, hinc à comitibus quoque nostris sua sibi invicem diripientibus. Si autem per spatiosa pratorum viridaria inter exercitum remanerem, ut taceam de domiciliis & casulis quas & si scirem, non habebam tamen unde ædificarem, aut mihi aut equis meis. Victum quem mecum non portabam, nesciebam ubi emere, neque pabulum ad opus equorum. Famulum autem meum à me separare non audebam, quia solus remanens, cui me de exercitu conjungerem æquè omnibus ignotus nesciebam. Tandem me & mea Deo & beato Trudoni committens, exiens exercitum, ibi juxta villulam semirutam à comitibus meis transivi, nullum virum in ea inveniens, nisi tantùm feminas propter timorem exercitûs, quæ videntes me Monachum irruebant in occursum meum certantes invicem, quæ illarum prima me posset habere nocte illa ad hospitium suum, ut meâ præsentiâ defenderetur de rapina inimicissimorum scutiferorum. Cúmque ad unam declinassem, cujus domûs munitior mihi parietibus videbatur: statim omnes mulierculæ cum pueris suis & infantibus de tota villa illa relictis domibus suis ad hospitium meum ululantes confugerunt, porcellos, gallinásque suas & gallos, & cetera parva animalia sua secum trahentes, & inter domum & horreum hospitæ me concludentes. Caseos autem & lac & panem, qualem habebant avenacium, & mihi & famulo meo gratis ingerebant ad comedendum, necnon & fœnum & annonam gratis nihilominus omnia hæc ad pabulum equorum. Sed gratias Deo nihil gratis ab illis acce-

pi, & Deo me meritis sancti Trudonis protegente, non solùm nihil ea nocte perdidi, verùm quidquid pavidæ mulierculæ ad hospitium meum contraxerant, mane exercitu discedente sine aliquo damno receperunt. Mansi pene tota illa nocte insomnis, maximè ut est pavida natura mulierculárum, me ibi trepidare facientium ubi non erat timor.

Sequenti die summo diluculo movente se exercitu, salutatis meis mulierculis surrexi, adjungens me nostro comitatui, sed pro præteritæ diei fatigatione & nocte insomni, tota die illa sub gravissimo solis ardore eram æstuans & anhelans, & super equum toto itinere diei illius somnolento capite, & quasi fracto collo nutabundus equitans; ea tamen die emens mihi & famulo meo bipennulam, necnon & falcem, cœpimus amodò de casulis & hospitiolis nostris metante exercitu sicut & alii facere, magistra nobis necessitate, præterquàm quòd rapina & domorum confractione abstinebamus, concisisque viminibus & lignis grandiusculis, casulas nobis & equis nostris conficiebamus, præsepia & aliqua obumbratoria. Fetor enim fimi equorum & hominum non longè à nobis ad secessum declinantium pene me quotidie enecabat, crebrò pungens ad vomitum, tum grandium die muscarum densissima infestatio, & nocte dormire volenti tenuè sibilantium, & usque ad effusionem sanguinis amarè crebróque mordentium, malarum pulicum importuna nimis infestatio, exultatio.

Tandem emenso itinere per decem fermè dies, quod tamen poteramus per quinque suaviter fecisse, Virdunum venimus, Imperatorem ibi quia necdum venerat expectantes. Audiens autem quòd Episcopus Metensis hospitaretur ad unam villam juxta Virdunum nomine Dongei, illuc ad eum transivi, dans ei ibi litteras Fratrum nostrorum, & viva voce supplens ei querimoniam & petitionem eorum. Ipse verò respondere mihi Metis distulit consilio majorum suorum acturus de hac re ibi; sed cùm aliquandiu apud eum manerem, ô quantas sustinui ibi controversias & contradictiones à quibusdam

Herimannitis. Erat enim ibi Comes HENRICUS de Lemburg cum Episcopo, & ad eum miserant Herimannitæ Presbyterum quemdam nostrum verbosissimè contentiosissimum nomine Hezelonem de villa Mergueles, ut ibi nuntiaret mortuum esse domnum Abbatem Theodericum, & admoneret eum juvare apud Episcopum de Abbatia Herimannum. Qualem ibi frequenter simul conflictum antè & retrò habuimus, quàm vix evasi insidias ejus tensas mihi inter Dongei & Virdunum, dum pro hac necessitate pene quotidie equitarem ad Episcopum. Villa autem hæc, scilicet Dongei, quæ versus austrum Virduno milliario parvo adjacet, sicut à Metensibus & indigenis tunc ibi didici, una fuit ex illis quas dominus noster sanctus Trudo cum cetero allodio suo beato Proto-martyri Stephano in pueritia sua Metis tradidit: quæ ad mensam Episcoporum Metensium usque ad tempus Episcopii Theoderici permansit, qui Cœnobium Monachorum sub titulo S. Vincentii Martyris Metis ædificans, Fratribus Deo & S. Vincentio inibi famulantibus ad stipendium proprium in perpetuum tradidit. Sed cùm Deo me protegente nihil mali mihi ibi facere potuissent, tractabant quomodò in reditu meo insidiis me exciperent, aut turpiter me dehonestarent, aut crudeliter interficerent. Sed commissus ab Episcopo Priori de S. Clemente Azelino nomine, qui postea extitit Abbas Gorges; habebat enim secum tunc eum tanquam virum sapientem & religiosum Monachum; Metis cum eo transivi, expectans ibi apud illum aliquando Episcopum; qui cùm venisset consultus signatas mihi dedit duas litteras, unam ad Fratres, aliam ad Herimannum ferendas. Mandavítque Fratribus citò se velle venire ad eos, ut præsens præsentibus consilio eorum terminaret longum contentionis funem inter eos & Herimannum. Litteræ autem ad Fratres habebant ut nullius timore frangerentur à justitia & veritate, quia vim nullam de Herimanno vellet eis facere. Ad Herimannum verò ita erant modificatæ, ut duplici sensu possent intelligi ab Herimanno de assentiente sibi Episcopo, à Fratribus de contradicente illi. Hæc ambiguitas idcircò

facta

facta erat, ut dum vana spe illuderetur Herimannus ante adventum Episcopi, qui quotidie expectabatur, nullum per satellites suos inquietaret de Fratribus sibi assentire nolentibus, & Fratres non frangerentur territi de dubio sibi animo Episcopi.

His acceptis litteris, & in pacis osculo ab Episcopo dimissus, viâ qua veneram non audebam, neque sciebam reverti, publicámque nihilominus viam metuens ob insidias Herimannitarum quas mihi densissimas tetenderant. Igitur ducente me nuntio boni Alzelini transivi per castellum Briei, nocte illa habens hospitium apud religiosissimos Canonicos in silva juxta nomen loci Monasterio S. Petri noviter incœpto ab illis ædificari. Facto die, scilicet Ascensionis Domini, similiter accepto ab illis conductu veni ad castellum Cuns, ubi erat cellula Fratrum de Monasterio S. Huberti, & apud eos nocte illa mansi. Tertia verò die perveni ad S. Hubertum per viam longissimam, & vasta solitudine horribilissimam, penè solis ardore cerebrum concrematus, & quibusdam antè quasi dentatis, aliis verò sine dubio amarè nimis retrò aculeatis equorum meorum carnibus gravissimè concisis, & sanguine eorum penè exhausto, qui amarissimarum punctionum suarum, & sævissimorum morsuum agitatione tantùm hac illácque præ angustia subtus me tota die illa dissilierant, ut vix me jam possent portare, & ampliùs quàm lentum passum incedere. Væ terræ illi cui Deus tam pessimorum monstrorum maledictione maledixit. Quarta die ducente me quodam Clerico, qui non minus captivitatem metuebat quàm ego, nescio quæ devia per altissimorum montium juga saxosa, per densium vallium concava palustria, miserabiliter tota die illa enervati nos & equi nostri fuimus, semper aures attonitas ad omnem cujuslibet rei strepitum attollentes ne fortè caperemur, aut familiari loco illi latronum excursu dormientibus nobis equi nostri tollerentur. Quinta die illucescente locum exsecrantes effugimus, Clerico viam suam tenente, me aliam. Habent Cluniacenses Cellulam in silva inter Hoyum & Leodium ubi dicitur ad S. Symphorianum, ad

eam cùm venissem humanissimè ab illis susceptus sum nocte illa.

Sexta die pervenimus Leodium apud piissimum & religiosissimum Abbatem de S. Iacobo domnum Stephanum, ubi in securo jam positus cœpi tandem gravissimè sentire quid doloris contraxissem de longa itineris difficultate. IESU bone redde animæ meæ compassionis humilitatem, quam ibi infirmitati meæ exhibuit. Quàm benigno vultu, quàm larga manu, quàm consolatorio alloquio, jamdudum præstolabantur ibi quidam de Fratribus nostris reditum meum, pro timore volentes me avertere ut ad claustrum tunc temporis non redirem; quoniam tota obstinatione conjurassent in me Herimannitæ, & jussu domini sui homines Comitis Gisleberti summoperè quærerent me dehonestare. Fateor territus aliquantulùm modicum anceps hæsi, sed resumptâ mihi constantiâ, etsi ad claustrum non transirem gravissimo considerato Ecclesiæ damno, mira arte, bona tamen effeci ut placarem mihi uxorem Comitis Gisleberti, quæ maximè incitabat dominum suum & suos in auxilium Herimanni, à qua facillimè obtinui, ut de Leodio ad claustrum nostrum pacificum conductum mihi daret, & Herimanno suísque præciperet, ut in nullo mihi molesti essent. Suspenderam enim animum ejus quod forsitan Herimanno concordaret, si secundùm misericordes litteras Episcopi quas illi afferebam, consilio meo acquiescere vellet. Quod illa libentissimè de ore meo suscepit, & quidquid volui de pace mea ab illa tunc impetravi. Revera autem non mentiebar ei, quia si Herimannus vellet consilio meo acquiescere secundùm litteras Episcopi, quas apportabam illi, quæ, ut dixi, duplici sensu poterant intelligi, in hoc quod concordaret ei, ut ab Ecclesia nostra recederet, & Abbatem canonicè nos habere permitteret. Ego autem dummodò sanus possem intrare claustrum, non multùm postea timebam Herimannum. Sic simplicitate monachicha delusa est mulieris astutia.

Tendens igitur audaci fronte & nudo capite ad claustrum, stupori eram omnibus incurrẽtibus mihi per viam,

maximè qui me transeunte in medio oppidi nostri stabant; rarus enim erat incola nostri territorii qui ignoraret de coanimata eorum obstinatione in periculum mei capitis; sed Comitissæ nemo eorum contradicere audebat. Fratres autem viso me in medio claustri præter spem cum magno stupore & ingenti lætitia me circumsedebant, tanquam redivivum de sepulcro, aut depensum à patibulo, & redditum vivum Conventui nostro; labores itineris mei cùm eis referrem pectora sua percutiebant, & quòd saltem vivum recepissent Deo gratias agebant. Interea Episcopus Leodiensis Monasterium nostrum & foris Ecclesias in banno posuerat quamdiu Herimannus in Abbatia moraretur. Paulò pòst Fratribus tradidi litteras legendas Metensis Episcopi, quomodò deberent intelligi aliæ missæ Herimanno exposui illis secundùm sensum Metensis Episcopi, unde fortissimè in suam sententiam contra illum sunt animati. Suscipiens autem Herimannus de manu mea missas ab Episcopo litteras, nullámque alium in eis sensum inveniens nisi qui ei placebat, familiaribus suis ostendit, addens etiam illis, quia Episcopus ei mandaret cùm veniret quòd de me pacem ei faceret, si nos concordare non posset. Quæ spes licet inanis, tamen eos interim mitigabat, ne furorem quem maligna mente in nos conceperant, maligniori opere exercerent. Acta sunt hæc in mense Maio.

Mense autem Iulio quartâ hebdomadâ venit Episcopus Metensis Leodium, tendens ad locum nostrum, cui occurrentes Fratres nostri deprecabantur eum primùm omnium precum humillimarum humilitate, ut non audiret contra eos fautores Herimanni; deinde constanter affirmabant illi quia si contra Ecclesiasticas regulas vim eis inferre moliretur, etiam usque Romam non vererentur eum appellare. Episcopus autem promittebat illis se nihil de Herimanno facturum quòd non esset canonicum. Sed fautores Herimanni circumvenientes consiliarios & collaterales Episcopi incredibilibus promissis, modò fidem spondendo, modò jurejurando in tantum sibi eos inclinaverunt, ut de Leodio ubi venerat bona spe redire

ad locum noſtrum facerent Herimannum. Præceſſit Epiſcopus, lentè ſubſecutus eſt Herimannus. Epiſcopum venientem cùm obvia proceſſione ſuſcepiſſemus, præcantabamus ei cum multis lacrymis & ſingultibus illud reſponſorium: *Aſpice, Domine, quia facta eſt deſolata civitas plena divitiis.* Et aliud: *Recordare, Domine, teſtamenti tui, & dic Angelo percutienti ceſſet jam manus tua.* Deinde introducto Capitulum noſtrum lecta eſt ei & ſuis Clericis illa lamentabilis Hieremiæ lectio: *Recordare, Domine, quid acciderit nobis: intuere & reſpice opprobrium noſtrum.* Vbi cùm ventum fuiſſet ad illud verſiculum: *Pupilli facti ſumus abſque patre: matres noſtræ quaſi viduæ. Cervicibus noſtris minabamur, laſſis non dabatur requies.* Lector primùm tantis increpuit ſingultibus, & profuſus eſt in lacrymas, ut vox deeſſet legere inantea volenti, & viſus præ inundantia lacrymarum obtenebraretur ante ſe aſpicienti. Deinde totus Conventus in idipſum flebiliter incitatus omnes Epiſcopales ea hora ad pietatem & miſerationem ſuper nos inflexit: ſed citò ab cordibus eorum miſeratio illa & pietas evanuit. Inde tamen ſurgens Epiſcopus humanis nos conſolatus verbis bona ſpe eventum rei modicum ſuſtinere præcepit. Siluimus ſcilicet.

2. Reg. 24. 16.

Thren. 5. 1.

Ibid. 3.

Fautores immo venatores Herimanni iterum atque iterum nocte & die collaterales & conſiliarios Epiſcopi, quin certè etiam viliſſimos quoſque de curia ejus maximis promiſſis & quæ vix aliquis ſperare poterat ſollicitantes; ſatagebant ſummoperè ut ſibi animum Epiſcopi inclinarent, quod & factum eſt. Habebat enim Herimannus nepotem quemdam Gualterum nomine de Harchs liberum quidem hominem, & plurima in feudis & prædiis poſſidentem. Huic non erat curæ quid promitteret, quid perſolveret, quid juraret, quid pejeraret, ſua multa bona in vadio ponens pro argento dando, pro equis & palefridis, pelliciis & pellibus griſiis & variis, ceteriſque veſtibus, dummodò Herimannus Abbas ſtatueretur. Ceteri nihilominus ejus complices nullo modo attendebant quantum inde fidem mentirentur, quantum pejerarent, dummodò illum nobis nolentibus intruderent. Sum-

ma tandem persoluti argenti supputata est nobis fuisse usque ad sexaginta marcas & aliquid ampliùs, & equorum & palefridorum usque ad quadraginta duo: sic erat tunc fama, quin immo infamia, sibi imputetur non mihi, si sit mentita. Sed nos ea quæ vidimus & præsentes audivimus veraciter referre possumus, quia ante Cellam Abbatis in qua Episcopus hospitabatur, & per totam Curiam magnus quotidie venientium & abeuntium equorum discursus, & clamor hominum vendentium aut ementium eos habebatur, qui dabantur à fautoribus & amicis Herimanni consiliariis & collateralibus Episcopi. Herimannus verò in spicario nostro morabatur parvo satis spatio distante à Cella, in qua Episcopus hospitabatur, ita ut intercurrentes nuntii manifestissimè ad eum ingrederentur, & de quantitate & qualitate sui turpissimi mercimonii ante eum tractarent.

Hæc dum agerentur, nos interea gravissima victûs & vestitûs necessitate afficiebamur, in tantum ut præsente Episcopo & tyrannisante Herimanno die solemnitatis S. Petri Apostoli Calend. Augusti, & in Inventione B. Proto-martyris Stephani patroni & domini nostri, nihil omninò quod comederemus & biberemus, invenissemus ad mensam nostram, & ceteras perplurimas necessitates pateremur, quas hîc enarrare longum esset. Quid moror? Graviter corrupti & facti turpiter abominabiles in studiis pessimæ hujus simoniæ omnes qui tunc aderant Episcopales; maximè verò & ardentiùs Clerici subtilissima examinatione, & astutissima pertractione quærebant quomodò nobis deceptis Herimannum intruderent, ut sic promissa sibi acciperent, aut accepta deservirent, aut si nos astu decipere, neque vi aut ratione possent frangere, quomodò tanta eis promissa, aut jam data illuso Herimanno retinerent, qui frequentissimè nobiscum inde agebant: & cùm neque ratione superare, neque astu possent decipere, malignis verbis & minis quamplurimis afficiebant.

Ne tamen omnes lateat quæ nobis proponebant, & quid nos eis respondebamus, paucis hîc annotare curavi-

mus. Aiebant cùm Poppo, qui Herimanno Metis in Episcopatu canonicè successit, Herimanno huic Abbatiam dederit, quomodò audetis dono ejus contradicere, qui canonicus fuit Episcopus? Quibus Fratres. Popponem Metensem post Herimannum canonicum Episcopum fuisse non negamus, sed Herimannum canonicum donum ab eo non accepisse. His rationibus usque ad majorem audientiam approbare parati sumus. Primò quia scientiâ tam divinâ quàm honore & nomine Abbatis sit indignus. Secundò quia defuncto Abbate suo Fratribus ei reclamantibus per vim & pecuniam, & per laïcalem manum Ducis GODEFRIDI, ad quem nihil pertinebat neque de spirituali, neque de temporali dono Abbatiæ nostræ, prælationem super nos accipere præsumpsit, & homines Ecclesiæ nostræ per sacramentum & hominium sibi mancipare. Tertiò quia bona Ecclesiæ distraxit, familiam afflixit, nos victûs & vestitûs egestate cruciavit. Quartò quia sine omnium consensu Fratrum & electione Metis profectus est, & donum illud quod accepit à Poppone, præsentibus ibi Fratribus nostris, & viva voce ei contradicentibus, diémque & audientiam petentibus, tamen accipere præsumpserit. Insuper cùm ibi Fratres impræsentiarum habuissent litteras Leodiensis Episcopi, & alias, scilicet ejusdem Ecclesiæ, necnon & Trevirensis Archiepiscopi Magistri Metensis, quæ donum illi contradicebant cum Fratribus nostris. Quintò quòd etiam illud donum per pecuniam obtinuerit, & quòd contradicentes ei Fratres spoliari & flagellari gravissimè fecerit. Sextò quòd cùm necdum Monachus sit, scilicet cùm ad nullius unquam Ecclesiæ titulum adhuc professionem fecerit, neque benedictionem Monachi susceperit, Abbas esse & benedici in Abbatem non potuerit, qui necdum est benedictus in Monachum. Et quomodò Monachus benedictionem monachalem dabit, qui eam necdum professus est? Septimò quòd pro his culpis cùm semel atque iterum, necnon & tertiò canonicè ad audientiam vocatus fuerit, & venire noluerit; quòd inde excommunicatus usque ad eam diem adhuc

extiterit: quæ si ita esse nollent credere, dies daretur & audientia nobis & illi, si se posset excusare ab his, non contradiceretur ei.

Talia cùm à nobis Metenses audirent, nesciebant quid certi nobis respondere possent: attamen aviditas ardentissima gravissimæ eis promissæ aut jam solutæ pecuniæ urgebat eos in omnes anfractus ire. Quid tandem? ipsemet Episcopus Adalbero in Capitulum nostrum venit, si fortè vel ejus præsentia frangi posset Fratrum constantia; sed cùm non posset, saltem loco Abbatis suadebat nobis tamdiu illum nobiscum pati, donec discuteretur nobis præsentibus Metis de his suis culpis. Fratres verò de discussionis illius die omninò acclamabant, sed quod ante discussionem in loco Abbatis aut etiam Fratris inter eos stare deberet, nullo modo pati volebant: maximè cùm Ecclesia Leodiensis in tantum pro excommunicato eum haberet, ut divinum Ecclesiæ nostræ officium interdixisset quamdiu intra atrium & curiam nostram esset, communicaréque ei non audebant, cui non communicaret Leodiensis Ecclesia, quoniam de ejus cura & communione erant. Sub hac dissensione die illa Capitulum nostrum solutum est muneratis ab Herimanno id ægrè ferentibus, munerandísque multò ægriùs. Consolatum tamen eum & suos sicut invenerant reliquerunt; tollentésque secum grandem quam ab eo acceperant pecuniam, & magnum equorum numerum, pellésque & pellicias tam varias quàm grisias Metis recesserunt. Episcopo autem recedente factus est apud nos error novissimus pejor priore, efferatis crudelissimè omnibus Herimannitis in nostram tribulationem; fame, siti, nuditate, tamen de Ordine, quantum unquam sustinere poterat humana fragilitas secundùm mala quæ accidebant, nihil voluntariè prætermittebant. Versum est autem in me solum majus pondus istorum malorum, & in me succensi ferebant ardentissimè animi omnium Herimannitarum. Putabant enim se potuisse prævalere, si solus cessissem, cùm licet per me plurimum, non tamen per me solum totum fieret quod prævalere non poterant.

Comitissa verò GERTRUDIS tandem sentiens quia ei arte illusissem, iratum in me maritum suum GISLEBERTUM vehementiùs indignatione feminea cœpit accendere, ita ut etiam intra parietes dissipati Claustri nostri non auderem me credere, infráque ipsum Monast. timerem capi plerumque. Quod vitæ meæ periculum cùm diutiùs sustinere non possem, tacitè egi per Comitem ARNULFUM Lovaniensem, ut me suo conductu sanum de Claustro nostro educeret, animámque meam de medio catulorum leonum eriperet. Eduxit igitur me quarto Calend. Septembris tristem vehementissimè, qui locum assuetum mihi relinquerem, & ad juvenes in quos erudiendos multùm desudaveram, ad omnémque congregationem in qua plurimùm laboraveram, non ultra redeundi spem haberem. Erat enim multo major, quàm hodie quisque existimare possit, loci desolatio, & Fratrum tribulatio; cùm Herimannus usurpatâ sibi totâ Abbatiâ, homo sine consilio & absque prudentia, per pessimos nebulones, & mendacissimos & levissimos homines omnia ageret, patrocinantibus ejus violentiæ penè omnibus qui defendere deberent Ecclesiæ nostræ justitiam. Vnde laboris mei pro eo loco, & multarum angustiarum quas frequentissimè sub domno Abbate Theoderico sustinueram, multùm me modò pigebat, in tenerrimo flore relinquens pede superborum & luto miserrimæ conversationis eorum imprimendum, quod putaveram me perducere posse ad maturum piæ operationis fructum. Flebam igitur amarissimè discedens, nullámque longo subsequentis temporis spatio consolationem recipiens, nec multùm moratus contuli me ad sanctum Laurentium Leodii sub magisterio sapientis viri Abbatis Berengarii. Ibi infra tertiam hebdomadam Septembris firmavi stabilitatem meam. Gratias illis quia omni humanitate, & majori quàm dignus essem honore consolari satagebant Fratres multo studio recentis doloris mei ægritudinem.

Interea nec Herimannus ab obstinatione invictus, nec Fratres quamvis ejus infestatione, aut sua penuria removeri poterant à sua constantia, tamdiu inter utrosque pro-

tractus est miserabilis contentionis hujus funis, donec Imperator Leodium reverteretur de sua in Flandriam profectione, scilicet eodem anno mediante mense Decembris. Ibi igitur proclamantibus Fratribus Imperatori coram Episcopis & Principibus qui cum eo erant, quòd contra sanctorum Patrum instituta & Canonum decreta Herimannum violenter vellet præesse, cùm olim culpa exigente ejectus excommunicatúsque fuisset ab eorum Ecclesia & prælatione judicio majorum Leodiensis Ecclesiæ; Imperator jussit Herimannum & Fratres sequenti die adesse, ut coram Leodiensi Ecclesia intelligeret, si ita esset de eo, sicut Fratres ei conquererentur. Nam fautores Herimanni notum fecerant ei, quòd præjudicium passus fuisset, & quòd non canonicè sed obstinatè Fratres eum abjicerent. Die igitur data hujus indagandæ veritatis sedit Imperator in Capitulo S. Lamberti cum Episcopis suis & Principibus, sedit & Episcopus Leodiensis OLBERTUS cum Archidiaconibus & Præpositis, Decanis, Cantoribus, Scholasticis & multo alio Clero sederunt, & Abbates de civitate, Abbas S. Laurentii BERENGARIUS, & Abbas S. Iacobi STEPHANUS. Intravit autem Capitulum & Herimannus multa vi & ingenio ad hoc ut ante veniret compulsus: aderant & Fratres. Ibi si adesses, posses vidisse quàm parvi homo erat consilii, quàm inverecundi animi, quàm hebetis ingenii. Nam inter cetera eo usque perduxerant eum sui consiliarii, qui tunc procul valde ab eo erant, quod in ipsa hyeme vix habebat, unde vel frigus à se grosso aliquo tegumento propelleret in medio tanti Conventus, necessitate urentis eum frigoris super tunicellam suam indutus vilissimam capulam cum qua equitabat. Tum surgens in conspectu omnium, Episcopus OLBERTUS narravit per ordinem, quomodò judicio suæ Ecclesiæ actum esset olim de Herimanno, & quæ ratio esset, quòd non liceret eum esse ampliùs Abbatem S. Trudonis; & quòd ejusdem culpæ obstinatione & frequentissima iteratione usque ad ipsam diem teneretur sub sua excommunicatione. Qui cùm perorasset, Abbates & Archidiaconos, & omnem suum

qui ibi aderat Clerum per obedientiam admonuit, si ita res esset acta de Herimanno olim, quam eodem tramite repetentes eodem fine concluserunt.

Tunc Imperator dixit ad Herimannum: Frater si habes aliquid adversum hoc dicere, exi, consule, revertere, & responde. Sedebat juxta Imperatorem fautor Herimanni potentissimè tunc temporis famosus, & famosissimè potens in Curia Imperatoris ADELBERTUS, postea, ut dixi, factus Moguntinus Archiepiscopus, confusus nimiùm, quia cùm vellet contra veritatem non poterat juvare eum. Rogabat autem Herimannus aliquos de Archidiaconibus & de Clero, ut exirent ad consilium ejus. Sed nullus cum excommunicato homine exire volebat. Tunc de Principibus nomine Guibertus & Rabodonensis* Episcopus dixerunt ad Archidiaconos & Clerum S. Lamberti: Bene decet vos exire cum excommunicato homine ad consilium, ut consulatis ei, quatenus cesset ab ea re pro qua tenetur excommunicatus. Quod audientes quidam exierunt, & aliquandiu habito foris cum hebete & obstinato homine conflictu, ad hoc tandem perduxerunt, ut reingressus in medio omnium se peccasse, se errasse fateretur, & toto corpore prostratus absolutionem deprecaretur, promittens se ampliùs talia nolle committere: ubi & absolutus est & jussus abire; quem statim omnes satellites ejus non modò reliquerunt, verùm præcurrentes ad hospitium ejus, nec equum, nec quicquam sicut stabat & ambulabat, reliquerunt. Quidam autem Cnonicorum sancti Petri Leodii solum eum jam vesperascente invenit stantem ante capellam sancti Trudonis ibidem Leodii mœrentem, & quò declinaret prorsus nescientem, quem nocte illa ducens ad hospitium suum mane juvit transire Mosam in silvam ad S. Symphorianum Cellam Cluniacensium. Fratres autem nostri cum lætitia magna reversi sunt ad Claustrum suum. Sic agunt laïci erga stultos & nimium sibi credulos Monachos, ad talem honorem perducunt honoris cupidos, sed honoris indignos.

f. * Ratisbonensis.

Imperator inde abiens habuit curiam suam Aquisgrani


in Natale Domini, ad quam cùm audiſſent Fratres noſtri quòd Epiſc. Metenſis adeſſet, venerũt ibi ad eum, ſua mala quæ paſſi fuerant omnia ei imputantes, quoniam tyranni illius violentiâ opprimere eos paſſus fuiſſet: qui ſuſpenſos eos de die in diem reddens de dando illis Abbate, tamdiu diſtulit nullo Fratrum noſtrorum quidpiam ei pro Abbatia promittente, donec cum eis ad Clauſtrum noſtrum reverteretur. Tandem verò ſentiens non bonam famam ubique volitare de ſe, pro eo quòd nobis de Herimanno fecerat. Leodienſes verò necnon & Metenſium meliores non ſine nota ſimoniæ afflictionem Eccleſiæ noſtræ maniſeſtiùs imputare, ſecretum cum ſuis iniit conſilium, ut pro hac extinguenda infamia ipſemet iret Leodium, Fratréſque noſtros meliores ſecum duceret, & ibi Abbatum primorum Eccleſiæ conſilio de præficiendo Fratribus noſtris Abbate ageretur: quod & ita fecit.

Quartâ igitur hebdomadâ Ianuarii venit Leodium, & ad electionem Fratrum noſtrorum, qui ibi aderant, Prioris ſcilicet Guederici, & Præpoſiti Morungi, Sacriſtæque Siberti, & Cantoris Cellerariíque Folrardi, conſilio Abbatum & Monachorum, necnon & majorum Clericorum Leodienſium, primis qui aderant, tam Clericis quàm laïcis in idipſum acclamantibus, necnon & melioribus de familia noſtræ Eccleſiæ, præfecit eis Abbatem* (cujus nomen non eſt meum hìc ponere) contradicente huic electioni multa animadverſione Advocato noſtro Comite Giſleberto. Sed Fratres, & maximè homines noſtræ Eccleſiæ maxima conſtantia & libertate coram Metenſibus & Leodienſibus pronunciabant nihil omninò ad Advocatum pertinere de tali re, quòd ſi Epiſcopus hanc libertatem Eccleſiæ vellet infringere, nullus eorum omninò intereſſet novæ & inauditæ illis hactenus præſumptioni & violentiæ. Vicit Fratrum hominúmque Eccleſiæ conſtantiſſima acclamatio, & in novum Abbatem, & ei familiariùs adhærentes ſuccenſa eſt quaſi fornax vehementiſſima Advocati ira & indignatio.

Id eſt, * ipſum Rodulfum.

Acta ſunt hæc Leodii in domo S. Trudonis, ſcilicet quòd Abbas iſte poſitus fuit III. Calend. Februarii. Quar-

to verò Nonas Februarii, hoc est die Purificationis B. MARIÆ oppidum & Monasterium S. Trudonis intravit, susceptus cum processione Fratrum, & multa multitudine utriusque sexus, & diversæ ætatis oppidanorum, statímque indutus candelas benedixit, processionem cum aliis egit, Missámque cantavit. Septimo autem Calendas Martii consecratus est in Abbatem, quæ fuit eo anno prima dies scilicet Dominica Quadragesimæ, quando canta-
1108. tur: *Invocavit me*: anno millesimo centesimo octavo, regnante Romæ Imperatore quinto HENRICO, cujus pater Leodii defunctus est: præsidente Romæ in Papatu PASCHALI post Vrbanum, Metis ADELBERONE quarto post Popponem, Coloniæ FREDERICO post Herimannum, Leodii OLBERTO post Henricum. Quod autem consecratio Abbatis tamdiu dilata fuit, fecit hoc Advocatus tunc noster Comes GISLEBERTUS, qui quocumque modo per se, per amicos suos adversabatur ei, tum causa Herimanni quem sicut priùs juverat, ita & tunc quoque juvare adhuc de Abbatia volebat; tum quia acerrimum sibi eum fore metuebat, si libertatem Ecclesiæ nostræ infringere propter advocatiam suam ullo modo unquam attentaret. Neque enim adhuc pax fuit de Herimanno, adhuc restat inde dicenda gravis inquietatio, quam illi scribendam servamus, qui gesta hujus Abbatis post domnum Theodericum assumet sibi scribenda. Qui si fidelis diligénsque relator extiterit, inseret gestis hujus Abbatis quid Herimannus ei fecerit, & qualem novissimum finem habuerit.



****

LIBER OCTAVVS.

OBIIT domnus Abbas THEODERICUS ſeptimo Calend. Maii anno 1107. Fuit autem Abbatia ſine Abbate uſque III. Calend. Februarii propter ſupradictas diſſenſiones, volentibus Herimannitis ſuum intrudere Herimannum, Fratribus verò volentibus habere canonicè electum. Tandem igitur poſt indicibiles labores ſuos & miras anguſtias, prævaluit Fratrum canonica unanimitas, unanimiſque conſtantia, & III. Calend. Februarii ſubſtitutus eſt Abbas RODULFUS ordine quo ſuperiore libro tacito nomine deſcriptum eſt de illo; quarto autem Nonas Februarii intravit, ſcilicet die Purificationis S. MARIÆ: ſeptimo verò Calendas Martii conſecratus fuit.

Fuit iſte RODULFUS natus de villa, quæ ſita eſt ſuper Sambriam fluvium nomine Monaſterium, ubi habetur Abbatia ſacrarum Monialium nigras veſtes ferentium, locúſque eſt in honore S. Petri Apoſtoli conſtructus à S. Amando Epiſcopo, ubi requieſcit S. Fredegandus glorioſus, & virtutibus probatiſſimus Confeſſor. Parentes quidem ejus plebei ſed chriſtianiſſimi de ejuſdem Eccleſiæ familia; hoſpitalitati pauperum & refectioni eorum infatigabili ſtudio ſervientes, & conjugalem vitam ſine crimine, & abſque nota aliqua chriſtianitatis ſuæ ducentes. Sub ſcholari diſciplina & ſtudio litterarum Leodii poſitus uſque ad XVIII. ætatis ſuæ annos ibi manſit; ubi quantum metro & proſâ profecerit ex ſcriptis ejus & opuſculis, quæ poſtea fecit, planè intelligi poterit. Iámque factus Subdiaconus libertatem eundi quò vellet adeptus amore cujuſdam Clerici ſodalis ſui nomine Lamberti, qui confeſſus ei fuerat, quia Porceti vellet Monachus fieri, quod etiam dudum Deo & Sanctis loci illius voverat, tamen gratiâ videndi loca calidis aquis de terra emanantibus famoſa, cum illo Porcetum quod eſt juxta pa-

Radulfi Abbatis nativum ſolum.

latium Aquisgrani transivit: nihil tamen minus fuerat ei tunc in voluntate quàm fieri Monachum. At cùm nocte de more Monachorum vitæ Patrum legerentur ad collationes Fratrum, abscondebat se in operto ibi juxta posito locello, unde audire totum & intelligere poterat quod legebatur. Neque hoc faciebat adhuc studio tantum ædificandi, quantum audiendi miracula vitæ simplicium virorum, de quibus ibi legebatur, & novo auditorio styli simplicioris: cúmque frequentiùs ardentiúsque non tam styli rusticitati, quàm mirabilibus dictis & factis simplicium sanctissimorúmque Patrum, de quibus ibi legebatur, attenderet, cœpit ei vehementer vilescere præsentis vitæ miseria, & nihilominus accendi ad contemptum sæculi, atque illud in corde suo hac illácque versare continua noctis in stratu suo meditatione. Quid plura? intra paucos dies in tantum coaluit lactea potatio illarum collationum in corde ejus, ut non solùm titubantem aliquantulùm sodalem suum de mutando habitu exhortatione sua firmaret, verùm ipse una eadémque die mutaret decimo octavo anno ætatis suæ.

Die igitur Conversionis S. Pauli uterque habitum mutavit, monachicúmque professi sunt in loco qui dicitur Porcetum juxta palatium Aquisgrani, in Monasterio S. Iohannis Baptistæ sub AZELINO Abbate. Sed cùm auditâ Regulâ* videret Fratres eam in perpaucis observare, cœpit religiosa Coloniensis Episcopii Cœnobia frequenter circuire, interdúmque ibi & menses & dimidium annum facere, maximè apud religiosum & pium Abbatem ADELBERONEM Gladebacensem*, qui primus & noviter tenebat ibi ordinem Sigebergensium nominatissimorum tunc temporis Monachorum in ordine, religione, hospitalitate. Quorum disciplinam quò ardentiori animo ebibebat, eò fastidiosior loci sui dissolutionem, & sæcularitatem nimiam abhorrebat.

* S. Benedicti.

al. * Glaidpacensem.

Mortuo interea Abbate Azelino, cujus nimia simplicitas & gravis senectus, & ordinem & temporale bonum nimis defluere nescientis melius dimiserat. Successit Iohannes Custos & Decanus ejusdem Cœnobii senex

multùm, & in nullo prorsùs valens ad tale ministerium; nam Fratres secundùm quod erant personam sibi idoneam elegerant. Tunc videns Rodulfus quia multiplicata essent mala & dissolutio roborata, secundùm quod rem veracissimè intelligebat futuram, desperans de loci & Ordinis emendatione, accepta licentia recessit, tendens iter in Flandriam, ubi audierat duci religiosam Monachorum vitam. Gladebac autem ubi sæpè moratus fuerat idcircò ire noluit, quia sentiebat ut postea evenit, si Abbas loci illius Adelbero moreretur, quòd cum eo corrueret Ordo Sigebergensis noviter ibi introductus. Multas autem & gravissimas frequenter injurias priùs in Porceto sustinuerat, cùm primùm positus Custos & scholaris Magister Puerorum, inde Cellerarius, deinde minor atque major Præpositus de emendanda Religione contenderet, pene quotidie ipse & sodalis suus cum quo Monachus factus fuerat, Fratribus eis convitiosè multum atque injuriosè resistentibus, cùm parvum aut nullum haberent ab Abbate inde auxilium.

Defatigatus igitur multùm, ut dixi, desperánsque de loci emendatione, recessit tandem tendens in Flandriam. Contigit autem eum habere transitum per S. Trudonem, & nocte illa hospitio eum recepisse domnum Abbatem Theodericum, qui interrogans eum quis & unde esset, quóque qualíque mente proficisceretur: cùm bonum ejus propositum intellexisset, formosúmque & pulchrè litteratum juvenem illum attenderet, cœpit sagacissimè satagere quomodò eum sibi retineret, utilem sibi eum fore credens, primùm ad instruendos sibi disciplinâ & doctrinâ pueros suos, deinde ad promovendum in aliquod, si ita fortè accideret, ut accidit, ecclesiasticum intus aut foris ministerium. Cui cùm persuasisset demorandi secum volũtatem gratiosi oris facundiâ; primũ ei scholares pueros scholaribus disciplinis instruendos commisit, quasdámque utilissimas compilationes plenas plurimarũ divinarum Sententiarũ scribendas, & multorum decreta Conciliorum. Scripsit igitur ei eodem primo anno volumen illud utilissimum, multùm continens Scripturæ: &

Pueros vix musam declinare sciolos non tam dictamen quàm metrum quoque componere docuit. Gravissimum autem sustinuit laborem ad introducendos eos, cùm ipse loqui eis teuthonicam nesciret, & quidam Puerorum parvitate adhuc scientiæ, & nativa illis lingua teuthonica neque latinè, neque, ut ita dicam, vuallonicè possent eum intelligere. Vicit tamen labor improbus omnia vincens, & eodem anno fecit eos litteratè facillimè intelligere quidquid volebat eis legere. Instruxit etiam eos arte musica secundùm Guidonem; & primus illam in Claustrum nostrum introduxit; stupentibúsque Senioribus faciebat illos solo visu subitò cantare tacita arte magistra quod nunquam auditu didicerant.

Miserrima tunc adhuc, ut superioribus libris relatum est, & lamentanda habebatur loci facies, Fratribus prorsus non habentibus neque Claustrum neque Monasterium, sed nudam & discissam atque horribilem templi vastitatem, & in Claustro domum unam tantùm imperfectam & incultam, in cujus dimidietate reficiebant, & in altera dormiebant. Fratres autem qui tunc habebantur isti sunt: Primus demum Abbas Theodericus: 2. Bozo Decanus, quia sic tunc in illo veteri Ordine appellabatur, qui modò in isto Prior vocatur: 3. Stephelinus: 4. Herimannus cognomento calvus, de quibus aliquid superiùs dictum est: 5. Sibertus: 6. Eugo: 7. Morungus: 8. Folrardus: 9. Bovo: 10. Reizelinus. Pueri de scholis Gislebertus, Gerardus, Thidelinus, Balduinus, quatuor hi tantùm hospites qui paulò pòst recesserunt.

Itaque post duos fermè annos Bozo qui tunc erat Decanus moritur, & Rodulfus ad illud ministerium ab omnibus Fratribus electus in loco ejus substituitur, qui statim accingens se ad emendationem Ordinis quotidie in Capitulo & extra Capitulum conferebat cum Senioribus, qualis & quomodò antiquitùs Ordo in Monasterio priori & Claustro adhuc stante teneretur: quibus consuetudines plenas honestissimæ gravitatis & religionis antiquæ Monasterii illi demonstrantibus, suadebat illis benigna arte, mollíque & paulatim procedente informabat

vestigio

vestigio ut attentarent eas posse recipere, & antiquam inustæ illis infamiæ rubiginem sic aliquando vel tandem abradere. Ipse autem nocte & die assiduus erat omnibus horis in choro, & de Psalmis tractim cantandis, & cantu dulce æquè modulando indefessa illi sollicitudo. Sed cùm nesciret secundùm usum Claustri cantare (usus enim cantandi, nescimus unde hoc acciderit, nulli comprovincialium nostrorum convenit) erubesceréq; vehementissimè, quasi stipem inutilem inter cantandum in choro stare: miro quidem & indicibili labore, & gravissima capitis sui infirmitate Graduale unum propria manu formavit, purgavit, punxit, sulcavit, scripsit, illuminavit, musicéque notavit syllabatim, ut ita dicam, totum usum priùs à Senioribus secundùm antiqua eorum Gradualia discutiens. Sed cùm usus eorum per quamplurima loca propter vitiosam abusionem & corruptionem cantûs, nullo modo ad certam regulam posset trahere, & secundùm artem non posset notare, nisi quòd regulari & verisona constaret ratione. Ipse autem ab usu Ecclesiæ non facilè vellet dissonare miro, ut dixi, indicibilíque labore in hoc tantùm se frustra afflixit, quòd ex toto usum mendacem regulâ verâ tenere non potuit; sed in hoc profecit quòd quidquid alicubi in monocordo cantari potuit de usu Ecclesiæ non prætermisit se præterire. Multa tamen propter negligentiorem suam perficiendi operis velocitatem, quæ per graviores litteras notari debuerant, per acutas sive per superacutas notavit, & quæ per acutas sive per superacutas, per graviores quod incorrectum reliquit alia sollicitudine intercurrēte. Consummavit autem uno anno opus illud propria, ut dixi, manu de omnibus parvis & magnis quæ pertinere videntur ad Graduale, cum Antiphonis Rogationū, & benedictione cerei in Pascha. Statímq; pueri & juvenes magisterium ejus & libri exemplar sequentes, non solùm artem illam cœperunt addiscere, verùm emendatiùs & accuratiùs libros suos post illum notare. Quod postquam vidit, petebat ut suus tolleretur de medio, ne propter ejus inemendationem, & festinantis manus incuratam scripturam & notam, esset ei in po-

ſterum confuſio. Sed pueri & juvenes qui ex illo introducti fuerant, magiſtri amore monimentum illius leviter deperire non ſinebant. Scripſit igitur in poſteriori parte voluminis inter duas aſellas ita Graduale non tam regulare quàm uſuale, poſtremò neque uſuale neque regulare, ut oſtenderet quia licet ita notaſſet, non tamen ignoraret quid erroris haberet, cùm regulam propter uſum, & uſum propter regulam tenere ibi non poſſet, & cùm propter feſtinationem interdum de regula præteriſſet, ubi eam tenere attentus potuiſſet.

Abbas autem THEODERICUS videns ſtudium ejus & fervorem in religione ferventiſſimè ſuper eo gloriabundus lætabatur, & ad voluntatem ejus omnia quæ erant Clauſtri ſinebat libenter diſponi. Sed ille affligebatur quàm maximè, & pene continuè à quibuſdam inquietis Monachis, quos propter paucitatem Fratrum noſtrorum Abbas Theodericus permittebat nobiſcum hoſpitari de aliis Clauſtris, cùm eos compelleret nobiſcum ſub regula & diſciplina vivere, quam illi aut in Cœnobiis ſuis non didicerant, aut exoſam habentes effugerant. Ille autem aiebat, malle ſe cum paucis religiosè vivere, quàm cum multis irreligiosè. Tenebatur tunç quoque abuſio quædam veſtimentorum apud nos non antiqua ſanctione, ſed nonnulla præſumptione, ſcilicet quod tunicæ Fratrum non erant ſine capitiis ſicut modò ſunt, ſed ita habebant à ſe capitia, ſicut à cucullis pendentia. Quòd ſi quando tunicas induerent, ſine cucullis ibant, & quando cucullas portabant, tunicas nunquam induebant, propter ſingula, ut dixi, capitia à ſingulis veſtibus fixè dependentia, & quia talis abuſio ab illis tantùm tenebatur qui irreligioſitate nobiles habiti, ſæculares quoque Monachi appellabantur. Dolebat multùm Rodulfus hac nota ſe & Fratres ſuos teneri, quod abſque aliqua corporis afflictione poterat emendari. Contra quam abuſionem immutandam maximè repugnabant ſuperiùs dicti hoſpites Monachi, & alios hortabantur artificioſa adulatione ut non acquieſcerent juvenili Rodulfi inſolentiæ, maximè cùm nunquam debuiſſent eum aliunde accitum ſibi præfe-

cisse: sed Rodulfus prudenti astu bonóque ingenio malam eorum frustratus est suggestionem.

Nam veniens ad unum de senioribus Fratrum nomine Stepelinum, interrogavit eum, quot anni haberentur, ex quo puer Claustrum nostrum priùs intrasset, qui cùm respondisset pene lxxx. quærenti illi ita ab eo subjunxit quoque se in pueritia sua Seniores in Claustro nostro vidisse, qui non minoris quinimmo majoris ætatis extiterunt quàm esset ipse. Sed cùm Senior ille interrogaret, cur tam diligenter hoc quæreret, adjunxit: Quoniam, inquit, Pater vellem scire, si de tam longo tempore centum scilicet sexaginta annorum, de quibus tu potes meminisse sive relatu eorum quos vidisti octogenarios, sive visu tuo cùm sis ipse octogenarius in Claustro isto hodie, si unquam ullo modo potes invenisse hanc consuetudinem ab antiquo in Ecclesia nostra fuisse, ut Fratres non haberent capitia à tunicis suis dependentia, sicut non habent hodie alia Cœnobia religiosè circa viventia. Cui Senior: Certissimus inquit sum, & relatu Seniorum meorum, & visu proprio, quòd à cucullis tantùm penderent eorum capitia, sed invalescente sub Abbate Adelardo secundo juvenum indisciplinatione & insolentia, præsumpsisse eos hoc novissimo tempore hanc abusionem, ut ad utrasque vestes capitia fixa ferrent, Seniores tamen semper tenuisse primam & antiquam consuetudinem. Cui Rodulfus: Igitur cùm ita sit Pater ut asseris, quare transgredimur illum qui sanctorum & antiquorum Patrum in hoc quoque nostro Cœnobio usus fuit olim communis omnibus, nunc quoque circa nos religiosis Monachis pudor est relicto Religiosorum usu, & antiqua Cœnobii nostri consuetudine mutari novam stultorum & indisciplinatorum juvenum præsumptionem, hac tantilla cultûs corporis nostri immutatione notabiles haberi circumquaque apud religiosos de irreligiositate.

His aliísque facundi oris persuasionibus conciliatis firmatísque sibi Seniorum animis, Abbati tandem rem eandem suggessit, faciléque deinde obtinuit, & unusquisque Fratrum nostrorum capitium à tunica sua depo-

neret, Abbate primùm deponente suum, sed unus quem de Sigebergensium Cœnobio abjectum domnus Abbas Theodericus firmatâ sibi stabilitate susceperat, propter nostrorum ut dixi suprà paucitatem, huic decreto obstinatissimè contradicebat, Priore Rodulfo sæpe eum admonente, atque per obedientiam præcipiente, ut capitium sibi à tunica deponi sineret, cùm à puero inter Sigebergenses illud ita semper portasset, & nos secundùm antiquam consuetudinem idem modò facere videret. Prior autem videns duræ mentis illius obstinationem, pendentem à lecto ejus tunicam die quadam accepit, & mittens eam consutoribus, fecit inde capitium honestè deponi, & ad modum aliorum Fratrum aptè formari. At ille cùm die quâdam Dominicâ extracta de more cuculla ad Primam vellet ire, indutus tunicâ capitium non invenit, torvóque vultu seipsum circumspectum irridens, sine cuculla in sola decapitiata tunica chorum intravit tota illa Prima spectaculum se præbens Fratribus fronte impudenti. Sed quid? ventum est ad Capitulum, vindicatúmque est in illud regulariter, impudentis hominis tale spectaculum, jussúmque Capitulum statim exire, & pendentem à lecto ejus cucullam sub tunica induere, vellet nollet fecit eum domnus Abbas Theodericus secundùm alios indutum incedere. Sed culpis culpas quotidie superaccumulans cùm esset incorrigibilis, ejectus est tandem à Claustro permissus quò vellet irrevocabiliter abire. Ceteri verò Fratres proficiebant quotidie melius & melius in Ordine, Priore ad hoc totum studium suum impendente, neque deficiente unquam sive hac sive alia aliqua contumelia, aut cujusvis procuratione.

Sed & aliam quandam pravam consuetudinem, quæ malè apud nos insolentia nihilominus dissolutorum juvenum diu inoleverat, prorsus cessare fecit, neque tantùm inter nos, sed etiam fermè prorsus inter laicos nostros. Nam diebus Rogationum cùm antiquo more prima die Septembris processio nostra venisset, perplurima pars Fratrum prece vel mercede equis sibi conductis ibi statim ascendebant, & Brustemiam ante processionem equi-

tantes, indéque ad Claustrum cum levibus oppidanorum juvenibus per campos ante faciem totius populi modò quanta agilitate poterant equos suos laxabant, modó subita retentione hac illácque gyrabant perticis intentis nunc hos nunc illos fugantes seu fugientes. Quod totis tribus diebus Rogationum non cessabant facere. Secunda die Falunam, tertia Mergueles pergente processione: unde hoc singulis illis diebus eveniebat, ut quidquid ad mensam Fratres habere debuerant piscium aut placentarum, illis darent qui sibi equos præstiterant, præter paucissimos qui prece sine mercede noluerant sibi conducere aut non potuerant: quin etiam scholares pueri hac pravissima consuetudine tenebantur illecti. Fratres autem quos aut voluntas aut necessitas pedites ire & redire faciebat populo cito vestigio equitantes sequente domum, gravissima affligebat defatigatio, tum ex longo itinere, tum ex inassueta & cita ambulatione.

Itaque dies Rogationum & Letaniarum supplicationes erant apud nos quasi militantium excursiones, & mollium juvenum lasciviæ circumvelitationes. Quam detestabilem abusionem Prior exhorrescens Rodulfus cum aliis ascendentibus offertur ei ad equitandum equus, aiebat non decere neque laïcorum neque Monachorum regulam, nulliúsque prorsus Christiani etiam ut in equo pœnitentiam ageret & supplicationem, & hoc prætendere exspoliatorum sibi pedum nuditatem atque jejunium, & quod cooperto capite supplicationes Sanctorum recitatis eorum nominibus frequentarent, quia & aliis quæ ad hoc pertinere videntur, rationibus primùm persuasit domno Abbati Theoderico; deinde ceteris Fratribus; ut tandem cessaret illa equitatio, & quæ fiebat pro equitatione indecens Monachorum dissolutio, & præbendæ eorum damnosa eleëmosynæ distractio, cui suppeterent de Fratribus vires, iret; cui non, in Claustro maneret, sícque abbreviaretur via, ut euntes nimiæ defatigationis nulla afficeret molestia. Itaque cessare cœpit sub prioratu ejus illa ad Rogationes equitatio, cessavítque toto vitæ illius tempore, tantúmque populo cœpit

placere, ut paulatim inducerentur pene omnes similiter loqui & facere.

Quid dicam de diebus solemnibus festivitatum sanctorum Trudonis & Eucherii, atque S. Remigii? Quidam Clericorum nostrorum ex familiaritate qua scholaribus aliis in Claustro nostro cum pueris nostris, pueri quoque ipsi nutriti fuerant, alii quoque nonnulli ex religiositate sua apud antiquiores nobis olim jamdiúque multùm obtinuerant, ut supradictis solemnitatibus chorum nostrum annuatim ad majorem Missam cum reverentia intrarent induti albis sicut & Fratres nostri, & si qui fortè eorum vocales essent, tropos qui tunc temporis apud nos cantabantur, aut Graduale sive Alleluya cantarent, atque cum omni honestate diebus ipsis ad mensam Fratrum in refectorio cum eis reficerent, indéque surgentes cantando altis vocibus, quod ad festum pertineret, Fratres *Miserere mei Deus* cantantes ad Ecclesiam procederent. Sed usus qui ex charitate & religione pium videtur habuisse initium, procedente tempore paulatim cœpit transverti in superstitionem & vitium. Nam cùm illis tantùm priùs permitteretur de quibus & sicut diximus, in hanc tandem evaserat superstitio præsumptivam abusionem, ut quiscumque Presbyterorum ex agris ad nundinas magis quàm ad solemnitatem diebus illis convenirent, indifferenter in chorum nostrum inter Fratres intrarent, ad majorem Missam sine omni reverentia ruerent, nonnulli vestibus laïcorum fisśísque antè & retrò turpiter induti, paucissimi saltem nigris cappis & absque albis & superpelliciis, tum quod contrarium est tam nostro Ordini, quàm ipsis quoque religiosis laïcis, quin immo omnibus ritè Christianis, inter agenda Christi mysteriorum secreta duo vel tres de ipsis Clericis circumsedebant in ipso choro, unum aut duos de Fratribus nostris, aut singuli singulos circumveniebant, & verbis otiosis risúque & jocis reliquum Missæ sic pariter peragebant.

Vbi autem per plurimas intolerandásque indisciplinationes ad refectorium ventum fuisset, tantus inter reficiendum fiebat ibi strepitus diversorum, & etiam ignoto-

rum Presbyterorum & Clericorum clamor & fabulatio, ut vix audiri posset vox licet altisona legentis in eminentiori loco; & quò productior erat refectio, eò major accrescebat vino incitante inquietatio, tantúsque erat eorum numerus; passim namque quicumque volebat ingrediebatur, ut constitutis ad serviendum illis Fratribus vix de nobis quinque aut sex remanerent, qui ad mensam reficerent. Quanta die illa expenderet Præpositus, quin immo quanta illi distraherentur, nec ratione, nec numero poterat comprendere. Quid, nihil ordinis & disciplinationis, quin potiùs quantum dissolutionis, & periculi animarum diebus illis apud nos haberetur, honestius existimo reticere quàm loqui. Surgentibus autem à mensa Fratribus, & nonnullis ineptorum inverecundorúmque Clericorum, quæcumque occurrerent manibus suis inde diripientibus, statim non minor ad ministros consedebat populus, scilicet quicumque in curti nostra de aliquo officio intromittere se per totum annum videbatur, strepiturum sumptuum nec modus, nec ratio ibi tenebatur.

Talia primo & secundo prioratus sui anno videns atque gravissimè inde ingemiscens Rodulfus, multis & exquisitis modis & frequentibus in tantam indisciplinationem exaggerationibus satagebat, quamplurimùm verò apud Abbatem Theodericum, ut pravus iste usus & damnosus Ecclesiæ, aut ad priorum temporum modum reduceretur, aut penitus destrueretur. Abbas licet absque magna commotione hoc fieri non posse videret, tamen bonæ Prioris intentioni non satisfacere inutile Ordini fore & Ecclesiæ suæ videbat. Annua igitur revolutione festis redeuntibus dictum est Clericis ut absque religiosa veste chorum nostrum nullus eorum intraret, sed qui Missæ majori interesse vellent in cancello, cùm esset spatiosum, circa Abbatem starent cum reverentia tamen & silentio, ut bene conveniebat festo & tanto mysterio. Quòd si quis eorum aut alba vellet indui, aut superpellicium haberet, post Fratres ultimus in nostro Choro staret sub reverentia nihilominus & silentio. Post Missam domus esset eis extra refectorium parata, in qua ministra-

retur eis non minori quàm cum Fratribus abundantia; non enim Fratres ferre poterant, neque decebat eorum ordinem, ut tantam haberent & in choro, & in refectorio suo indisciplinationem & inquietudinem. At illi omnes graviter commoti, & indignationis iræque plenitudine rationem non admittentes penitus recesserunt, & nisi prior eis abusio permitteretur, nihil aliud facere voluerunt. Sícque forsitan ita Deo volente factum est, ut morbus ille diu apud nos inveteratus tandem deficeret. Sed & Laici qui in refectorio ad ministros solebant diebus illis comedere, ad domum illam compulsi licèt multum inviti reficere, providentibus eis Præposito & Cellerario quæque habituri erant in refectorio. Res verò talis multum odium & persecutionem longo tempore tam de Laicis quàm de Clericis Priori comparavit, semper festis istis diebus convenientibus apud nundinas Presbyteris morbum istum recommoventibus.

Neque illud tacere habeo, si defuncto alicui apud nos Missa generaliter celebraretur, Frater noster, ille videlicet qui Missam cantabat, totam oblationem habebat, & tanquam propriam sibi rem eam vendicans, nihil inde ad communitatem aliorum redundabat. Et quoniam secundùm Apostolum, avaritia est idolorum servitus, & secundùm B. Benedicti Regulam *nihil proprium debet habere Monachus*. Prior Rodulfus huic occurrens vitio, de medio nostrûm summo illud labore tulit, statuens præsidente Abbate commune esse omnibus fratribus tam parvis quàm magnis quidquid eis, quandocumque vel ubicumque offerretur, interposito, quòd si frater cui oblatio fieret aliqua recula sibi necessaria indigeret, provideretur & à Priore ex eadem oblatione sive corrigia sive cultellus, sive lineus sub capite & scapulis ejus pannus, aut tale aliquid mediocris pretij. Quidquid aliter inde agatur, sciant posteri nostri ita fuisse statutum, Fratrémque qui die illa Missam cantaverit, liberè posse sibi exigere, per manum tamen illud totum Prioris, si quid ei defuerit de minoribus sibi necessariis. Nos enim huic statuto præsentes interfuimus, & exigi & dari frequenter vidimus

Cap. 33.

sicut

ſicut hîc ſcribimus. Quod autem poſtea immutatum eſt, & pars ad coopercuram plumbi, & pars ad utenſilia circa altaria Cuſtodi data eſt, non ideo factum eſt, ut ſic ampliùs permaneret, ſed quamdiu Abbati & Fratribus placeret.

Et quoniam duæ partes loci illius qui Clauſtrum apud nos debebat fieri, ſepe humillima & arida ſemirutáque cingebatur, & ſine aliqua tectura erat, ad Orientem ſcilicet & ad Aquilonem, párſque Occidentalis licet domus eſſet lapidea, nihil tamen ante parietem haberet, quod Fratres ad ejus officinas intrantes à pluvia & luto defenderet, ſed patentibus undique aditibus nihil aut parum fuerat quod Laicos interdum etiam & mulieres tranſitum habere per locum Conventus Fratrum prohiberet. Satagebat multa anxietate, benignáque & prudenti arte, toto ſtudio, multóque labore apud Officiatos, maximè apud Folrardum fratrem noſtrum, qui ſecundus tunc poſt Abbatem in omnibus noſtris temporalibus habebatur, ut ædificarentur aliquæ domus, quæ Clauſtrum noſtrum firmarent, & tranſitum publicum per medium Fratrum prohiberent. Nec fruſtrata eſt eum pia intentio, ínque brevi tempore ædificio ligneo clauſa eſt pars Orientalis, quæ domus cùm perfecta fuiſſet antè compoſito ſub tectura deambulatorio partem ſui capitolium nobis aptum præſtitit, partem dormitorium. Similiter à media fere parte Conventus uſque ad duas partes domûs illius quæ Occidentalis erat, coopertum deambulatorium eſt, ut per tres partes Clauſtri, Orientalis ſcilicet, Auſtralis, Occidentalis coopertura facta honeſtè poſſet incedi, ſola pars Aquilonaris ſepe adhuc tenebatur, & poſticio claudebatur.

Cúmque hac concluſione & Fratres arceret ab egreſſu Clauſtri præter eos quibus hoc ſolum licebat, & utrumque ſexum ab ingreſſu, unámque ipſe inde ferret clavim, Cellerarius aliam; Comitiſſæ advocatricis noſtræ GERTRUDIS, quæ apud nos in Clauſtro noſtro requieſcit, graviſſimam inde iram & indignationem incur-

rit, cùm solito more nequiret habere transitum per medium Claustrum nostrum & Conventum Fratrum. Incitabant autem eam vehementissimè in eum multi Clericorum nostrorum & Laicorum, maximè famuli de curti nostra, qui se conquerebantur odiosè à solito transitu Claustri & familiaritate fratrum arceri. Verùm ille licèt terribiles in eum detonarent minæ penetrantiáque etiam durissima hominum corda, undique verborum* manifesta volarent, tamen imperterritus, irreflexúsque manebat, solum hoc metuens ne de emendando ordine & Claustro minus ei ad votum succederet. Vt igitur secundùm ordinem Fratres haberent unde in Claustro ad sedendum & legendum atque cantandum, tenendúmque silentium facilius retinerentur, armarium in Claustro primus ipse fecit ex obedientia fieri, libróśque in eo ad numerum Fratrum reponi.

f. * verba

Interea raro unquam ipse cessabat, quin semper aut scriberet aut notaret, interdum quoque modulatis delectabatur carminibus; & de solemnitatibus Sanctorum compositis cantibus extat volumen opusculorum ejus, in cujus præfatione invenitur quid scripserit, quid modulatus fuerit, & cur & quando. Extat & aliud volumen septem librorum ejus, quos contra Simoniacos scripsit, quatuor ratione ac tribus agens auctoribus. Paucis referre non possem quantum laboraverit causâ Abbatis Theoderici, quàm fideliter, quàm constanter, in quot & in quibus locis, & coram quibus pro eo astiterit, cùm magnæ & primæ regnorum personæ vellent eum de Abbatia ejicere, & supradictum Herimannum intrudere, de quibus superiùs partem aliquam tetigimus.

Postquàm ista & nonnulla bona & mala, prospera pauca & adversa multa per aliquot annos Prioratûs sui apud nos sunt gesta, audivit RODULFUS usus Cluniacensium apud S. Iacobum Leodii teneri, introductos per Abbatem Stephanum dictum etiam Stephelinum, quos paulò pòst Abbas S. Laurentii Berengarius susceperat: Vnde eos omnium Religiosorum ora magnificabant, & fre-

quenti hoſpitio aut colloquio reverentiùs quàm prioribus annis dignabantur. Præterea de ſæculo tam Clerici quàm laïci plures ad eos convertebantur, & invaleſcente religione augebatur & numerus Fratrum & fructus Eccleſiæ. Iámque Rodulfus videns tempus adeſſe quo deſiderium ſuum poſſet adimplere de meliorandis uſibus, & tenenda apud nos religione, quocumque modo poterat ad hoc nocte diéque apud Abbatem Theodericum laborabat quatenus eum ad hoc accenderet, ut poſt iſtos duos Abbates tertius eoſdem in Clauſtrum noſtrum uſus introduceret. Decere enim eum aiebat cùm non minoris eſſet ſcientiæ & gloriæ in ſæculo quàm illi, & locus noſter antiquioris & famoſioris eſſet nominis, ut in religione & ſpiritualibus non obſcurior apud homines neque indignior apud Deum inveniretur. Sed cùm perturbantibus hanc molitionem ejus quibuſdam Fratribus, rem ad effectum perducere non poſſet, acceptâ licentiâ à loco noſtro ad ſuum ſine ſpe reditionis tranſiit, ut diſpoſito ibi itinere ſuo inde tranſiret quò diſtrictius ordinem teneri audiſſet. Mox aliqui Fratrum necnon & famulorum noſtrorum occultè apertéque exultantes, ex votóque ſibi accidiſſe gaudentes, quia ad voluntatem ſuam modò liberiùs poſſent facere, non multò poſt intellexerunt ex comparatione poſiti alterius Prioris, quantum iſte præſtaret eis conſilii, auxilii & honoris.

Pœnitentes igitur quamplurimùm poſt paucos menſes ſimulata alia re quidam eum revocaverunt, ſub præſentia & aſſenſu Abbatis Theoderici firmantes ei ſi rediret, & Prioratum ſuum reciperet, quod infra annum illum uſus Cluniacenſes in Clauſtrum noſtrum introducerent. Vix tandem obtinuerunt. Qui igitur parum ante feſtivitatem Nativitatis S. Iohannis diſceſſerat, in Adventu Domini ſtatim poſt feſtivitatem S. Andreæ Apoſtoli rediit. Prioratu igitur ſuo ei reddito, captatóque loco in tempore opportuno, atque domni Abbatis & Fratrum hilaritate fidem promiſſi modò ſeriò, modò jocosè repoſcebat, rémque bonam non diu quin fieret eſſe differen-

dam aiebat.

Miris igitur laboribus & frequentibus Leodium itineribus, concitato sibi multorum inde Clericorum & laïcorum aliquorúmque Fratrum nostrorum maximo odio, tandem effecit, ut eodem anno Calend. Maii, quæ fuit feria sexta in capite jejunii introducerentur usus Cluniacensium in Claustrum nostrum tenendi; quibus introductis cùm vehementissimè ferverent in eis & ultra quàm quisque speraret Fratres nostri, paulò pòst heu! heu! domnus Abbas THEODERICUS obiit Calend. Maii. Quæ autem posteà secuta sunt usque dum Abbatiam intraret, & quomodò introierit, puto quod satis inde scriptor præcedentis historiæ prælocutus sit, ad illum recurrat quisquis hoc diligentius scire desiderat. Postquam autem Abbas constitutus est, de Ordine tenendo omnimodis satagebat amator illius & amatorum ejus, atque in tantum (rem quam certissimè scio fidelissimè referam, ecce coram Deo quia non mentior) quòd nullus Fratrum tam carnaliter támque spiritualiter poterat ei esse familiaris, quem perfectò unquam corde diligeret, nisi diligentem Ordinem nostrum cognosceret, & fidelem de rebus Ecclesię sibi commissis probasset. E converso nullus Fratrum poterat esse rarus accessu ad eum qui etiam palam aut occultè de dictis, factis, vitáque ejus si eum mordaciter (ut plerumque solet) reprehenderet, dummodò aliquando cessaret, & diligentem eum ordinem aspiceret, & fidelem in rebus Ecclesiæ illi commissis, quin facillimè hos aliósque ei lapsus etiam graves indulgeret. Quid tibi vis ampliùs dicam? breviùs & veriùs quàm potero hoc tibi sub testimonio Christi dicam, quòd nulla res eum Fratrē sibi commendare poterat, quem dilectio Ordinis & fidelitas rerum Ecclesiæ sibi commissarum non commendabat. Non ætas non familiaritas, non timor, non consanguinitas, non scientia, non pulchritudo, non generositas, non aliqua etiam magna utilitas, propter quæ duo apud eum poterant in quocumque invenirentur, & apud eum nihil aut minimum poterant apud quoscum-


Theodericus Abbas obiit.

que non haberentur, frustra quivis aliter laboraret, aut ista habendo gratus illi, aut non habendo ingratus existeret.

Præcipuè deteſtabat hoc vitium, & ad exterminandum illud quacumque virtute poterat per ſe & per illud ſibi referentes laborabat, ut nullus Fratrum de ſubſtantia in refectorio ſibi ſtatuta aliquid quoque diſtraheret, ſed per manus Eleëmoſynarii quod ori ejus ſupereſſet, pauperibus erogari ſineret. Quoſcumque autem Fratrum laïcorum videbat amicitias & confabulationes, & has illáſque vanas gloriolas procliviùs appetere, aut nunquam aut invitus illos volebat ad aliquam obedientiam promovere, neque eos quos intelligebat quocumque modo illam vel illam obedientiam ambire, & quos noverat inhiare ut poſſent clanculò aliquid dare & accipere. Quibus non erat grata ante obedientiam hominum gratia, & qui æquo animo, ſimplicíque tantùm contenti erant Clauſtri ſubſtantia, illis dicebat danda Clauſtri miniſteria. Quos ſibi laudabant ſæculi homines de obtenta apud eos familiaritate & frequenti collocutione; & ſi quis unquam habere poſſent de benevola eorum dapſilitate eos judicabat indignos Clauſtrum, vel quoquam ire, quorum barbariem & ſilentium, & quia nihil eis darent, aut ab eis acciperent, reprehendebant, quaqua vellent ire ſecuriùs eos ſinebat. Silentium inter Monachos tanto extollebat præconio, ut diceret nunquam tam perfectos & electos Monachos ſimul eſſe poſſe, qui ordinem & diſciplinam valerent abſque ſilentii virtute tenere. Superba ſubjectorum rigiditate nunquam frangi poterat, humilitate quamvis multùm læſus citiùs etiam vincebatur quàm & ipſi interdum expediret. His aliiſque bonarum virtutum ſtudiis, hinc ipſius ſollicito curante magiſterio, hinc diſcipulorum pio obedientiæ obſequio, cœpit in brevi longè latéque diffundi dulce flagrans unguentum boni de loco noſtro nominis, fœdáque cicatrix vultûs noſtri de opprobrio præteritæ indiſciplinationis paulatim curata detergi manu piæ moderationis, hoſpitalitas lætè ſuper-

venientibus exhiberi, maximéque obſecutoribus noſtri Ordinis; refectio pauperum poſt menſam Fratrum non negligenter provideri.

Sed quia exterioris ſæculi bona ad hoc aliáque noſtro Ordini multùm ſunt neceſſaria, primúmque regnum Dei quærentibus neceſſaria, deinde ſecundùm Dei promiſſionem ſunt iſta adjicienda, cœpit ſe totâ vigilantiâ & labore accingere ut non modò quæ ſalva invenerat de bonis Eccleſiæ conſervaret, verùm quæ diſperſa fuerant congregaret. Prima igitur die qua homines Eccleſiæ debebant ei fidelitatem & hominium facere, Præpoſitum Eccleſiæ & Cellerarium, quoſdámque de Senioribus juxta ſe in Cella ſua fecit ſedere, ut nullius manus neque fidelitatem reciperet, quem Fratres de præbenda ſua injuſtè aliquid tenere quererentur. Quæ res multas ei peperit inimicitias, quas tamen ſine gravi damno evaſit, uſus poſtremo conſilio neceſſariæ in omni re diſcretionis. Vt autem ſciant poſteri ejus, & ſcientes magis ſolliciti inde reddantur, quanta ſollicitudine & timore, quantóque ſtudio & labore ſervavit profeſſionem pro poſſe & noſſe, quam teſte Eccleſia ante altare coram ſtolato Epiſcopo, ſtolati & ipſi ut in conſecrationibus ſuis facere ſolent, tam Abbates quàm Epiſcopi; finem hujus octavi libri hîc facere decrevi, & nonum ab ea Epiſtola incipere, quam ſcripſit ad Metenſem Epiſcopum Stephanum loci noſtri tunc temporis dominum.





LIBER NONUS.

VENERANDO atque reverendo sanctæ Metensis Ecclesiæ Episcopo STEPHANO, RODULFUS Dei sanctique Trudonis id. quod salutem animæ & corporis. Diebus prælationis meæ vigesimo octavo anno, millesimo centesimo octavo Incarnat. Domini usque ad millesimum centesimum trigesimum sextum, qui tunc agebatur quando scribebam quæ nostræ Ecclesiæ, videlicet S. Trudonis, in Hasbania accreverint sive per meum laborem de perditis recuperata, sive de non habitis acquisita, sive per meum nostrorúmque studium de nullis aut parvis redditibus ad aliquos & majores fructus instaurata, & quæ pro animabus fidelium pauci pauca in possessionibus tradiderunt, fideliter hîc annotare curavi. Quòd si quid in hac annotatione excessu memoriæ exciderit, aut spes peritura adhuc necdum protulerit, cùm illud meminero, & istud evenerit, huic aliquando subjiciam operi. Testem interim conscientiæ meæ habeam Deum, quia hoc non facio, ut inaniter videar gloriari secundùm homines, & non secundùm Deum de rebus, quarum tenuitas, etsi gloriari vellem, magis afferre potest mihi confusionem quàm gloriam. Sed ut posteri mei desidiam, & prælationis meæ inutile spatium erubescentes, accingant se fortiùs & utiliùs non solùm ad servandas has & alias res Ecclesiæ quas invenerint, sed ad multiplicandas suis laboribus & meritis: quanquam qui tempestates maris quo jactatus sum & adhuc jactor cognoverit, magis admirari possit aliquid interim esse servatum quàm acquisitum; quæ quoniam aliàs pleniùs descripsi, iterare hîc supersedi. Et hæc etiam nihilominus idcirco facio, ut sub impetranda negligentiæ meæ venia, hoc quoque à clementia tua obtineam, quatenus vestra auctoritate & sigillo firmetur, ut nullus prædecessorum meorum prioribus erroribus ampliùs ea involvat quæ absolvi, sed fixa permaneant ut

Epistola Rodulfi Abbatis, qui regimen suscepit anno 1008. Isthæc verò hîc exarata scripsit anno 1036.

instituî ; quod si præsumptum fuerit, irritum fiat, & banno vestro & omnium successorum vestrorum subjaceat. Non enim parvo rerum familiarium dispendio ea obtinui, interdum cum vitæ quoque meæ periculo vix evaserim, & in perpetuum odium eorum usque hodie sim, qui ea se amisisse dolent quamvis injustè tenuerunt.

INCIPIT TEXTVS.

IGITUR post obitum Adelardi II. tanta mala apprehenderunt Ecclesiam nostram, & multis annis tenuerunt, quanta non sunt audita in quovis loco ab illo famosissimo Hierosolymorum excidio. Evenerunt ea propter dissensiones de Abbatia nostra inter Monachos & Episcopos Metensem videlicet HERIMANNUM & Leodiensem HENRICUM, dum Monachi extrudere niterentur intrusum Episcoporum Abbatem per violentiam, & stabilire suum suppositum per simoniam, sic primum secundus, & secundum extrudit primus, tertius inter utrosque irrepit, quartus tertii labores invadere & locum occupare præsumit : quorum nomina sunt hæc : LANZO, LUIPO, HERIMANNUS, & item HERIMANNUS ; inter quos decem & septem annis miserrimè decertatum est, atque sic ut infra annos tredecim fierent commutationes alio moriente, alio alium ejiciente, sub istis totum oppidum nostrum una die redactum est in favillam effuso in eo cruentissimè multorum hominum sanguine. Vixque duo anni præterierunt ex quo Monasterium quoque nostrum novum & mirifici operis, & Claustrum cum omnibus appenditiis suis funditus igne cremata interierunt. Turris quæ sola supererat de incendio facta est latrocinantium hominum munitio ; thesaurus, qualem nostræ similis nulla habebat Ecclesia, irrecuperabiliter distractus periit, Monachi omnes, prorsus inquam omnes dispersi per diversas regiones, solùm in loco vastatio & horribilis solitudo.

Hac tempestuosa tempestate contigit Ecclesiam nostram de Alburg decidisse in potestatem Episcopi Trajectensis

ctensis Conradi, & longa loci nostri miseria in jus Ecclesiæ ipsius transiisse lege synodali & judicio canonico; propter quam liberandam, sed nec sic liberatam distractus fuit calix aureus Ecclesiæ nostræ, cujus pretii pars, scilicet sexaginta marcæ data est, Episcopo Conradout restitueretur Ecclesia juri nostro; quod superfuit pretii perfidè distraxerunt in hoc negotio perfidi quidam Presbyteri nostri. Episcopus acceptâ pecuniâ nudo tantùm verbo non auctoritate canonica mandavit nostris ut reciperent sua, non quidem malitiosè sed minus cautè; & factum est ita. Subsecutus est Episcopum Conradum Burchardus Episcopus, qui occasionem recipiens, eò quòd legibus synodalibus non esset liberè nobis restituta Ecclesia, mancipavit eam suis usibus synodali judicio; sícque eam tenuit usque ad adventum meum in Abbatiam meam, ad quam liberandam profectus sum eo anno quo intravi in Abbatiam ulterius Trajectum in sancti Iohannis festivitate, & per auxilium Dei & Advocati nostri Comitis de Holant Florentii, judicio Ecclesiastico liberam nobis restitutam Ecclesiam retulimus domum, chartâ de hoc factâ & Episcopi Burchardi signo sigillatâ.

Eodem anno Ecclesia & alia quæ Alburg habemus bona valuerunt nobis domi absolutè viginti quatuor marcas argenti. Quanto labore, quanta sollicitudine, quantis expensis per tres hebdomadas integras finem hujus rei effecerim, longum esset referre, cùm prædivitem Comitem & gravissimum pinguedine oportuit me funibus argenteis de Hollant Trajectum trahere, ipsiúsque Episcopi rigidam cervicem ejus metalli malleo mihi inclinare, necnon & Archidiaconum reacquisitæ Ecclesiæ. In ejusdem villæ villicatione homo quidam Gualdo nomine erat, qui quinq; solidos denariorũ de Tyele dicebat se habere in beneficio de Abbate; falsum erat, & convictus recognovit eos coram Paribus Ecclesiæ ad præbendam Fratrum, quos de terra sua debebat. Pro simili mendacio quidam Franco nomine de Dourch convictus legibus & judicio quatuòr solidos de denariis Andeguerp duobus denariis minus amisit, & eos quinquaginta

præbendæ Fratrum restitui. In villa Hylsela villicus tantum sibi de censu furtim usurpaverat, qui ad nostros usus retractus sex solidos facit. In eadem villa decimam lini Dapifer Hezelo ad feudum suũ trahebat, de qua legibus & judicio abstractus permisit eam habere Fratres ad opus mapparum in refectorio ad mensam ubi pertinebant. Vnus ex illis quatuor pestilentissimis flatibus quos suprà dixi mare nostrum tam naufragiosè agitasse, Luipo scilicet tria bovaria culturæ nostræ, quæ jacet versùs Mergueles, beneficiaverat cuidam amico suo nomine Ludovico, & de mensa Fratrum alienaverat, qui mortuus reliquit parvulum filium nomine Henricum in eadem injustitia, cui eadem bovaria requirenti à me in feudo dare nolui, quoniam de mensa sua Fratres sublata esse dicebant injustè. Longa fuit altercatio multis ejus similibus de me conquerentibus. Episcopus quoque Leodiensis OLBERTUS, quoniam puer consanguineus ejus erat, blandimentis, promissionibus, minis, terroribus frequenter propter eum me aggressus fuerat. Cúmque evincere non posset tandem se nostro Cœnobio & hospitio repræsentavit, cui instanti pro puero respondi, putans me sic melius posse evadere: Fratrum præbenda est, sine eorum assensu facere non audeo nec debeo: qui statim ad eos absente me se transferens, facillimè simplicitati eorum persuasit ut ei concederent. Quod cùm intellexissem, omninò cœpi reclamare, méque non debere sequi deceptam simplicitatem eorum, sed corrigere. Episcopus irasci, minari, & me in hoc cum eo concessisse suos nostrósque attestari. Miro tandem labore evici, & tria bovaria culturæ prædictæ retinui, & eum exfestucare feci.

Oppidanus quidam noster Arnulfus terram tenere volebat sine servitio, quæ debet servire Fratribus ad omnem minutionem sanguinis eorum. De ea terra sunt XVIII. bovaria, & dicitur mansus de Nissen. Debet & alia minuta servitia ad utensilia Cameræ Abbatis, scilicet quidquid de ferro ad sellam equitariam ejus & de calcaria & ad samnas componitur, dato sibi ab Abbate ferro, fractas vitreas fenestras Monasterii, Claustri, Cellæ Abba-


tis accepto à Custode vitro, plumbo & stagno & cera, & sumptu emendat. Claves omnes Monasterii & scriniorum novat & renovat. Similiter & de omnibus officinis Claustri & curtis. In solemnitate S. Trudonis & S. Remigii adjutor est Cellerarii ad serviendum honestis hospitibus secundùm consuetudinem: quando minuebant Fratres, Chorus totus unus simul minuebat cum silentio & psalmodia sedentes ordinatè in cella una. Eadem die dabatur domino mansi hujus quantum uni Fratrum ad mensam. Hæc cùm ille tamdiu tenuisset ut pro libero militari feudo habere se diceret, convictus tandem recognovit coram Metensi Episcopo STEPHANO, & majore Advocato nostro GUALTERANNO, & Paribus Ecclesiæ & servitoribus curtis nostræ. Sylvam quamdam quæ dicitur Godledaleth iniquus homo invaserat, dicens eam esse suum feudum; quam cùm multa ei injuria extorsissem, dedi ad censum aliis qui decem solidos solvunt singulis annis ad bracenam Fratrum.

De paucis, quæ pro animabus suis fideles tam viventes quàm morientes ad Ecclesiam nostram nostro tempore tradiderunt, ita evenit. Quidam Miles ADELGERUS de villa Primirs super Mosellam ad nos venit, & societate nostra impetrata vineam nobis tradidit, quæ afferre potest tres carratas vini. De eadem villa Gerardus quidam relicta sæculari vita ad nos se convertit, tradens nobis quatuor vineas, tres minores, quartam majorem: hæc possunt afferre duas carratas vini. Istorum anniversaria agimus in quibus carrata vini debetur Fratribus de eorum collationibus. Inter sanctum Trudonem & Sarchinium quidam Libertus nomine parum allodii habebat quod moriens reliquit Fratribus pro anima sua. Solvit autem duodecim denarios in festivitate S. Remigii, qui cum aliis duodecim ponuntur, quos vivens Hardechumit pro anima sua dederat Fratribus; & in capite jejunii ad caritatem Fratrum in refectorio dantur.

De campanis autem, quæ aut novæ aut innovatæ sunt meo labore, scribere aliquid ad gloriam Dei hîc volui, cujus adjutorio eas feci fieri; quæ etsi ventrem non paſ-

cunt, aures tamen & corda hominum ad laudes Dei sonitus sui dulcedine provocant & attenta reddũt. Sunt igitur omnes XVI. scilicet cymbalum primum in refectorio; 2. ad parochiam B. MARIÆ; 3. ad S. Gengulfum; 4. ea quam misi Metis B. Proto-martyri Stephano; 5. super chorum nostrum; in turri nostra novem, quæ quantum dulcedine valeant, atque unaquæque in suo modo atque magnitudinis pondere, & videre mirabile, & audire est delectabile. Vnum quidem affirmo, quia tot & tales & tantæ sunt, ut pro centum marcis fieri non possent hodie. Sed dicamus de campanarum vocabulis, & de earum ponderibus quas feci novas fundi aut veteres renovari. Prima est facta de quatuor centenariis & aliquanto plus scilla dulce sonora. 2. de XXI. in honore S. Eucherii, & eam appellavi Aureliam, quam & benedixi. 3. de duobus centenariis quam appellavit Filiolam: hæc sanctæ MARIÆ data est ad parochiam. 4. de XXXIII. centenariis in honore sancti Quintini Martyris appellata est Quintina. 5. Remigia in honore S. Remigii de septem centenariis. 6. de sex centenariis dicta est Benedicta in honore S. Benedicti. 7. de octo & amplius centenariis vocavit Angustiam, quia in tempore illius angustiæ facta fuit, quo tota villa nostra & Abbatia per Ducem Lovaniensem combusta aut invasa fuit. 8. Factam de sex & amplius centenariis vocavit Trudam in honore sancti Trudonis, quæ bis fusa in dulcedine sonitus nulli aliarum compar fuit. 9. vocata est Nicolaa, quæ viginti centenariis ad ignem habuit; sed nescio quantum superexcrevit. Decima quæ propter pretiositatem suam missa est Metis quatuor centenarios habuit, quam Stephaniam vocatam B. Proto-martyri Stephano dedicavit. Vndecima quæ translata fuit ad Ecclesiam S. Gengulfi quatuor centenarios nihilominus habuit, sed non fuit similis pretiositatis. Duæ scillæ in Refectorio, & cymbalum in Claustro bis fusum potuerunt habere ad ignem dimidium centenarium. Illa quæ pendet super chorum habuit plusquam centenarium. Iste simul positus numerus facit centum centenarios & XV. & dimidium.

De incenso & diruto Monasterio quoniam aliàs plenius scripsi, breviter hîc tangam quando gratia Dei & Sanctorum patrocinia in restruendo affuerunt. Omnes qui videbant tantæ ruinæ expavescendum barathrum desperabant aliquando esse reparandum. Igitur à pilariis & arcu qui sunt ad pedes domini nostri B. Trudonis, ubi prædecessor meus Abbas Theodericus finem operis sui fecit, usque ad majorem turrim omne quod est operis infra inferioris muri parietes meo tempore assurrexit, exceptis pilariis cum arcu, quæ sunt in medio navis Monasterii, & quod ante me & sub me factum fuerat feci consecrari III. Calendas Octobris ab Episcopo Leodiensi OLBERTO, anno MCXVII. ordinationis meæ IX. ab eo quo crematum fuit Monasterium XXXII. De claustro & omnibus ejus appenditiis nihil inveni quod sic posset remanere, neque ubi quis hospitum pernoctare, domus tantùm una prorsus inculta, & tam æstate quàm hyeme pro suis multis defectibus Fratrum usibus molesta. Tamen & Refectorium præstabat eis & Dormitorium, cellarium quoque & miserrimum carcerem potiùs quàm infirmorum cellam. Ceteræ partes sepe veterrima & semiruta signabantur potiùs quàm clauderentur. Quidquid igitur Monachis opus est in officinarum usibus oportuit me festinanter construere de lignis ad tempus, posteà paulatim illud diruere, & à fundamento per gyrum de muro ædificare, de quo opere illud adhuc Horatii possum cantare, *dimidium qui cœpit habet*. Propter multas & vix inenarrabiles tribulationes lentè pulchrè tamen surgit, maximè cùm à duobus miliariis empti adducantur lapides, & calx interdum à quinque. Numerus Fratrum cùm inter paucos & minores ante me frequentissimè vicenarium duobus vel tribus descenderet, usque hodie ad quadragenarium non pervenit, aliquando tamen unus tantùm defuit, tricesimum autem quintum necdum descendit, & nisi mors immatura, aut levium quorumdam fuga tulisset, quadragenarium multo superexcessisset.



****

LIBER DECIMVS.

FINITA epiſtolâ Abbatis RODULFI, quam ad Epiſcopum Metenſem Stephanum ſcripſit de his quæ ejus tempore accreverint in Abbatia per ſuum ſuorúmque laborem de perditis recuperata, ſive de non habitis acquiſita, neceſſe eſt nos amodò ad priorem narrationis ordinem redire, ut ſi quid fortè omiſit aut obſcurius quia brevius poſuit, noſtra narratio reſtituat & elucidet.

Eo itaque ſecundùm Epiſcoporum & Abbatum in ſacratione ſua profeſſionem ſervante inventa, recuperante perdita, recolligente diſperſa, emendante neglecta, mortuus eſt juxta nos homo quidam nobilis HARDECHEMIT nomine de locello Ronchirs, hic tantùm de ejuſdem loci allodio nobis reliquit quod duodecim ſolidos debet nobis ſingulis annis ſolvere, primâ Dominica poſt Epiphaniam ſex ſolidos, & primâ Dominicâ poſt feſtivitatem S. Iohannis quinque ſolidos, & nullam aliam juſtitiam amplius ſunt inde duo manſi, etſi metiaris plus invenies, & quoniam prædeceſſores Abbatis Rodulfi multa quæ ita tradita fuerant Eccleſiæ olim ſuis famulis in feudum dederant, ita ut de tota hominum eleëmoſyna non remanſiſſet Fratribus vel una in anniverſariis refectio, timens ne illud idem de iſto poſt ſe fieret, coram majoribus Eccleſiæ & traditoribus & receptoribus hujus allodii Fratres omnes convocavit, & Priori Eccleſiæ noſtræ hos ſolidos ſingulis recipiendos per manus Præpoſiti ſtatuit ſex in anniverſario defuncti ad refectionem Fratrum, ſex ad ea quæ neceſſaria erant ad domum infirmorum. Nihil enim omninò erat ad eam ordinatum aut conſtitutum præter quod negligenter multùm à Præpoſito interdum dabatur. Paulò pòſt defuncta eſt ejuſdem Hardechemit uxor nomine BERTHA, pro qua tantum datum eſt nobis quantum & pro marito ejus, terra ſcilicet juxta illam eandem terram ſolvens duodecim ſolidos, in die S. Iohan-

nis sex solidos, & in die Epiphaniæ sex solidos; de quibus ab Abbate Rodulfo eodẽ modo solemniter constitutum est, sex scilicet solidi in anniversario ejus, & sex ad domum infirmorum: quam videlicet terram cùm legitima donatione tradidissent ad Ecclesiam nostram Advocatus noster Gislebertus, & filius ejus Otto, qui supradictorum liberorum heredes extiterunt, tamen postea invadi passi sunt à nepote suo Comite Arnulfo de Los, & nunquam resistere voluerunt.

Pro Comitissa autem GERTRUDE quæ jacet in Claustro nostro, tantum alodii datum est nobis quod solvit singulis annis xx. solidos & tres denarios, & ad Assebruc v. solidos, & ad Stenivet octo solidos, hi omnes simul faciunt sexdecim solidos & tres denarios; & tres solidi solvuntur Calendis Maii. Superest adhuc tantùm juxta Stenivet de eodem alodio quod solvit quatuor solidos in die S. Remigii, & quando apportatur iste census nihil omninò debetur inde apportantibus. De his nihilominus constitutũ est solemniter præsente marito ejus GISLEBERTO Advocato nostro, & filiis ejus OTTONE & GISLEBERTO, & Comite ARNULFO, & THEODERICO fratre ejus, petente & allaborante Abbate Rodulfo propter supradictum timorem, ut per manus Præpositi singulis annis totus census iste Priori daretur; darentúrque in anniversario ejus sex inde solidi Fratrum refectioni, & quando maritus ejus Gislebertus defungeretur, sex similiter in anniversario ejus; & octo reliqui & tres denarii ad domum infirmorum haberentur.

ENGERAMNUS vir nobilis de Norpale olim ante istos defunctus fuerat, qui pro anima sua in villa quæ dicitur Herebac, tantum alodii nobis reliquit, quod præter alias justitias quindecim solidos solvere debebat, sed ab Abbatibus in feudum datum olim totum fuerat, de quibus studio Præpositi sui Folrardi Abbas Rodulfus quindecim solidos reacquisivit, sed quia cum labore acquirebantur, & vix retineri poterant, volebat illud aliàs libenter ambire si posset. De his decem solidis similiter Abbas Rodulfus majorum suorum consilio statuit ut

quinque in anniversario ejus ad refectionem Fratrum haberentur, quinque ad domum infirmorum, & si quis illos cambiret, qui tunc temporis essent, sollicitè obviarent, ut de cambiis anniversarium ejus ordinaretur, & quod superesset ad domum infirmorum daretur.

Iam igitur viginti quinque solidi sunt & tres denarii qui constituti sunt ad domum infirmorũ. Dicendum modò erit quid ex his agendum Abbas Rodulfus constituerit. Ad ligna coquinæ domûs infirmorum, quando per se coquinam habuerunt infirmi, & ad focum faciendum hyeme ante eos octo solidos; & ad continuum in ea nocte lumen incendendum sex solidos, & ad minutũ lumen, quo cœnantibus & Missam in ea cantantibus servietur, tres solidos & tres denarios: tres solidos ad utensilia emenda, scilicet vascula quibus in ea opus habetur, & mappas & mensulas, & manutergia & minuta homini. Quinque autem solidos qui adhuc restant ita reliquit, ut si fortè contingeret quominus viginti alii solidi & tres denarii solverentur ex istis, quod deesset suppleretur, & si plenè persolveretur, quantum viginti solidis illis superesset necessitatibus infirmorum disponeretur, ad quascumque Custos domûs infirmorum consilio Prioris videret necesse fore sive ad carnes, sive ad alias res, licet carnes de præpositura debeant venire.

Censum autem istum de omni eleëmosyna idcircò constituit recipiendum à Præposito à debitoribus, & à Præposito præsentibus illis dandum Priori, ut absque majori sollicitudine, & absque ullis expensis Præposito procurante solveretur ei. Si autem redemptio aliqua de terra moriente herede exiret, aut culpa aliqua existente vadium aut tale aliquid præter censum vivens persolveret, duas inde partes Præpositus haberet, qui hac illácque suis sumptibus pro acquirenda justitia equitaret, & tertiam Prior. Prior verò Custodi domûs infirmorum de istis viginti quinque tantùm solidis singulis annis responderet. Si autem nullus Custos in ea esset, ipse per se eadem disponeret; sicut & de anniversariis & aliis eleëmosynis. Mortuo verò qui aliquid de censu isto jure heredi-

tario

tario teneret, successor ejus ad Claustrum veniret, & domum hereditatis de manu Præpositi & Prioris reciperet, alioquin legitimum non esset. Lumen autem quod Custos priùs dabat ad domum infirmorum constituit Abbas Rodolfus, ut divideretur hyemali tempore per quatuor angulos Claustri ante collationes usque ad Completorium. Ista pauca domui nostræ infirmorum & eleëmosynis quæ suo tempore venerunt constituit, quia ad eam nec parvum nec magnum constitutum invenit, præter quod infirmis & languentibus carnes ministrare debebat & adhuc debet Præpositus. Quòd si in lardario Abbatis aut in curti invenirentur, aut in curti inde acciperet, quod ipsis infirmis convenire videretur. Novit enim Dominus, quia ad eam miseriam & tenuitatem disceptatione Abbatum res Ecclesiæ defluxerant, quòd domus infirmorum neque lumen in nocte, neque focum in die, neque quidquam ampliùs infirmus habebat languens in lecto quàm sanus in refectorio, ex eo si quid appetitui ejus non conveniebat, commutationem foris faciebat pro eo quod intus desiderabat: interdum etiam ori & appetitui subtrahebat unde necessitatem luminis & foci sibi supplebat. Quæ constitutio non ob hoc facta est ab eo ut sic tenuiter ampliùs permaneret, sed ut præsentem tunc necessitatem utcumque alleviaret: nam voluntas ei erat summa & desiderium plura addere, si ei accideret, aut ab eis addenda relinquere qui post eum venirent.

Ad vestiarium Fratrum parum certi erat statutum: nam cetera Abbates prout eis veniebant procurabant, quorum negligentiâ magnam frequentissimè Fratres penuriam vestimentorum sustinebant, maximè inter illas quas superiùs diximus Abbatum contentiones, tamen dicendum hîc otiosum prorsus esse non credidi, quòd ad eam tunc pertinebant & priùs quæ & quomodò statuerat. Bonum de Provin totum ad illam pertinebat, & census de Alost tres libræ, & Ecclesia de Pirges quatuor libræ, & Ecclesia de Dunc duæ libræ, & Ecclesia de Guebechem duæ libræ. Bonum de Provin ad id modicum defluxerat ut vix solveret septem marcas, cùm aliquando XIX.

ſolviſſet, unde inter hæc omnia vix ad viginti duas libras tandem perveniebat. Ligna ad veſtimenta Fratrum lavanda veniebant de terra, quæ dicitur Manedac, ad balneas de lare præbendæ lautorum, & conſutorum de molendino de Groſmec.

Igitur Abbas Rodulfus audiens ea quæ Abbates de ſuo dabant ad veſtimenta Fratrum, quia cum labore & dolore, & longa priùs afflictione eis interdum dediſſent, timénſque quia id poſt ſe poſſet accidere, utile duxit tam animæ ſuæ quàm Fratribus, ut plenè ordinaret & denominaret bona ad veſtimenta Fratrum jam ampliùs pertinentia, maximè quia Fratrum numerus creverat ſub eo qui ſupra incompenſo veſtiri non poterat.

Voluit etiam ita ordinare ut illa vel illa curia non demembraretur de cenſu ſive de annona ſua, ſed quo ſervire deberet tota integrè finiret, & ſi quando carum tempus accideret officiatus de annona ſe pleniùs juvaret; & ſi annona vile venderetur, cenſus eſſet qui ei ſuccurrere poſſet. Dicebat enim nullum officiatum de aliqua curia poſſe proficere cui aut cenſus de ea aut annona deeſſet. Itaque Provin ſicut erat ad veſtimenta Fratrum dimiſit, & cenſum de Aloſt, & Eccleſiam de Pirges, & ligna & præbēdas ſervientium ſicut invenit. Cenſum autem de Eccleſia de Guebechem & de Eccleſia de Dunc, quoniam iſtæ villæ majori parte ad Abbatem pertinent in manibus retinuit ſuperiùs dicta intentione. Villam verò de Devinc cum Eccleſia ſua, quoniam ſtudio ſuo & labore eam magno & gravibus expenſis reacquiſierat, ad vèſtimenta Fratrum ſtatuit, & villam de Stades abſque Eccleſia & molendino Remigii in cenſu & annona. Si igitur diligenter computaveris invenies, quòd ad veſtiarium aliquid plus pertineat quàm valens triginta librarum, de quibus decem ſuperadditæ ſunt quæ priùs non erant.

Cùm legiſſet in libro de vita S. Trudonis, quia vivens adhuc Monaſterium ſuum primùm in honore ſanctorum Quintini & Remigii feciſſet Deo conſecrari, & ante aram ipſorum ſe ſepeliri; viderétque uſque hodie & à populo exteriùs, & à Fratribus interiùs feſtivitatem S. Re-

migii celebrari, & de S. Quintino unam tantùm Collectam* fieri; miratus quâ negligentiâ hoc de tanto Martyre contigisset, gratum existimavit fore B. Trudoni, qui se & sua sub nomine ejus dedicaverat, si solemnitas ejus celebraretur in loco qui esset, ut dixi, Deo ex nomine ejus dedicatus. Composito ergo ex passione ejus pulcherrimo cantu cum Antiphonis & Responsoriis Hymnisque dulcisonis, solemniter celebrari ejus festivitatem apud nos instituit, statuto Fratribus die illa reddita in Refectorio ultra commune refectionis.

Id est, orationem.

Molendinum de Gurdendrul ratione dictante duos modios fecit solvere ampliùs quàm antea solveret, alterum siliginis, alterum frumenti: in die S. Quintini dimidium siliginis constituit pauperibus ad domum eleëmosynariam; alterum dimidium similiter pauperibus ad eandem domum in die sacrationis suæ, sic ut post suum discessum transferretur ad suum anniversarium. De altero modio frumenti constituit in die festi ejusdem Sancti, ut simila excuteretur, & panis ponderis duarum marcarum & dimidiæ daretur inde singulis Fratribus super panem suum quotidianum; de reliquo farinę panis fieret communis, & singulis camerariorum & servientium in curti unus daretur ejusdem ponderis. Similiter de alio modio in die suæ sacrationis, & cùm defungeretur ad diem anniversarium.

Dum autem inter hæc recolligenda & singula ordinanda miro ardore desudaret, non defuerunt illi maximæ tribulationes. Persequebatur enim eum inhumanè Advocatus noster Comes Gislebertus, & plurimùm advocatrix Comitissa Gertrudis conjux ipsius, ita ut nihil aut permodicum ei relinqueret de omnibus redditibus ad eum pertinentibus præter communem victum & vestitum qui debetur Fratribus. Vetus autem odium exordium habuit à tempore Abbatis Theoderici, propter quem frequenter & constanter eis restiterat tempore Prioratûs sui. Et cùm modò factus esset Abbas, fortiùs & fiducialiùs pro posse & ultra posse resistebat, ubicumque jura Ecclesiæ eos infringere videbat: propter quod

tantum in eum processit feminea procacitas, ut misso ad eam aliquando Priore nostro Guederico ardenti ira cum juramento minaretur, nisi etiam communis victus & vestitus Abbati tolleretur, quòd eis suus non relinqueretur. Interea Abbas Claustro clausus tenebatur, relevans sibi otium & tædium lectione, prosa, metro & cantu, quasi qui non habebat nec audebat quò progrederetur. Desperans tandem de auxilio hominum, convertit se ad Dominum, disposuítque iter suum Metis infra dies Paschales non ad aliquem dominum suum in carne adhuc positum Episcopum, sed ad B. Proto-martyrem Stephanum, specialem post Deum Ecclesiæ nostræ dominum & patronum: ubi cùm ante pares Metensis Ecclesię Monachos, Clericos, laïcos causam itineris sui & angustiam perorasset, nullúmque posse ab illis fieri auxilium videret, convertit se lacrymabiliter per octo dies quos ibi fecit ad B. Proto-martyris suffragium, frequentans reverenter parvulum quoddam B. MARIÆ semper Virginis in eo Monasterio oratorium: tantóque profusiori corde causam suam illis agendam committebat, quantò se propensiùs humano destitutum auxilio considerabat. Sed dum illuc transiret ex Monasterio S. Trudonis, Stabulaus nocte una habuit hospitium. Celeberrima erat nox illa solemnitatis institutæ, pro eo quod B. Remaclus reacquisierat sibi Malmundarium, quod NANNO Archiepiscopus Coloniensis susceperat de manu Henrici Imperatoris qui Leodii obiit. POPPO secundus tunc temporis Abbas ibi habebatur, simúlque & Prumiensem tenebat Abbatiam, quas quàm irrecuperabiliter dilapidaverit dicere hîc non est mei propositi. Nocte illa ad primas solemnes Vesperas ambo Abbates albis & cappis pretiosis induti, positis sedibus festivis sederunt ab utraque parte ingressûs cancelli ante altare B. Remacli, ubi Abbas RODULFUS dum infra *Magnificat* & sequentem Antiphonam baculo pastorali innixus caput, quem ambabus manibus junctis tenebat ad altare staret versus, amarissimè & profusum profudit fontem lacrymarum pro sua necessitate qua peregrinabatur, revocabátque sæpe B. Con-

fessori Remaclo ad memoriam eam quam ipse senex & B. Trudo adolescens vivētes adhuc in carne habuerant simul amicitiam, pia etiam exprobratione objiciebat ei consilium pro quo tradiderat B. Proto-martyri Stephano Metis præclaræ heriditatis suæ atque familiæ magnum & illustre monimentum, cùm non esset modò Præsul in urbe qui succurreret angustiis nostris & miseriæ. Quid plura? Audivit pius Confessor tacitos gemitus mœrentis cordis illius, vidit profusos per baculum usque in pavimentum lacrymarum fluxus.

Non solùm igitur ab insidiantibus Abbati dispositis latronibus eripuit eum in itinere, verùm præcedens eum verè, verè præcedens eum potenti virtute, causam ejus efficaciter Metis egit, non cum Episcopo Alberone secundo, sed cum B. Proto-martyre Stephano, atque cum beatissima Dei Genitrice Maria, cujus oraculum in ejusdem Proto-martyris Ecclesia, gloriosa frequenter illustrant miracula. Nam antequam Abbas reverteretur à Metis Stabulaus ad Beatum iterum visitandum & orandum Remaclum, in itinere nunciatum est ei, quòd mortua esset illa superiùs dicta Advocatrix, & ipsius & Ecclesiæ permaxima persecutrix. Advocatus autem Gislebertus qui inimicissimus ei priùs fuerat, reverso à Metis statim obvius ivit amico vultu & supplici, & quidquid in eum deliquisset à modo se libentissimè velle emendare promisit. Sed neque hîc adhuc continuit se B. Remaclus. Nam Herimannitarum & Herimanni multos & malignos & sæpiùs redivivos in Abbatem conatus potenter contrivit, & ab omni spe decidere fecit: qui videlicet Herimannus ad S. Symphorianum in silva supra Leodium juxta Clarum-montem sicut ante se contulit, & ab inguine inferiùs gravi infirmitate correptus privatus est omni gressu. Longo itaque cruciatu ibidem mortuus est & sepultus. Priùs tamen quantum fieri potuit per internuntios Abbati & Ecclesiæ reconciliatus, sex quippe annis postea vixit quàm Abbas Rodulfus in Abbatiam intravit, quo vivente alter nunquam absque

perturbatione vixit. Hic talis finis extitit Herimanni, qui unus & ultimus fuit quatuor illorum ventorum, quorum turbinibus agitati frequenter usque ad cælos sumus, & depressi usque ad abyssos descendimus. Defunctis Herimanno & Comitissa, aliquantula pax Abbati & Ecclesiæ est reddita.

Et quoniam de reparando Monasterio propter vastitatem ejus desperabat, & manus apponere propter paupertatem non audebat, convertit se ad ædificandam quartam partem Claustri versus aquilonem ex lignorum materia, sicut erat pars illa quæ ad orientem respiciebat, cùm priùs ambæ vix clauderentur sepe humili & vetustate disscissa. Illa versus orientem habebatur pro Fratrum dormitorio, versus aquilonem pro infirmorum domo, súbque uno ipsius tecto domus erat lavatoria, domus eleëmosynaria, & curticula ante cum posticio, exitus de Claustro & introitus pulcher & amplus, in quo mandatum pauperum agebatur, & curticula antè porta claudebatur, superiùs granarium, inferiùs duæ cameræ; una in qua vestimenta Fratrum Camerarius reponeret, alia in qua consueretur. Deinde domus infirmorum habens fumariam sive forariam, capellulam, lobiam, cameram dispensatoriam, cameram privatam, aliámque privatiorem. Hortum ante eam postibus, tabulis, spinis munitum, ut esset ex aërë & viriditate infirmorum aspectibus refrigerium. De domo illa, quæ priùs erat quasi carcer infirmorum, fecit cervisiæ & vini cellarium, atque à dextra introëuntium aptum hospitibus suscipiendis habitaculum. Quæ priùs cellarium fuerat, fecit pulcram & amplam sibi & majoribus hospitibus cameram habentem ab utroque latere duas alias usibus hospitantium necessariis, ex quibus aptus & secretus in Monasterium est introïtus, interclusâ manicâ à Monasterio, factóque ad tumulum S. Lamberti Martyris oratorio, hospitibus volentibus Missam audire vel dicere congruo. In pariete hujus manicæ versus monasterium est fenestra ab utraque parte vitrea quæ lumen fundit, & in Monasterio & in hoc hospitum Oratorio; lumen hoc procurat Custos de quinque

solidis quæ veniunt de Ecclesia de Alost. De hoc quoque Oratorio est introïtus in aliam cameram, quam ipse Abbas latam & altam similiter hospitibus ædificavit cum necessariis ejus appenditiis, ut non haberent Fratres inquietudinem de hospitibus in Claustro, neque necessitudinem exire propter eos sicut antè solebant de suo Refectorio. Sunt & atria & porticus ante has utrasque cameras, & viridarium spatiosum & delectabile hospitibus, cum pluribus lignis diversos fructus ferentibus, de quibus penè omnibus nihil invenit, nisi situm horribilem & dirutas macerias, quando Abbatiam est ingressus.

Et cùm de reædificatione Monasterii propter horribilem vastitatem ejus, ut dixi, desperaret, & propter tenuem Ecclesiæ substantiam accingere se ad tantum opus formidaret, inspiravit Deus cuidam matronæ de oppido nostro nomine Ruzelæ, quæ suis sumptibus unum pilarium cœpit ædificare, cœpit, erexit, consummavit. Hanc imitatus quidam Libertus de hac majori curte nostra villicus aliud juxta eam incœpit & consummavit. Post illos oppidani nostri de suis facultatibus quatuor incœperunt pilaria, & duo reliquerunt imperfecta. Perpendens ergo Abbas Rodulfus, quia voluntas Dei erat & Sanctorum, spiritu recepto aliis intermissis, ad illud tantum opus non segniter se accinxit. Itaque pilariis tanto labore & constitura erectis, qualem nemo novit qui non interfuerit, in brevi tempore de choro usque ad turrim utrosque parietes navis Ecclesiæ penè usque ad consummationem perduxit.

Sed diabolus crescenti invidens operi, cùm turbatis regni Principibus adversum Imperatorem Henricum quartum, videret locum impediendi opus nostrum, partes fecit, & propter Comitem Gislebertum Advocatum nostrum Imperatorem deserere nolentem, & Ducem Godefridum Lovaniensem Imperatori adversantem, irruptio facta est ab eo in oppidum nostrum. Nam stolidus populus præter corporum communia arma & pectora stultâ audaciâ nulla præparaverat adversus eum repugnationis machinamenta, fossatum oppidi detritum

& dirutum & plusquam centum locis pervium. Porta
nulla, terra loco pontium continua, ligna prostrata,
nulla transversa; tamen audax & malè antè securus po-
pulus ruit ei obviam obduratis pectoribus, contráque
omnium hominum spem diu ne intraret virili ei manu ob-
stiterunt, & bis & semel violenter ingressum facta magna
strage corporum eorum cruento vestigio ejecerunt. Sed
tertiò prævalentes hostes multitudine, & securiores no-
stris ferreo tegmine compulerunt nostros intra atrium,
quod tantùm munierant contra eum, statímque omne
oppidum usque ad quindecim domos igne fuit concre-
matum. Interea milites circumquaque discurrentes om-
nia nostra diripiunt, non ampliùs Ecclesiis quàm domici-
liis parcunt, manéque abeuntes quidquid supererat de-
populationi, igni tradunt, omnes nostras villas, quæ illi
superfuerunt incendio, suos mancipare fecit Dux suo suo-
rúmque servitio. Quam nostram calamitatem quoniam
tristi metro bis descripsit Abbas Rodulfus, prosâ hîc ite-
rare otiosum duximus.

Tunc intermissum est opus Monasterii, cùm ea ipsa
die eadem hora qua cremabatur oppidum operarii sta-
rent adhuc super absides, super cancellum celeriter se
transfuderunt, & cum magno vitæ suæ periculo & into-
lerabili æstu atque ardore partes illas ab incendio eripue-
runt. Nam multis in locis de tectura sub pedibus eorum
flamma irrumpebat, & dorso atque capitibus minaciter
desuper allambebat. Gratias Deo, pars illa evasit ab in-
cendio, non tamen sine aliquo de ruptione tectorum
damno. Annus quo hæc mala nobis acciderunt, annus
1114. erat Incarnationis Domini millesimus centesimus deci-
mus quartus, ordinationis Abbatis septimus, XIV. Ca-
lendas Augusti feriâ secundâ messe matura; anno à con-
crematione Monasterii & Claustri sub Lanzone & Lui-
pone de Abbatia contendentibus XXIX. à concrematione
oppidi quæ facta est sub Henrico Leodiensi Episcopo, &
per eum, triginta & plus modico.

Dux Lovaniensis, licet mala ista omnia nobis propter
Advocatum nostrum Gislebertum fecisset, majora ta-
men

men adhuc minabatur, neque bona Ecclesiæ solvenda ab invasione, nisi priùs fossatum atrii quod contra eum elevaverant repleretur. Quid multa? Quod stulta factum erat temeritate, ut ita dicam, defectum est tristi necessitate, fossatum atrii repletum est. Tunc Abbas Rodulfus à turre Monasterii per circuitum versus Aquilonem usque ad portam curtis, quæ respicit ad Orientem, cumulum grandissimæ fossæ non exteriùs sed interiùs sparsit propter magnum præcipitium, quod ea parte curtis intus deformiter habebat: portam quoque quæ respiciebat ad Aquilonem transtulit juxta molēdina ad Occidentem. In qua commoda planitie videlicet inter portam orientalem & occidentalem pulcro modò ordine sunt positæ necessariæ curti officinæ, horrea duo, domus dominica vasta habens per circuitum sui stabula equis supervenientium hospitum necessaria. Duæ domus pauperum, altera æstivalis ad habitandum, altera hiemale calefactorium ad reficiendum. Per circuitum hortus amœnus pomorum herbarúmque commodus usibus. Deinde pistrinum, pòst bracena, post eam divitibus hospitibus coquina, quæ cùm expedit Fratribus est lavatoria. In medio & ante istas officinas puteus utilis curti ad omnes aquæ usus. Igitur repleta atrii fossa & pacatâ Ducis irâ recepit Ecclesia nostra sua bona vacua, & post multos annos inutilia.

Deinde sequenti anno tam ardenti animo ad reparandum Monasterium Abbas Rodulfus se cœpit accingere, quòd (ut ita dicam) vix meditullio noctis poterat requiescere, quin ipse semper adesset præsens operariis. Manè ante solis ortum, vespere usque post occasum ad instantiam operis urgens eos hinc lapidi, hinc ligno occupatos. Totos igitur parietes Monasterii anno illo usque ad turrim peregit, & trabibus suprà compositis ferè cooperuit, modico superextante, quamvis illud idem non cessaret quotidie strenuè consummare. Tunc tandem facta est ab ipso capellula, quæ supra sepulcra sanctorum Trudonis & Eucherii ferè triginta annis computruerat,

& circumdata sunt sepulcra eorum inferiùs muro, superiùs quadratis tabulis quadraginta versus altare insitis ligno operoso duplici ordine. Circuibat hoc opus Sanctorum corporibus reverendum minor chorus valde decorus, & invalidis Fratribus ad sedendum aptus, & ad venerandam & orandam præsentiam sanctorum, corporum, per duo utrinque ostiola introitus erat per minorem chorum ad altare & sepulcra Sanctorum, valvis duabus ferreis ante altare intercludentibus populum & Fratres; si quando cantatum aut oratum procedere vellent manifestè aut occultè ad altare & corpora sanctorum. Muro itaque Monasterii & tecto gravissimis sumptibus consummatis, fecit illud solemniter dedicari ab OLBERTO Leodiensi Episcopo in gaudio & in gloria magna anno ordinationis suæ, Abbatis videlicet, IX. ab Incarnatione Domini 1117. tertio Calendas Octobris, ab eo quo crematum tunc XXXII.

1117.

Reliquiæ verò quæ in altaribus, & in quibus altaribus positæ sunt ita habentur. Principale altare post beatam & gloriosam semper virginem Dei genitricem MARIAM est consecratum in honore Sanctorum Quintini & Remigii, quibus B. Trudo primum à se factum Monasterium dedicavit, in quo continentur Reliquiæ istæ: De corpore S. Adriani Martyris, de sepulcro Domini, de columna Domini, de spinea corona Domini, de sancto Theodoro Martyre, & aliorum Sanctorum. Altare quod est retro majus altare est consecratum in honore sanctorum Martini Episcopi & Christophori Martyris, in quo continentur Reliquiæ istæ: De vestimentis sanctorum Trudonis & Eucherii, de Reliquiis sanctorum Pancratii, Victoris & Rumoldi Martyrum, Bavonis Confessoris, & aliorum Sanctorum. Altare in dextera parte est consecratum in honore sanctorum Iohannis Baptistæ, & Iohannis Evangelistæ, in quo continentur Reliquiæ istæ: De lecto S. Iohannis Baptistæ, & de spelunca ipsius, & aliorum multorum. Altare in sinistra parte est consecratum in honore sanctorum Apostolorum Pe-

tri & Pauli & aliorum omnium; in eo continentur Reliquiæ istæ: De corpore sancti Amandi Confessoris, & sancti Valentini Martyris. Altare ad sepulcrum beatorum Trudonis & Eucherii est consecratum in eorum honore; in eo continentur Reliquiæ istæ: de capillis sanctæ MARIÆ, de vestimentis sancti Iacobi Apostoli Domini, de Reliquiis sanctarum undecim Virginum. Altare à dextera parte ad introitum Monasterii est consecratum in honore sancti Benedicti & sanctæ Gertrudis Virginis. In eo continentur Reliquiæ de corpore sanctæ Gertrudis & aliorum multorum. Aliud contra illud altare in sinistra parte est consecratum in honore sancti Lamberti Martyris, in eo continentur Reliquiæ istæ, de capillis sancti Lamberti Martyris & Episcopi, de sancto Georgio Martyre, de sancto Mauricio Martyre & aliorum.





LIBER VNDECIMVS.

ANTE hos consecrationis Monasterii undecim annos excommunicatus obierat Leodii HENRICUS Imperator, filius HENRICI filii CONRADI Imperatoris, regnóque & atrio privatus erat propter dissensionem inter ipsum & Apostolicos Romanos de investituris Episcopatuum per annulos & baculos de manu Imperatoris, & propter simoniam quam de eis faciebat. Regnabat autem pro eo filius ejus æquè HENRICUS vocatus, qui cum Romana Ecclesia patrem persecutus, regno eum privaverat. Hic cùm regnare cœpisset, & potentissimè atque robustissimè in regno confirmatus esset, in illud ipsum incidit in quo pater Ecclesiam offenderat, & pro quo sententiam privationis acceperat, majoráque satis atque nefanda committere non pertimuit: nam cùm Romam venisset, & ad gradus B. Petri Apostoli processione suscipiendus esset à Domino Papa PASCHALI & Cardinalibus, Episcopis & Presbyteris, Diaconibus & omnibus Clericis, Romanorúmque Nobilioribus, & populo innurabili fidem subitò rupit, sacramenta interposita postposuit, datos obsides vilipendit, manúsque sacrilegas tam ipse quàm sui in dominum Papam Christum Domini injecit, & omnes qui capita videbantur esse Ecclesiastici Ordinis atque Romani populi custodiâ conclusit. Ibi quod quisque suorum potuit de insignibus Ecclesiasticis sibi rapuit tam in auro quàm in argento, & cappis & casulis, sicut unaquæque Ecclesia attulerat ad ornatum processionis. Quid longiùs protraho? Tandem gravi necessitate & lamentabili re compulsus dominus Papa non propter se tantum quantum propter Romanorum Nobiles, & Cardinales suos, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, qui secum crudeli clausura tenebantur, extorquenti magis quàm petenti Imperatori consecrationem imperialem se daturum concessit, & pravilegium

potiùs quàm privilegium de investiendis Episcopis & Abbatibus.

Hoc tristi nuntio & polluta fama pervolante ad Gallicanam Ecclesiam, sine omni mora facto Conventu, Imperatorem excommunicavit, & quod sub tanto sacrilegio & violẽtia factum fuerat damnavit. Dominus verò Papa quod in reconciliatione Imperatori promiserat non violavit, sed Ecclesiam Gallicanam, omnésque filios Romanæ Ecclesiæ pro injuria summo Pontifici facta, clavibus beati Petri Apostoli uti non prohibuit. Suspendebatur adhuc hæc in Imperatorem sententia apud Germanorum Ecclesiam cùm propter timorem, tum à quibusdam propter gratiam, nec multo pòst tempore vòcâtus est ab ea, & missus ad eam Cono Episcopus Prænestinus Romanæ Ecclesiæ Legatus, congregatúmque est Concilium magnum in loco qui vocatur Frisebart, tam de Abbatibus & Episcopis, quàm de multitudine Clericorum & Monachorum, cui propter obedientiam qua vocabatur non ausus fuit deesse domnus Abbas hujus nostri Cœnobii videlicet S. Trudonis Rodulfus, ne ab officio & communione Ecclesiæ suspenderetur. Excommunicatur in eodem Concilio Imperator Henricus, sicut & in Gallicana Ecclesia, cùm propter prædictam culpam, tum propter tyrannidem quam excercebat in Ecclesiam. Propter fideles Imperatoris cum multa sollicitudine & timore actum & peractum Concilium fuit; sed & domnus Abbas Rodulfus non sine minori sollicitudine atque timore domum rediit, ut potè per medium fidelium Imperatoris: sícque in turbato regno facta est satis major perturbatio.

Defungitur paulo pòst Leodiensis Episcopus Olbertus. Fit altercatio grandis de Episcopatu, electionis tamen dies præfigitur, infra quem Alexander ejusdem Ecclesiæ Sacrista & Archidiaconus baculum & annulum arripit, Imperatori repræsentat, & ab eo recipit, investitus sic à manu excommunicata de Episcopatu Leodiensi: pro qua temeritate, & contentionis erroneo fune, præfixa canonica electio diu protelata fuit, donec

Moritur Olbertus Episcopus Leodiensis.

traheretur Coloniam Conventus Leodiensis cogente auctoritate Metropolitani scilicet FREDERICI Archiepiscopi. Ne ibi quoque ausus est defuisse domnus Abbas Rodulfus, cavens sibi semper sollicitissimè ne inobedientiâ feriretur, sicut ne excommunicatorum communione macularetur. Electus est igitur ibi dominus FREDERICUS majoris Ecclesiæ Leodiensis major Præpositus & Archidiaconus, atque à domino Papa CALIXTO consecratus, & Alexander cum omnibus suis complicibus excommunicatus. Studens brevitati prætermisi hîc, quanta difficultate, quanto periculo electus, & qui elegerunt redierunt à Colonia Leodium, cùm à Trajecto usque ad urbem ab utraque parte Mosę acerrimas insidias per dispositas locis aptis militum copias Alexander eis posuisset, quibus ipse quoque intererat. Tamen protegente eos Deo sine aliqua læsione urbem introierunt, & exclusum Alexandrum, ex Hoyo castello obsidione ejectum quotidie patiebantur hostem gravissimum. Vix tandem aliquando domnus Abbas Rodulfus, ab hoc reditu multas frustratus insidias, Cœnobio nostro incolumis est receptus: quod non minimum dolebat Advocatus noster Gislebertus Comes, & omnes Alexandri satellites.

In ejus locum sufficitur Fredericus.

Igitur excommunicato Henrico Frisebart & Alexandro Hemis; in hoc & illud facta est magna perturbatio, & in Monachos & Clericos crudelis persecutio in toto Leodiensi Episcopio, qualis à tempore Arianorum non fuit audita. Alexandri partes juvabat cum suis omnibus Lovaniensis Comes GODEFRIDUS, tunc temporis Dux, Durachiensis Comes GISLEBERTUS Leodiensis militiæ Signifer, REYNERUS de Monte-acuto, Comes LAMBERTUS, & pene tota familia Ecclesię cum suis viribus. FREDERICI partes tuebantur frater ejus Namurcensis Comes GODEFRIDUS cum suis sed non omnibus de Lemburg, Comes GUALERANNUS, qui postea extitit Dux de Monte-falco, *Gorguinus civitas tota exceptis aliquibus; Abbates omnes, Episcopi, de Archidiaconibus & Præpositis meliores & plurimi, Clerus quamplurimus: pars illa dicebatur Alexandrina, pars ista Frederina. Ale-

f. * Gorguinum, *sive*, Gandavum.

xandrini dicebant Frederinos reos esse Regiæ Majestatis, & ob hoc persequebantur. Frederini Alexandrinos cum Imperatore & Alexandro excommunicatos, & ob hoc in Ecclesiastica communione eos vitabant. Itaque qui Romanæ obedientiæ sub Episc. Frederico obtemperabant, prædas & direptiones & captivitates, ignem & gladium per Alexandrinos quotidie sustinebant nulli ætati, nulli sexui, nulli ordini parcere, totum persecutionis æstum super Ecclesias tam in Monachos quàm Clericos effundere: vagi & profugi, laceri & seminudi multi tam Monachi quàm Clerici hac illácque mendicare. Sic vidimus, sic audivimus, sic scribimus.

Alexander ex castellis ejectus, sed prædictis tutoribus nostro oppido frequenter se recipiebat, & tantorum malorum incendium acriter agebat. Oppidani nostri omnes illi favorabiles erant, ut pote semper levissimus ad talia populus. In tota Brabantia, in tota Hasbania non erat Princeps aut dominus qui Alexandro non faveret aut eum tueretur. Solus Loensis Comes Arnulfus inter utrosque medium se agebat; Frederico tamen magis obtemperans ob domini Papæ obedientiam, quàm Alexandro ex Imperatoris violentia. In medio nationis tam pravæ atque perversæ in multa spiritus angustia & carnis nostræ amara penuria, licet deprędata, licet afflicta servabat tamen Ecclesia nostra cum domno Abbate obedientiam Romanæ Ecclesiæ, & incontaminatam se custodiebat ab excommunicatorum communione. Quapropter ira gravissima & odio intolerabili atque rapina in domnum Abbatem Rodulfum, & in nostros & nostra omnes ferebantur, quicumque Imperatorem & suum Alexandrum sequebantur.

In tempore illo & in diebus illis scripsit domnus Abbas Rodulfus epistolam ad ipsum Alexandrum, & aliam ad quemdam de suis, redarguens eos cum magna libertate animi, & constantia, & auctoritate de illicita ejus invasione & de tyrannide quam in Ecclesiam exercebant quotidie, & instruens eos quæ esset canonica electio, & ad Episcopum ecclesiastica promotio & de Imperatoris

dono. Sed quid? non mutavit Æthiops pellem suam. Interea Lovaniensis Dux villas nostras & Ecclesias & quæcumque de nostris dominio suo adjacebant, militibus suis distribuebat. Comes verò GISLEBERTUS advocatus noster de nostris quæ ei subjacebant similiter fecerat, HENRICUS Castellanus de Cohunc Ministerialis Imperialis Imperatoris quæ super Mosellam videbamur habere possidebat, quisque dominorum immo raptorum prout eis nostra contigebant. Solùm deerat votis Alexandrinorum & aulicorum domnus Abbas Rodulfus, desiderantium eum quandoque rapere & Imperatorì dehonestandum pro magno munere offerre, hoc ei totum conflaverat advocati Gisleberti vetus in eum & novum odium, & detractio continua apud ipsum tyrannum: sed testis erat qui novit corda, quia præter Romanam obedientiam non peccaverat in illum.

O quoties fideliores & meliores Ecclesiæ domnum Abbatem convenerunt humillimis precibus, & piis obsecrationibus, prætendentes ei tempestuosi temporis tempestatem, ut promissa sibi priùs securitate offerri se pateretur à fidelibus viris Imperatori, & osculo tãtùm & colloquio ei communicaret, & sic deinceps pacem & gratiam ejus tam ipse quàm bona nostra haberent. Cúmque evincere non possent, quia ille constanter dicebat sibi servandam obedientiam Romanam & communionem catholicam, conviciis affectum aspernabantur, & sinistris auspiciis devoventes iratum solum relinquebant. Nam si quando Trajectum sive Leodium Imperator venisset, vix eum tutum fore posse intra nostri quoque templi parietes amici ejus credebant, quos & Alexandrini plurimùm concitabant. Ipse tamen nihilominus quantum valebat ab Ecclesia nostra eos arcebat, & si quando ad unum altarium nostrorum ab uno suorum Alexandro Missa cantaretur, nullum nostrorum ibi Missam cantare permittebat ampliùs: donec benedictione data ab ipso Episcopo Frederico reconciliaretur. Præteribant dies sanctæ Quadragesimæ, necnon similiter Passionis Dominicæ, & tota Ecclesia nostra cum domno Abbate agonizabat vehementer

hementer in hac passione. Nil nos juvare poterat, quòd consilio & multis precibus fidelium Ecclesiæ pacem & securitatem tam nostri, quàm bonorum nostrorum credebamus nos redemisse viginti quatuor marcis à Lovaniense & à Durachiense impeditis, quæ supererant nobis sub fœnore pro hac gravissima exactione. Inimici Dei & sanctæ Ecclesiæ mentiuntur promissum, rumpunt fidem, ventum cùm esset ad clausulam, scilicet aut Abbatem eis communicaturum, aut loco aut Abbatia cessurum, sive fame cum omnibus nobis in ea moriturum, atque ad complenda eorum longa desideria hujusmodi eis est occasio suborta.

Infirmata matrona de majoribus oppidanorum propinquabat ad mortem: spes vivendi nulla erat: conveniunt Abbatem filii & parentes, rogant ut cùm defungeretur, Missam & exequialia de more ei faceret. Quid faceret? annuere eis quod non erat facturus eum non decebat, negare causámque quærentibus dicere seditio futura erat. Quid tandem? respondit se non audere: quærentibus quare, pro servanda, inquit, sancta communione, sed si viri tantùm vellent abesse, præsentibus mulieribus Missam & exequialia non timeret peragere. Suggesserunt crebriùs eadem, & eadem ab eo audierunt. Episcopum verò Fredericum non Episcopum reputabat, sed invasorem & tyrannum. Ergóne tandem inquiunt viri excommunicati sunt? iratíque recedentes commoverunt seditionem magnam, populúsque cum filiis ægrotantis matronæ cum clamoso furore quærimoniam apud advocatum faciunt de ipso: Ecce, inquiunt, Advocate pater, quòd pro excommunicatis tam te quàm nos habet, quia te duce venimus Hoïum in Ducis expeditione, ob hoc neque nos in communione, neque mortuos nostros propter nos vult recipere. Satis utique ignominiosum tam tibi quàm Duci, qui in medio nostrum securum pateris esse inimicum Imperatoris, qui tam ipsum quàm te & nos non negat se habere pro excommunicatis. Monebant Abbatem secretò amici & homines sui, ut saltem residens Conventum Fratrum ad exequias mitteret, & ten-

tantes eum à proposito avertere, dicebant ei utilius esse ad horam necessitati temporis cedere, quàm Ecclesiam sibi commissam desolatam relinquere Sciebant enim alterutrum imminere, aut voluntati eorum aut loco cedere. Flecti non potuit.

Nunc quoniam sermo de expeditione Ducis versus Hoïum incidit, breviter tanquam quid fuerit. ALEXANDER Hoïum castellum occupaverat, quem in eo FREDERICUS Episcopus cum fratre suo Namurcensi Comite GODEFRIDO obsessum tenebat; nam suburbana Hoï Frederico magis favebant quàm Alexandro, ad quem liberandum Dux applicuit exercitum Hoïo ex una parte Mosæ, in quo oppidani nostri fuerant (& hoc est quod Advocato & Duci improperabant, ut eos ampliùs in Abbatis contumeliam sic accenderent) ex altera parte Mosæ de verticibus montium Comes LAMBERTUS in obsidentes castellũ cum ingẽti multitudine exivit; pugnatum utrinque acriter est, illinc à Duce, istinc à Lamberto Comite contra utrosque ab his qui erant cum ipso Frederico & fratre ejus Namurcensi Comite. Dux inani spe frustratus recessit. Comes LAMBERTUS in bello prostratus de equo & vulneratus captivus ductus Namurcum fuit. ALEXANDER obsidionem diu sustinere non valens, & valde expavefactus ex verbis Papæ Calixti, qui ei mandaverat quia clauderet ei januam æternæ vitæ nisi cessaret, Episcopo Frederico castellum redderet, & promissa emendatione & perpetua cessatione; in publico Conventu Leodii absolutus est ab Episcopo Frederico cum paucis adhærentibus ei Clericis, & domi sedens ad tempus invitus siluit. Nunc ad narrationis ordinem revertamur.

Advocatus jamdudum in Abbatia graviter infensus, nunc verò magis in iram & furorem propter supradictam exprobrationem succensus, Duci quid eis faciendum sit de Abbate communicat; consultúmque accepit. Secundo die Paschæ in atrium Ecclesiæ veniens pulsatâ campanâ populum convocat: ubi de illo pariter cœperunt tumultuari & conqueri, & vicissim favere ejus derogationi, mandatus exire ad eos exire derogat. Advocatus homines

ejus pro mandato suo nolentes eum exfestucare exfestucat: die illa tota satis turbæ actum est in turba: sequenti die Comes ARNULFUS de Los se interposuit, nihílque profecit: cúmque neque mutari posset Abbatis constantia, neque dissidentium ab eo pertinacia: itaque defatigata eorum ratione & eorum dissono fremitu, eò res demum redacta est, ut aut loco cedendum aut excommunicatis communicandum sibi esset. Nec diu hæsitavit quod potissimnm eligeret; vir enim prudens citiùs advertit, & si temporis necessitas præsentiam suam Ecclesiæ sibi commissæ omninò deposceret, priori tamen honori & constantiæ suæ nullatenus debere notam subsannationis inferre, nec egregia principia probroso exitu corrumpere. Tædebat eum bona Ecclesiæ quotidie videre diripi, & ab his qui debebant nullum auxilium ferri. Concertabat verò ægerrimè in mente ejus hinc Fratrum affectus, quos intimè diligens sine gravi dolore ita desolatos relinquere nequibat, illinc conservandæ Catholicæ communionis superiùs liberrimè acta constantia. Sed quid zelus Ecclesiæ & magnanimitas honesti fortísque propositi? Demum palmam hic conflictus penes eum obtinuit; certus itaque de incontaminanda Fratrum perseverantia, cessit tamen non sine magno ejulatu eorum & meliorum de Abbatia dolore, parvipendens præsentia melioris vitæ contemplatione.

Anno incarnati Domini millesimo centesimo vigisimo primo exivit, Ordinationis ejus XIII. quartâ feriâ Paschæ, quæ fuit eo anno Idus Aprilis, atque à Comite Arnulfo de Los honorificè conductus, humanissimè quoque ab eo est hospitio susceptus, liberalitérque stipendiatus. 1121.
Paucis itaque cum eo factis diebus licet morbo tunc per plures diffuso capitis & oculorum tunc gravaretur, viam tandem versus Flandriam est aggressus, atque per Lovanium ubi dominus Lovaniensium folia tantùm dedit verborum: inde per *Hafflingiam, per Cœnobium S. Bavonis, tandem Gandæ pervenit ad Ecclesiam sancti Petri. In illis diebus præerat Hafflingiæ primus Abbas loci illius FULGENTIUS, vir cum omni suo Conventu vita reli-

al.* Affligenium.

giosus atque hospitalitati deditus. Apud sanctum Bavonem GUALRICUS, in providentia rerum temporalium vigilanter strenuus: Apud sanctum Petrum Gandæ ARNULFUS qui postea vivens Abbatiam reddidit, inquietatus à Fratribus. Exuberabat tamen ejus tempore locus ille victuum & vestium tam sanis Fratribus quàm infirmis superabundanti copiâ, vigebántque sub eo introducta per eum religiosa Cluniacensis Ordinis studia. Ab his supradictis omnibus pia humanitate & compassione susceptus, postremò Gandæ sub eodem Arnulfo Abbate, donec de tam solido littore posset speculari quando Deus imperaret ventis ejus & mari. Interim dum ibi moraretur, manus Domini paternæ super eum visitationis correptionem super correptionem ei apposuit, quia frater ejus uterinus qui cum eo exierat vice famuli, sed affectu germani, longo languore vitâ decessit; jacet sepultus *Poti ante occidentalem portam Monasterii, quod circumdat murus undique vasti & bene compositi paradisi. Signatur sepulcrum ejus lapide polito atque subnigro. Quanta constantia animi, quanta vultûs serenitate visitationem illam Domini sibi suscepit, cùm tamen carnis affectu ut homo intus ureretur, mirabantur omnes qui eum intuebantur, maximè ipse Arnulfus Abbas, qui omne genus consolationis affectu & effectu maximo erga eum exercebat. Fuit igitur cum eo usque post obitum Frederici Leodiensis Episcopi, propter cujus obedientiam & Romanæ Ecclesiæ communionem supradictam patiebatur incommoditatem.

f. * ibi

Eo anno defungitur Episcopus FREDERICUS VI. Calendas Iunii, & ALEXANDER reducitur à suis & cum suis. Præter eum verò solum quem Episcopus Fredericus absolverat, ut & Hoyum exiret, & ab Episcopatu cessaret, nullus suorum laïcorum absolutus fuerat, neque ipse eorum communionem in aliquibus devitabat: videbatur enim tam sibi quàm suis quòd omnis contradictio, quæ eos hactenus impugnaverat, defuncto Frederico sublata & remota esset. Vocatus ergo ab eo licet excommunicatus adhuc Lovaniensis Dux Leodium venit, Clerum &

populum ei pacificare satagit, & in pleno conventu Capituli reformat ei assensum electionis; qui de Frederinis intererant silentio magis quàm corde aut ore assentiebant. Placuit tunc quoque in communi eis, Abbatem Rodulfum revocare, ut illo ei cooperante qui in parte domini Frederici nonnullæ opinionis fuerat, & Archiepiscopo virtute constantiæ in persecutione satis innotuerat, ad ea quæ restabant promptiùs de Alexandro prævalerent. Scientes autem quia pro ipsis minùs rediret, litteris & sigillo Leodiensis Ecclesiæ eum remandaverunt. Rediit, sed ex consilio Alexandri, licèt hoc negaret, Abbatiam intrare ab Advocato Gisleberto non permittitur, donec intelligeret aut probaret, quo animo, quo studio causam suam tueretur. Cúmque Leodii moraretur, nitebantur valde communes amici eorum ut pacificaretur: Abbas Rodulfus non renuebat, sed secundùm Deum & animæ suæ salutem: Alexander neque hanc neque illam volebat interponere conditionem: manebat interim Leodii apud sanctum Laurentium. Heribrandus tunc temporis ibi præsidebat post Berengarium. Sed cùm intelligeret ex his quæ Alexander quærebat, quia anguis in herba lateret, atque cognosceret quia ille excommunicatis communicaret, & factus Conventus excommunicatorum communione contaminatus esset, dolebat vehementer se venisse, & libentissimè volebat se absentare, ne cetera sua strenuè acta fuscaret vel falsa opinione; sed non parum habebat anxietatis & sollicitudinis, quia neque in Flandriam redeundi facilè copia ei erat, cùm videret eos sibi dissentire à quorum conductu eò redire haberet, & timeret deesse sibi ad victum pertinens, si Leodii remorari necessitas compulisset. In proximo autem Archiepiscopus & Dux Trajecti debebant convenire, ut in pace omnia solidarent, sub qua spe firmandæ pacis pacificè Trajectum venit, nihil eorum quæ promittebantur actum. Archiepiscopus non venit.

Videns igitur facultatem in Flandriam revertendi minùs sibi suppetere, Coloniam intendit ad Archiepiscopum Fredericum. A Trajecto autem descendens Eiselo

caſtellum, invenit ibi majorem Præpoſitum Eccleſiæ ſancti LAMBERTI ANDREAM, qui poſtea Trajectenſis Epiſcopus extitit, & cum eo de Eccleſia majores, qui Alexandri communionem vitabant: ubi invicem conſolatis, & in perſeverantia corroboratis, tranſivit ad virum nobilem GORGUINUM de Caſtello Falco-monte, qui & ipſe fautor erat & cooperator Frederinæ parti faventium, qui honorificè habens eum ſecum aliquot diebus, deduxit eum in Arduennam ad Archiepiſcopum ubi tunc per nemoroſa oblectabatur. Archiepiſcopus de adventu gaviſus, hoſpitio & conſilio eſt eum conſolatus. Mane autem facto adveniunt nuntii Alexandri HENRICUS Archidiaconus Eccleſiæ ſancti Lamberti, filius CONONIS Comitis, & GODESCALCUS Canonicus Eccleſiæ S. Servatii Trajecti, qui erant de communione Alexandri. Sprevit eos Archiepiſcopus, nolens eos audire propter communionis contaminationem; tamen eis & Alexandro omníque Clero ei faventi inde apud ſanctum Cornelium diem ſtatuit, ut audiret eos ibi. Interim Abbatem Rodulfum ſecum Coloniam ducit, & commendat eum Roberto ſanctæ MARIÆ ſanctíque Heriberti ultra Rhenum Tuitii. Iſte ROBERTUS* Leodii nutritus fuit in Cœnobio ſancti Laurentii, quem propter præclaram nominis famam in ſanctarum Scripturarum ſcientia Archiepiſcopus ſibi aſſumpſerat, & Abbatem loci prædicti conſtituerat. Hujus viri multa magna & præclara extant librorum volumina, quæ de divina pagina exarata reliquit in Eccleſia, cujus corpus viventis nec ſomno poterat requieſcere quàm palpitaret lingua, & moverentur ejus labia in divinæ legis meditatione. Neque diu interfuit; venit dies poſitus Alexandrinis, Archiepiſcopus convocatis majoribus Eccleſiæ Colonienſis affuit, Abbatémque Rodulfum cum Tuitienſe Indam perduxit, duobus diebus longa ibi altercatio, longa de Canonibus diſputatio. Archiepiſcopus Alexandri & ſuorum communionem vitabat, & omnes cum eo qui de obedientia Frederici Epiſcopi fuerant. Alexander ſe abſolutum ab Epiſcopo Frederico, & ſuos Clericos aiebat: Archiepiſcopus non ſolùm Alexandrum

al. *Rupertus cujus præclara extant Opera.

& suos, sed & omnes qui erant capita Ecclesiæ sancti Lamberti pro excommunicatis se habere dicebat, exceptis his qui de obedientia & communione Episcopi Frederici adhuc extra civitatem erant. Tandem quærentibus quare; Archiepiscopus respondit, quia defuncto & sepulto Episcopo Frederico Ducem Lovaniensem in Capitulum vestrum & in Ecclesiam introduxistis, & cum eo immo per eum & propter eum electionem fecistis, cùm ab Apostolico & meipso & ab ipso vestro Episcopo Frederico fuisset excommunicatus, & necdum absolutus, & omnes cum eo qui persecuti fuerant Ecclesiam sub Episcopo Frederico. Hoc autem totum faciebat Archiepiscopus ut cùm ex hoc convicti satisfacerent, cassa esset eorum electio, quam cum excommunicatis & per excommunicatos & propter excommunicatos fecerant de Alexandro. Erant autem de illa contaminatione honestæ personæ Ecclesiæ Archidiaconus ALMANNUS, Archidiaconus HENRICUS, SEIFRIDUS Diaconus, STEPPO Archidiaconus, & multi alii majores atque minores. Cum Archiepiscopo erant de Ecclesia Leodiensi ANDREAS Majoris-domûs Præpositus, EMMO Archidiaconus, Magister scholarum STEPHANUS, vir vitæ venerabilis, REIMBOLDUS Præpositus sancti Iohannis, & alii nonnulli in Ecclesia boni testimonii cum Abbatibus. Quid multa? Tandem procedunt omnes coram Archiepiscopo, & petitam impetrant absolutionem. Alexander interrogatus ab Archiepiscopo obedientiam promittit manu sua in manu ejus sacrata posita. Archiepiscopus per sanctam ei præcipit obedientiam, ut ampliùs se non intromittat de Episcopatu; ille annuit. Et qui vidimus & audivimus hoc testificamur, sed die illa solutus est ille Conventus.

Archiepiscopus expertus in illo Conventu, quàm necessarius esset Ecclesiæ Abbas RODULFUS, gratissimè illum secum Coloniam reduxit, donec deliberaret quid de illo esset acturus, commendatum supradicto Roberto Abbati. Nec multa mora intercedente causa extitit, qua majores Ecclesiæ Coloniensis Archiepiscopum adierant

Præpositi, Decani, Cantores, Scholastici, necnon & Abbatum aliqui, quorum unus erat Tuitiensis Abbas ROBERTUS, qui ad illum Conventum secum duxit Abbatem Rodulfum. Aderat & Sigebergensis Abbas CONO primus, qui postea Ratisbonæ extitit Episcopus.

Apud illum decreverat Abbas Rodulfus se mansurum, quoniam locus erat famosæ religionis, & propter excelsum montem præter Monachos amandæ solitudinis, sed divina providentia aliter fieri de eo proposuerat. Ecce enim Fratres S. Pantaleonis adveniunt, & Archiepiscopi pedibus provoluti coram toto Conventu se post defunctum Abbatem suum HERIMANNUM jam novem mensibus pastore caruisse conqueruntur, religionem deperire, bona Ecclesiæ imminui. Archiepiscopus sine mora optionem dat eis eligendi, pars illum, alia elegerat alium. Fœda coram Archiepiscopo inter eos erat dissensio. Longo enim novem mensium spatio magis creverant partes quàm unanimitas crevisset. Ipse quoque Abbas RODULFUS pro nostri Ordinis reverentia, ut eos uniret, aut saltem disciplinatè loqui coram tanto Conventu faceret, se interposuit, & frustra laboravit. Archiepiscopus semel & secundò de concordia monuit eos, & locum dedit consulendi, deterioresque recepit. Quapropter consilio cum majoribus Ecclesiæ accepto, placuit in auribus omnium, ut providentiam illam Abbati Rodulfo committerent. Ille tale quid nihil unquam suspicatus, de benevolentia dominorum primùm gratias egit pronus in terram, deinde renisus est quantum ratione & auctoritate potuit & licuit: sed Decanus & Magister scholarum majoris Ecclesiæ EGEBERTUS (qui postea regularis factus Canonicus atque Monasteriensis est Episcopus) citò ei occurrit ex sententiis Canonum, cùm pro Romana communione pulsus esset à sede sua, & sancti Pantaleonis vacaret Abbatia. Cessit tandem, nihil tamen aliter nisi Fratrum loci illius consensu & electione hoc fieret; & unanimiter hoc factum est. Itaque mense Septembrio modicò ante Nativitatem sanctæ MARIÆ, sancti Pantaleonis Abbatiam ingressus est, introductus à majoribus

Rodulfus Auctor Chronici eligitur Abbas S. Pantaleonis.

Ecclesiæ

Ecclesiæ Coloniensis, & in festiva Fratrum & familiæ processione susceptus.

Ecclesia autem sancti Pantaleonis ex privilegio Romano antiquitus hoc habuisse dicebatur, ut Abbas loci illius sandaliis & dalmaticâ uteretur, vicésque ageret Archiepiscopi per civitatem in suis stationibus. Sed AMNO Archiepiscopus sandalia & dalmaticam prohibuit, vices verò suas agere per stationes concessit. Sic usque ad tempus Abbatis Rodulfi permansit, & quia erat homo pulcri, ut dicunt, *personatûs, & divino assistens officio decenter sonorus, frequentabant stationes quas agebat frequentissimè Coloniensis populus, matronarúmque plurium devotus Deo sexus. Clerus verò sine omni invidia solemne exhibebat ei obsequium, tanquam si haberet præ oculis ipsum Archiepiscopum.

Gal. d'un bel exterieur, seu d'une belle prestance.

In brevi & sine grandi labore dilapsum ordinem & violatam Fratrum concordiam pulcrè reformavit, peroptimámque virtutem puræ confessionis in Fratribus illis invenit, furtivarúmque & publicarum vigiliarum & orationum indefatigatam assiduitatem. Clausam immo seratam januam hospitalitati aperuit; domos dirutas atque deformes dignas ipsi Archiepiscopo hospitibus atque loci Abbati reparavit; nihil unquam passus mensæ Fratrum de statuto imminui. Inter vetus & novum centum & viginti carratæ vini Ecclesię illo anno provenerunt. In hospitibus & plurimùm Monachis & regularibus Canonicis multa expendebat, quippe quibus & jánua & mensa ejus semper patebat. Magni & etiam majores de Ecclesia S. Lamberti, qui propter Alexandrum adhuc erant extra Leodium, magnum apud eum frequenter habebant refugium, nunquam tamen egebat, quin magis semper abundabat; diligebatur à familia Ecclesiæ valde, eo quod tractabat eam honorificè,& Theutonicorum disciplinato more. Cum Iudæis frequenter lene habebat colloquium, non disceptando neque exprobrando, sed duritiam cordis eorum palpatu & fricatione qua opus erat emolliendo. Quamobrem ita amabatur ab eis, ut etiam mulieres eorum irent videre eum & alloqui.

Fluctuabat adhuc graviter Leodiensis Ecclesia, nec certam spem *designati rancoris habebat. Frater Ducis Godefridi Lovanii ADELBERO primicerius Metis jam nunc multis erat in ore & Iudæis; rumor & opinio de ipso magis accrescebat. Porro sub eo spatio temporis causa Imperatoris adeò cum Apostolico in pacem & concordiam rediit, ut cùm Imperator à prædicta excommunicatione absolveretur, ALEXANDER inolita sibi prurigine necdum deposita, sed lividis hydræ capitibus circa præcordia ejus anhelantibus, limas aureas atque argenteas præparat, quibus avarorum manus & animos ad satisfaciendum ambitioni suæ acuat. Lenitus esset ei talibus instrumentis asper ei priùs animus Episcopi Coloniensis Frederici, sed Rodulfus Abbas tunc S. Pantaleonis, cum auxilio Decani majoris domini Egeberti, & eorum qui erant de parte defuncti, spem vanam ambitiosi hominis prorsus exinanivit.

f. *depositi aut quid simile.

Itaque Alexander ubi sæpius experitur conatus suos frustrari, cœpta vel dissimulat vel omittit. Fit tandem de ALBERONE Leodii assensus, Imperatori præsentatur, dono Episcopali à manu ejus investitur, Coloniam consecrandus ducitur. Exhibent se ibi Fratres nostri Cœnobii videlicet S. Trudonis, Abbatémque suum repetunt auxilio Ecclesiæ Leodiensis. Advenerat quoque pro eo repetendo STEPHANUS dominus noster Metensis Episcopus. Grandis erat inter eos pro eo decertatio. Alii ut utrasque Abbatias haberet, alii ut illam S. Pantaleonis retineret. Neutrum illi placebat, animus ejus ad primam sponsam redire intendebat. Res eò processit, ut adhuc investitus S. Pantaleonis Abbatiâ ad nostram honorificè rediret, & liberè reinvestitus eâ de qua injustè exturbatus fuerat, atque securè possidens, deliberaret secum quid sibi meliùs esset : quod & ita factum est. Sacrato Episcopo ADELBERONE, cum eo rediit Leodium, refocillatúsque ibi pauculùm introductus est in Abbatiam & Cœnobium nostrum per HENRICUM Archidiaconum,





LIBER DVODECIMVS.

Dies quibus extra Abbatiam fuit Abbas Rodulfus fuerunt duo anni & menses quinque, intra quos Advocatus noster Gislebertus & filius ejus Otto redditibus Abbatiæ ad libitum suum abutebantur, neque solùm eis, sed quæ apud nos Episcopo quoque Metensi debentur: nec sacris etiam locis dignam exhibebat reverentiam, cùm in cella Abbatis quasi in propria domo manens, novæ nuptæ suæ commixtione juxta sacratæ telluris parietes filius non abstineret. Reverso autem Abbate post dies aliquot Pentecostes, atque cum occursu longè à villa multorum hominum & majori gloria cum processione suscepto quàm contumeliâ exivisset, Advocatus & filius ejus cella Abbatis abstinuerunt, & direptis sibi quæcumq; tunc poterant, futuris redditibus renunciaverunt Ira tamen eorum & indignatio & odium adversum Abbatem non erant pro hoc minorata, sed in occulto, ut ita dicam, ampliorata. Nam propter Episcopum Leodiensem Adelberonem qui eum diligebat & reverebatur, & de Colonia secum reduxerat, & ad locum nostrum remiserat, non erat quisquam eorum ausus, qui in manifesto ei adversaretur.

Itaque reversus multis modis dilapidatam invenit Ecclesiæ substantiam, & debitis & usuris graviter oppressam. De eis ergo quæ Deus ei foris dederat, & secum attulerat, & quotidie administrabat, communem Ecclesiæ anxietatem maximè de debitis & usuris relevabat. Nec multùm moratus, cellam quæ juxta majorem turrim pósita erat quasi leprosam habens exosam propter supradictorum cohabitationem, & quia vetustate corruptis atque fractis trabibus facili sumptu non poterat reparari fregit & funditus destruxit, juxta aliam quam ipse olim construxerat novam pro veteri construens congruam hospi-

tibus necessariis appendiciis, Capella quoque & viridariis, cujus lapides ad opus domûs dormitorii extraxit, & fundamento unius parietis versus orientem jacto, extra terram aliquantulùm anno illo eduxit. Habebat etiam & ob aliud exosam, quia apta fuerat olim recessibus profanorum qui de juncta illi sacra turre struxerant sibi bellicosum præsidium, quod & adhuc posse fieri sibi posterísque suis timebat. Pulsatus enim usque ad graves injurias & inimicitias per Advocatum Gislebertum aliquando fuerat, ut similiter in ea milites suos ponerent propter utriusque de villa securitatem, sicut cum eo fecerat Abbas Theodericus, & ante eum cum eodem Advocato oppidani suis vocibus, qua de re multa de ea turre evenerant mala, & in adjuncta & camminata perpetrata fuerant plurima flagitia. Ob hoc igitur eam fregit ut turris à modo minus apta esset seditiosorum munitioni, & domus Dei non profanaretur ampliùs ab eis.

Cúmque aliquando solus ibi sederet, & ærumnas præteritósque labores suos recogitaret, atque in inquietudine qua manebat locum deflendi peccata sua se habere non videret, cœpit valde tristari & mœstus esse, & de fuga & linquenda sibi patria cogitare. O quotiens cupido licet mœrenti revolvebat animo, si fortè unquam libere voci illi Domini ad Abraham posset obedire, *Egredere de terra tua & de cognatione tua.* Atque illud Psalmistæ veraciter psallere: *Elongavi fugiens & mansi in solitudine.* Intendebat ergo animum Romam ire, atque in itinere religiosorum virorum consilio quod intendebat si agendum esset peragere. Deinde ut perageret Apostolica firmari benedictione. Interea Alexander privatus & quietus sub Adelberone Episcopo timebat, honoribus contemptis quos priùs possederat. Incidit & illi in mente ut Romam pergeret, & de perturbationibus quas in Ecclesia fecerat, ultra communem absolutionem quam acceperat singularem sibi à summi Pontificis gratia impetraret. HONORIUS post CALIXTUM tunc Romæ præsidebat. Priùs verò reconciliati ipse & Abbas Rodulfus, peregrinationem suam per sanctum Ægidium aggressi sunt

(Marginal notes: Gen. 12. 1. — Psal. 54. 8.)

ſimul cum omni dilectione & bono affectu : cúmque emenſis Alpibus intraſſent Italiam, pervenerunt Hoſe, quæ Senis-villa dicitur alio nomine, una de nobilioribus civitatibus Tuſciæ, ubi cùm pernoctaſſent, mane egreſſi, inciderunt in prædones circa meridiem, & captivi abducti per devia perdiderunt omnia ſuæ peregrinationi neceſſaria. Vix tandem poſt magnum laborem, poſt multum timorem cum parviſſimis ſumptibus equos receperunt. Neque tamen à peregrinatione deſtiterunt.

Itaque Romam pervenientes cùm minùs conſolationis & compaſſionis quàm ſperarant, tam ſecundùm Deum quàm ſecundùm homines invenirent, ad ſanctorum Apoſtolorum limina, & aliorum multorum Sanctorum ſuffragia devotè ſe contulerunt ſatisfacientes votis ſuis lacrymis & precibus, prout erat unuſquiſque ſibi conſcius. Vbi cùm per aliquot dies morarentur, & de Apoſtolico & de his qui circa eum erant viderent & intelligerent quæ dicta ſibi domi credere non vellent, in diverſas animi partes ferebantur, plurimùm Rodulfus Abbas qui ſibi bene conſcius erat, pro quo terram egreſſus fuerat. Cúmque vigilans nocte aliquando jaceret, & die in Eccleſiis ſolus Romæ reſideret, diligenti cura & ſollicito retractabat animo, quæ peregrinationis ſuæ fuiſſet intentio, & de ea revelata religioſis viris quid in itinere didiciſſet ab eis. Sollicitabat etiam eum hoc non parum ad ea quæ cogitaverat ſi eſſent explenda, cuncta ei jam ſurrepta fuerant neceſſaria. Præterea terram ad quam ulteriùs diſpoſuerat peregrinari, audiebat pollutam eſſe inveterata hæreſi de Corpore & Sanguine Domini, ſed & de conſilio animæ ſuæ, & eorum qui ſibi fuerant commiſſi nihil aliud audierat à religioſis viris, niſi quod domi didicerat ex eccleſiaſtica diſciplina & libris communibus tam nobis quàm illis. Super hoc accreverat ei paſſio jamdudum in clune quam Phyſici ſolent ciaticam appellare, ea cùm greſſum ei perſtringeret, equitare etiam ſine continuo cruciatu non ſinebat.

Talibus à propoſito revocatus neceſſitatibus, ſalutatis

Sanctorum patrociniis & Apostolorum osculatis liminibus, acceptáque apostolica benedictione, intendebat cum prædicto socio repatriare. Cúmque ad supradictam urbem Hose redissent, omnia quæ sublata eis fuerant à prædonibus præter spem invenerunt sibi recollecta à suis hospitibus, & à cunctis urbis civibus. Magnum Dei & occultum judicium, ut Romam pervenirent pauperes & domum redirent divites. Quid moror? per multas animi tribulationes, per multas corporis passiones, per exitialia Montis-Iovis pericula recepit eos tandem civitas Basilea. Alexander inde remeavit eques per Burgundiam, Rodulfus naufragoso navigio usque prope Coloniam, quoniam propter supradictam passionem ferre non poterat juges equitationes.

Adelbero Leod. Epis. vita functus.

Alexander bis expulsus sedem occupare nititur.

Paulò post ADELBERO Leodiensis Episcopus in pace requievit; vir simplex & rectus, lenis, pudicus, sine avaritia, bonis moribus, nobilior nobilibus: statim malè sanata cicatrix veteris morbi ALEXANDRI, bis priùs effracta, tertiò jam erupit, & ad Episcopatum anhelans ut lupus ad dilapsam sibi prædam, omnem pudorem Deíque timorem postponere cœpit: sed quid melius tacenda quam maledicenda in auribus hominum proferre volumus? assecutus est quod voluit. Quomodò? Sicut Deus novit. Gladebach Cœnobio sancti Viti consecrationis ejus dies fuit; res mira ab Archiepiscopo Coloniensi FREDERICO, qui tanta in eum egerat anteà, ab illo imbutus antiquitùs vitiis avaritiæ subtrahere se non poterat à servitio idololatriæ per excercitium simoniæ; quapropter à suis Clericis agitatus ante Apostolicum HONORIUM Romam est invitatus. Tunc illi visum fuit utile Abbatem Rodulfum secum posse ducere. Abbas non recusat, neque tam propter eum quantum propter insitum ei adhuc prioris peregrinationis suæ desiderium imperfectum. Hyemalis tota fuit hæc profectio, atque idcirco víxque tolerabilis corpori humano. Itum tamen est. Romæ positis soporato nocte Abbati à furibus, & ut dicebant vicini, à proprio hospite ablatum est ei quod paraverat ad peregrinandum suæ antiquæ & novæ voluntati.

Decidit igitur ibi prorſus ab iterata intentione quam ſecundùm quod poterat conjicere putabat voluntatem Dei non eſſe.

Alexander infuſo ſibi ab Apoſtolico Honorio vino ſalubris increpationis & oleo paternæ commonitionis, domum cum Abbate Rodulfo repatriat, quem in omnibus poſtea reveretur & honorat. In reditu autem ſuo Nativitatem Domini Placentiæ celebraverunt, & increſcentibus hyemalibus periculis Auguſtam civitatem tranſeuntes ad villulam, quæ eſt in pede Montis-Iovis, quæ vocatur Reſtopolis cum dificultate morti proxima pervenerunt, ubi nec ante ire valentes, nec retrò propter altiſſimos nivium aggeres, Octavam Domini egerunt; & poſt aliquot dies præmonſtrata eis à præducibus maronibus difficillima via, (marones enim appellantur viarum præmonſtratores) ſubactis duobus miliariis Teutonicis ad S. Remigii villulam in ipſo Iovis-Monte pervenerunt. In quo loco tanquam in mortis faucibus coagulati manebãt nocte & die ſub periculo mortis & anguſtia: villula tota completa erat peregrinorum multitudine, ex altiſſimis & ſcopuloſis rupibus ruebant frequenter intolerabiles omni oppoſito nivium aggeres, ita ut aliis jam collocatis, aliis adhuc ſuperſedentibus menſis domos juxta eos prorſus obruerent, & inventos in eis quoſdam ſuffocarent, quoſdam contritos inutiles redderent.

Sub hac jugi morte aliquot dies in infauſta villula illa fecerunt. Tunc ſponte applicantes ſe peregrinis montis marones gravem indicunt eis mercedem ut tentatam viam aperirent, pedites peregrini eos ſequerentur, equi poſt illos; ſicque trita via planaretur dominis, qui delicatiores retrò venirent. Itaque marones capitibus propter nivium frigus filtro pileatis, manibus villosè chirothecatis, pedibus coturnis munitis atque ſubtus à planta ferreis aculeis propter lubricam glaciem armatis; haſtas longas ad palpandam ſub alta nive viam in manibus ferentes ſolitam audenter ingreſſi ſunt viam: ſummum mane erat atque cum ſummo timore & tremore ſancta myſteria peregrini celebrantes atque ſumentes, ad inſtantis

mortis ingressum se præparabant. Certabant, quis eorum prior Sacerdoti confessionem suam dare posset, & cum unus eis non sufficeret, passim per Ecclesiam invicem sua peccata confitebantur. Cúmque hæc in Ecclesia cum summa devotione agerentur, percrepuit per plateam luctuosissimus luctus, nam marones per ordinem de villa egressos, subitò lapsus rupibus instar montis densissimus nivis globus decem involvit, & usque ad inferni lacum visus est extulisse. Quibus hujus infausti mysterii aliqui conscii fuerant, præcipiti cursu ad hunc homicidam lacum velocissimè ruerant, & effosos marones alios exanimes in contis referebant, alios semivivos, alios contritis ossibus in manibus trahebant: illa maritum illa fratrem, ille & ille illum & illum se amisisse clamitabant. Tam horribili occursu peregrini exeuntes de Ecclesia exterriti paululùm hæsitaverunt, & idem timentes sibi futurum, quantociùs Restopolim refugerunt, de difficultate viæ nulla ut priùs quæstio, plana videbatur eis, pro effugiendo mortis periculo ibi acta Epiphania Domini, & expectato sereno aëre conductis maronibus mortiferam villulam repetunt, & timore mortis pedibus velocitatẽ præbente, die illa usque ad medium montis modò reptando modò ruendo vix tandem perveniunt. Sequenti die recepto aliquantulum spiritu profana Iovis sacra effugiunt, & ad patrium solum tendentes sine gravi difficultate perveniunt; sed Abbas non ita. Nam cùm propter asperitatem hyemis & difficultatem itineris, tum propter incommoditatem corporis contractis dictis lento vestigio est eos subsecutus, sed usque ad Primam non assecutus. Quapropter cùm parvo comitatu pertransisset Bisuntium civitatem metropolitanam Burgundiæ, à maligno tyranno exceptus est insidiis altera die, atque per nigosa & saltuosa devia fatigabiliter deductus & distractus tribus diebus, demum spoliatus necessariis, in itinere permissus est abire.

Iam igitur Roma secundò reversus, modicúmque ab itineris vexatione recreatus, necdum tamen requiescebat à priori desiderio, si fortè requiem quam extra patriam

quæsierat

quæsierat nec invenerat, in propria invenire valeret. Sed manus Domini antea super nos extenta, & necdum abbreviata, adjecit adhuc per solitum Angelum iræ suæ ministrum percutere locum nostrum, & commonefacere prævaricatores redire ad cor suum. Advocatum enim nostrum Comitem GISLEBERTUM & filium ejus OTTONEM...... * malo repleri permisit, & in omne quod erat contra jus & contra fas ad deprimendam Ecclesiæ familiam irrevocabiliter suscitavit. Commonitus humiliter ab Abbate Rodulfo, increpatus frequenter à Lemburgensi Duce domino suo GUALERANNO, proclamāte super eum domino nostro Metensi Episcopo STEPHANO pro pertinacia, pro contumacia abjudicatus est tandem legitimo judicio ab advocatia: & quia erat homo pertinacis animi & non multi consilii, contigit ei sub eisdem diebus culpis suis exigentibus, ut Comitatus & beneficium quæ habebat de Leodiensi Episcopatu, proclamante Episcopo Alexandro à paribus ei abjudicaretur. Quid faceret? vires quibus supradictis dominis resisteret non habebat, animositas eum quiescere non sinebat, seditionem movit in regno, scandalum in populo; contulit ergo se ad Exducem Lovaniensem GODEFRIDUM, regni & Imperatoris inimicum propter Ducatum qui abjudicatus fuerat illi & datus Gualeranno Lemburgensi Comiti Advocato nostro majori. Calamitas hujus dissensionis ex majori parte Ecclesiæ nostræ incubuit. Quæcumque ex nostris subjacebant Advocato & Exduci aut cremata, aut vastata aut servientia erant illi & suis; quantò erant nobis viciniores tantò & infestiores. Solùm restabat nobis oppidum & Cœnobium, in quibus non audebant adhuc profanas ponere manus. Erat autem Advocati permaxima intentio, ut quia sine omni munitione erat oppidum nostrum, vires suas & Lovaniensium in ipsum introduceret, & oppidanos hospitii dissipatione gravatos postremò captivos abduceret. Sed prouidentia Abbatis malignitatem ejus prudenti consilio avertit. Egit enim apud dominum suum Metensem Episcopum Stephanum, quòd Alexander Episcopus Leodiensis nostram Abbatiam & oppidum sub

* f. spiritu.

patrocinio ſuo ſuſcépit. Iuraverúntque ſibi invicem fidem, conſilium & auxilium Epiſcopales & oppidani: quâ fiduciâ renovare cœperunt foſſati vetuſtatem, firmaverúntque qualem in plano terra noſtra nunquam habuit munitionem.

Quamobrem creſcebat vehementiſſimè in majus & majus malum diſſenſio, hinc furente Lovanienſi Exduce, hinc Comite Giſleberto. Monachorum & Clericorũ ſubſtantiis tam in villis quàm in Eccleſiis nunquam parcebant; omnem ſexum, omnem ætatem, omnem ordinem captivantes, diris cruciatibus uſque ad mortem pro redemptione examinabant. His aliiſque culpis exigentibus excommunicatus Lovanienſis Exdux & Comes Giſlebertus cum ſuis omnibus.

Obſidetur poſt hæc Durachium ab Epiſcopo Leodienſi ALEXANDRO & Duce Lemburgenſe GUALERANNO: ad quod liberandum movit exercitum Lovanienſis dominus GODEFRIDUS, & cum eo Flandrenſis Comes THEODERICUS. Durum commiſſum eſt prælium, ante ipſum pugnatum eſt acriter: Victi fugerunt Lovanienſis & Flandrenſis Comites. Ceciderunt in iſto prælio, ex hoſtibus pluſquàm quadringenti homines. Rediit circa caſtellum obſidio. Sed diu teneri non potuit propter inſtantem meſſem in Auguſto. Soluta eſt ergo: ſed tyrannorum permanſit diſſolutio in igne & gladio. Sub tali calamitate & anguſtia licet de victu & veſtitu multùm attenuata eſſet Fratrum ſubſtantia, ut pote qui tribus annis ſubjacuerant hujuſmodi paſſioni, tamen ob hoc nec diſciplina eorum tepuit nec numerus decrevit.

Cùm autem complacuit ei in cujus manu ſunt omnium poteſtates & omnia jura regnorum, & qui conturbat profundum maris & mitigat cùm voluerit, dixit *Angelo percutienti, ceſſet jam manus tua, ut non deſoletur terra*, & ſtatim facta eſt tranquillitas magna: nam Lovanienſis & Durachienſis domini, & qui cum eis erant excommunicati Leodium venerunt, & Eccleſiaſticam facientes ſatisfactionem abſolutionem acceperunt, & emendationem promiſerunt. Itaque ceſſavit terra à bellis: jámque

2. Reg. 24. 16.

facta secunda crematione & vastatione Abbatiæ nostræ à Lovaniense Principe, prima propter Advocatum nostrum Comitem GISLEBERTUM, tunc ei adversantem propter Imperatorem HENRICUM quartum: secunda verò nihilominus propter ipsum nobis adversantem & ei confœderatum; maxima sollicitudo incumbebat nobis de reparandis Ecclesiis nostris combustis, molendinis, villis dominicalibus, sicut vulneratis in bello de curandis domi eorum vulneribus; inter quæ maxima & continua mala intolerabiliter afficiebatur Abbas RODULFUS cùm animi vexatione tum corporis pro ciatica passione, quæ ita ei totum clunem occupaverat, ut equo aut pede modicum valeret progredi. Itaq; infirmitati suæ commodam & religiosè vivere volenti congruam ędificavit sibi cellulam versus aquilonariam partem, juxta occidentalem Monasterii absidem aperientem ostium in oratorium cryptæ chorôque vicinum, votôque ei fuerat altare consecrare in honore sanctæ MARIÆ Matris Domini nostri IESU Christi & sancti Basilii Episcopi; quia beata Dei Genitrix sempérque virgo Domina nostra MARIA nullum speciale Oratorium habebat in nostra Ecclesia. Sed medicinalis manus Domini quæ ab antiquo non consuevit corpus Ecclesiæ nostræ absque vexatione relinquere, adjecit quoque ad caput nostrum se misericorditer apponere, & passionem ciaticam transfudit in paralyticam.

Mense Martio ordinationis suæ anno XXV. XV. Calendas Aprilis feria VI. diebus sanctæ Quadragesimæ sedebat Abbas Rodulfus ad mensam cum Fratribus in Refectorio, ea ipsa die dederat Fratribus generale* de pisce solvens abstinentiam pro humana compassione; ubi inter prandium allatæ sunt ei palustres anguillæ veru assatæ, atque subinde majores aliæ herbis primogenitis in pulmento cônfectæ, de quibus cùm comedisset, & aviditatem sentiens abjecisset, apposuit manum ad poma quæ erant in cypho ante eum vino infusa, quibus ad modicum gustatis statim sinistra manus cœpit ei quasi plumbum aggravari, & momentaneis viribus interdum levari, angulus quoque labiorum in eadem parte quasi emori, & lin-

*Id est, *portionem, sive, ferculum.*

gua minùs solita facilitate uti. Territus valde, tamen lectionis finem non fecit, sed peracto prandio cum Fratribus gratias peragens, ad occidentalem cellam sine aliquo dolore, sed cum multo timore declinavit pro eo quod acciderat ei. Ibi cum suis familiaribus conferens de eo quod contigerat ei in refectorio, gratias Deo agebat, qui se evasisse cùm non evasisset, putabat. Nam post collationes Fratrum sensit paulatim obstupescere crus sinistrum ita ut sine adminiculo non fuisset ausus ire ad lectum: circa mediam noctem cùm evigilasset, omni officio cruris, & sinistri brachii privatus est inventus. Cúmque de officio linguæ & sensus integritate vehementer pavitaret, Fratrum orationibus devotissimè se commendabat, ut ei linguam ad confitendum & sensum ad recognoscendum Deus ei conservaret: quod & Dei clementia ei concessit. Eodem anno circa autumnum dolori huic paterna manus eum corripiens tantum languorem adjecit, ut à medicis desperaretur, & vix figmentum hominis prætendere videretur, & ut ipse inferre solebat, nocte festivitatis sancti Michaëlis tanta passione attritus fuit, quasi qui Angelorum aspectum peccando offenderat, si Angelicis verberibus puniretur.

Postquam de illa infirmitate vix evasit, & de paralysi tantũ meliorari cœpit ut bacillo inixus ambulare utcunque valeret, & Conventum Fratrum, Chorum, Capitulum interdum intrare, studiosissimè admonebat Fratres de observanda religione, de avertenda ab eis iræ Dei indignatione, fecit & sibi basternam fieri, qua ad usus Ecclesiæ quo vellet commodè valeret provehi, apposuit animum & studium ad informandum de muro claustrum, & sequenti anno aperiens turrim ante Conventum de parvo priùs fecit arcum, ut nunc apparet, magnum mutans templi introïtum ad dexteram manum, & in obturato priori introitu faciens depingi sanctæ Dei genitricis imaginem, ut haberet ab introeuntibus & exeuntibus dignam venerationem. Perduxit etiam murum dormitorii ad trabes ex utraque parte, & murum Refectorii ex una vicinum coquinæ muro, & signato exitu de Claustro Capi-

tulum quoque ordinavit tribus parietibus, juxta quartum templi habens arcum ad introeundum, & duas fenestras ad illuminandum cum arcuatis columnis: murum Claustri super quem stare debet columnæ, ab uno capite Conventus usque ad aliud in circuitu ab alto fundamento usque ad ponendas columnas evexit; pilariisque per circuitum erectis, locum columnarum distantium signavit, atque simul locum quem ad lavandas manus debet habere Conventus Fratrum. Iámque ex parte trabes excisæ jacebant in silva, quibus dormitorii desuper & officinarum deorsum compaginaret structuram. Cúmque ad hanc Abbas sollicitaret officiatos, & sollicitarentur à Fratribus, suscitavit Deus nescio quota vice super nos Angelum sathanæ, & ut operis impedimento nos contristaret, & substantiæ detrimento nostra peccata puniret; adhuc enim manus ejus extensa super nos, & ira non erat aversa, provenientia sub hac occasione.

Est genus mercenariorum, quorum officium est ex lino & lana texere telas, hoc procax & superbum super alios mercenarios vulgo reputatur, ad quorum procacitatem & superbiam humiliandam & propriam injuriam de eis ulciscendam, pauper quidam rusticus ex villa nomine Inda hanc diabolicã excogitavit technam. Accepta à Iudicibus fiducia, & à levibus hominibus auxilio qui gaudent jocis & novitatibus, in proxima silva navim composuit, & eam rotis suppositis affigens, vehibilem super terram effecit, obtinuit quoque à potestatibus, ut injectis funibus textorum humeris ex Indá Aquisgranum traheretur aquis, suscepta cum utriusque sexus grandi hominum processione: nihilominus à textoribus Trajectum est provecta, ibi emendata, malo velóque insignita Tungris est inducta, de Tungris Los. Audiens Abbas Rodulfus navim illam infausto omine compactam, maláque solutam alite cum hujusmodi gentilitatis studio nostro oppido adventare, præsago spiritu hominibus prædicabat, ut ejus susceptione abstinerent, quia maligni spiritus sub hac ludificatione in ea traherentur, in proximóque seditio per eam moveretur, unde cædes, incendia, rapinæque

fierent, & humanus sanguis multus funderetur: quem ista declamantem omnibus diebus, quibus malignorum spirituum illud simulacrum loci morabatur, oppidani nostri audire noluerunt, sed eo studio & gaudio excipientes quo perituri Trojani fatalem equum in medio fori sui dedicaverunt, statímque proscriptionis sententiam accipiunt villæ textores, qui ad profanas hujus simulacri excubias venirent tardiores. Pape: quis vidit unquam tantam (ut ita liceat latinisare) in rationalibus animalibus brutitatem? Quis tantam in renatis in Christo gentilitatem? Cogebant sententiâ proscriptionis textores, nocte & die navim stipare omni armaturę genere, sollicitásque ei excubias nocte & die continuare. Mirúmque fuit, quòd non cogebant eos ante navim Neptuno hostias immolare, de cujus naves esse solent regione, sed Neptunus eas Marti reservabat, cui de humanis carnibus fieri volebat, quod postea multipliciter factum est.

Textores interim occulto sed præcordiali gemitu Deum justum judicem super eos vindicem invocabant, qui ad hanc ignominiã eos detrudebãt, cùm juxta rectam vitam antiquorũ Christianorum & Apostolicorũ virorum manuum suarũ laboribus viverẽt, nocte & die operantes unde alerentur & vestirentur, liberísq; suis idipsum providerẽt. Quærebant & conquerebantur ad invicem lacrymabiliter unde illis magis quàm aliis mercenariis hæc ignominia, & vis contumeliosa, cùm inter Christianos alia plura essent officia suo multùm aspernabiliora, cùm tamen nullũ dicerent aspernabile de quo Christianus posset se sine peccato conducere, illúdque solum esset vitabile & ignobile quod immunditiam peccati contraheret animæ, meliórque sit rusticus textor & pauper, quàm exactor orphanorum & spoliator viduarum urbanus & nobilis judex. Cúmque hæc & eorum similia secum, ut dixi, lacrymabiliter conquererentur, concrepabant ante illud nescio cujus potiùs dicam Bacchi an Veneris, Neptuni sive Martis, sed ut veriùs dicam, ante omnium malignorum spirituum execrabile domicilium, genera diversorum musicorum, turpia cantica & religioni Christianæ indi-

gna concinentium. Sancitum quoque erat à Iudicibus, ut præter textores, quicumque ad tactum navi appropinquarent, pignus de collo eorum ereptum textoribus relinquerent, nisi se ad libitum redimerent. Sed quid faciam? loquárne an sileam? utinam spiritus mendacii stillaret de labiis meis: sub fugitiva adhuc luce diei imminente luna matronarum catervæ abjecto femineo pudore audientes strepitum hujus vanitatis, sparsis capillis de stratis suis exiliebant, aliæ seminudæ, aliæ simplici tantùm clamide circumdatæ, chorósque ducentibus circa navim impudenter irrumpendo se admiscebant. Videres ibi aliquando mille hominum animas sexus utriusque prodigiosum & infaustum celeusma usque ad noctis medium celebrare. Quando verò execrabilis illa chorea rumpebatur, emisso ingenti clamore vocum inconditarum sexus uterque hac illácque bacchando ferebatur; quæ tunc videres agere, nostrum est tacere & deflere, quibus modò contingit graviter luere. Istis tam nefandis factis plusquàm duodecim diebus supradicto ritu celebratis conferebant simul oppidani quid agerent amodò de deducenda scilicet navi.

Qui sanioris erant consilii, & qui eam susceptam fuisse dolebant, timentes Deum pro his quæ facta viderant & audierant, & sibi pro his futura conjiciebant, hortabantur ut comburatur, aut isto vel illo modo de medio tolleretur; sed stulta quorumdam cæcitas huic salubri consilio contumeliosè renitebatur. Nam maligni spiritus qui in ea ferebantur disseminaverant in populo, quod locus ille inhabitantes probroso nomine ampliùs notaretur, apud quos remansisse inveniretur. Deducendam igitur eam ad villam quæ juxta nos est Leugues decreverunt. Interea Lovaniensis dominus audiens de dæmonioso navis illius ridiculo, instructúsque à religiosis viris terræ suæ de illo vitando & terræ suæ arcendo monstro, gratiam suam & amicitiam suam mandat oppidanis nostris, commonefaciens eos humiliter, ut pacem illam, quæ inter illos & se erat reformata & sacramentis confirmata, non

infringerent, & inde præcipuè illud diaboli ludibrium viciniæ suæ inferrent: quòd si ludum esse dicerent, quærerent alium, cum quo inde luderent. Quòd si ultra hoc mandatum committerent, pacem prædictam in eum infringerent, & ipse vindictam in eos ferro & igne exequeretur. Idipsum mandaverat Durachiensibus dominis qui & homines ejus fuerant manuatim, & interpositis sacramentis & obsidibus datis sibi confederati. Hoc cùm jam tertio fecisset, spretus est tam ab oppidanis nostris quàm Durachiensibus dominis. Nam propter peccata inhabitantium volebat Dominus mittere super locum nostrum ignem & arma Lovaniensium. Ad hanc igitur plebeiam fatuitatem adjunxit se Comes GISLEBERTUS contra generis sui nobilitatem, trahendámque decrevit navem illam terream usque Leugues ultra Durachiensem villam, quod & fecit malo nostro omine cum omni oppidanorum nostrorum multitudine & ingenti debacchantium vociferatione, Leuguenses oppidanis nostris prudentiores, & Lovaniensis domini mandatis obsequentes portas suas clauserunt, & infausti ominis monstrum intrare non permiserunt.

Lovaniensis autem dominus precum suarum & mandatorum contemptum nolens esse inultum, diem constituit Comitibus tanquam suis hominibus, qui neque ad primum neque ad secundum, sed nec ad tertium venire voluerunt. Eduxit ergo contra eos & contra nos multorum multitudinis exercitum armatorum tam peditum quàm militum. Nostro igitur oppido seposito tanquam firmius munito, & bellicosorum hominum pleno, primum impetum in Durachienses fecit, quibus viriliter resistentibus, castellum nescio quare cùm posset non obsedit, sed inter Leugues & Durachium pernoctavit. Cúmque sequenti die exercitum applicare disponeret, & ex quatuor partibus assultum faceret, habebat enim ingentem multitudinem, supervenit ADELBERO Metensium Primicerius filiorum Lovaniensis domini avunculus, cujus interventu quia Comitissa Durachiensis erat soror

ejus,

ejus, & Durachiense erat castellum sancti Lamberti, Lovaniensis dominus ab impugnatione cessavit, & ab obsidione se amovit, promisso ei quòd Durachienses paulò pòst ei ad justitiam suam educerentur, & cùm ista & alia de dominis & inter dominos tractarentur; pedites & milites per omnia nostra circumjacentia se diffuderunt, villas nostras, Ecclesias, molendina & quæcumque occurrebant combustioni & perditioni tradentes, recedentes verò quæ longè à nobis fuerant prout cuique adjacebant inter se diviserunt.

Vastata est tempore illo Abbatia, & direpta omnia Fratribus necessaria. Vastatio ista fuit quarta, quas infra viginti sex annos fecit Lovaniensis dominus. Prima propter Comitem GISLEBERTUM diffidentem ab eo propter Imperatorem Henricum quartum; secunda cum eo propter ALEXANDRUM postea Leodiensem Episcopum; tertia quando pugnatum est ante Durachium nihilominus propter ipsum; quarta quando inter eos est fœdus ruptum, propter terrestris navis malignum adventum, dominus iste grandis. Vastationes factæ sunt propter Comitem Gislebertum, aut per eum, aut cum eo, exceptis innumeris minutis quæ facere nunquam cessavit.

Isto fere anno quid nobis per Abbatem RODULFUM acciderit necessarium sciens fore posteris nostris, tenaci memoriæ scripto mandare curavi. Homo quidam HEZELO nomine defunctus Dapifer Abbatum sub quibus consenuerat. Hic dum adhuc viveret, & dominis suis placere familiari servitio sciret, familiaritate & calliditate sua effecit, quod de mensa Fratrum partem culturæ juxta oppidum nostrum, & partes duas culturæ Vtstades necnon & molendinum de Coetim, quod solvit omni anno viginti quatuor modios suo feodo attraxit. Mortuus est tandem sine liberis relicto usufructuario suæ uxori, sicut ei firmaverat ante Abbates & coram Paribus suis. Surrexit autem filius fratris ejus post eum ARNULFUS nomine, volens quod avunculus tenuerat justè & injustè feodali & hereditario jure possidere, patronum inde ha-

bebat Advocatum nostrum Comitem GISLEBERTUM & potentiores qui de Paribus habebantur. Longa inter hunc Arnulfum & Abbatem Rodulfum fuit decertatio. Ille Abbatem urgebat falsis sed verisimilibus conditionibus, & Advocati violentiâ, de cujus erat familia. Abbas qui erat satis legis peritus, excludebat eum legibus & veris assertionibus, non solùm quæ avunculus occupaverat de mensa Fratrum, sed & à feodo quod possederat legitimum. Quid multa? res tandem eò processit, quòd molendinum & culturam Arnulfus exfestucavit, & abjudicatum ei coram Paribus fuit, & quod ad dapiferi ministerium pertinebat obtinuit. Molendinum verò & culturæ post mortem supradictæ uxoris nomine ENGELBERTÆ, judicata sunt ad mensam Fratrum redire. Molendinum eo tempore solvebat viginti quatuor modios annonę commixtæ Leodiensis mensuræ, & modium frumenti & duos solidos. Acta sunt hæc solemniter publicè præsente GISLEBERTO Advocato & Comite, & RODULFO Abbate, testibus Paribus Ecclesiæ ARNULFO & EVERALDO.



****

LIBER DECIMVS-TERTIVS.

DILIGENTIÙS igitur exarare volentes statutam antiquitùs præbendam Fratrum usque ad desolationem loci, propter Abbatum contentiones, & propter multimodas bellorum varietates, sic incipiamus. Mensæ Fratrum panis quotidianus quinque marcis Coloniensis ponderis appenditur, pulcher & albus, de spelta maximè & de excusso primæ farinæ flore effectus: puerorum panis quatuor marcis, sed ejusdem pulchritudinis. Portio cervisiæ unicuique Fratrum, cervisiæ inquam qualem nulla alia Cœnobia habent, usque inter prandium & cœnam sextarius vinarius. Die dominica & feria tertia atque quinta inter tres Fratres sextarius vini; sabbatho ad mandatum inter quatuor: sed cùm venisset ad nos usus Cluniacensium qui multa sobrietate mandatum suum faciunt, sextam partem sextarii de vino in prandio accepimus, & de cetero more Cluniacensium mandatum explevimus. Iuvenibus verò Fratribus nunquam dabatur vinum, nisi ab Abbate vel Priore eis dare præciperetur, & tunc quoque parciùs feriâ secundâ, feriâ quartâ, feriâ sextâ. Si talis eveniebat festivitas, nihilominus inter tres Fratres sextarius vini dabatur. Habebant etiam Fratres quotidie legumen diebus quibus comedebatur, confectum sagimine, similiter & olus tribus in hebdomada diebus. Ab Assumptione verò sanctæ MARIÆ quotidie usque *Circumdederunt me**, quando vaccina caro comedebatur pinguedine carnis olera abundè condiebantur. Sed & scutellæ tam leguminum quàm olerum magnæ & bene refertæ habebantur à festivitate sancti Remigii usque ad Octavas Pentecostes. Præpositus de Testebant inter duo leguminum videlicet & olerum fercula piscem quotidie dabat; scilicet aut magnos lucios, aut anchoram sive salmonem, vel halec recentia, de halec recentibus unicuique Fratrum quinque dabantur, de anchorao* tanta por-

* Introïtus Missæ in Dominica Septuagesimæ.

f. * anchoragine.

tio quanta palmæ hominis latitudo pollice juxta eam complicato. Portiones verò lucii & salmonis minores erant, quia carior est piscis & spissior. Quòd si alii pisces interveniebant, recta compensatio inde fiebat.

Quia verò jugis & antiqua querela semper erat de piscibus inter nos, qui de Testebant adducebantur, eo quòd nimis essent salsi, aut interdum putidi aut putridi, aliquando etiam quia nec qualescumque poterant propter hyemem inveniri, & unius rei quotidiano usu Fratres fastidio graviter afficiebantur, ordinaverunt Abbas Theodericus & Prior tunc temporis Rodulfus, ut fierent vicissitudines, scilicet aut daretur piscis cùm posset inveniri & sanus haberi, & cùm non posset hoc fieri, commutaretur sive de frixis sagimine ovis, sive de artocreis, aliquando de caseo & ovis.

Præpositus de Hasbania quamdiu alius serviebat, cœnam omni nocte dabat, scilicet quatuor ova unicuique Fratrum, aut dimidium caseum, seu poma vel alium fructum. Et illud non est obliviscendum, quia si infra istos dies sive intra totum annum dies jejunii eveniret, debitum cœnæ Præpositus de Hasbania non subtrahebat, sed prandentibus Fratribus dabat quod concedi die illa poterat. Sed à festivitate sancti Remigii usque ad Octavas Pentecostes omnibus festivitatibus quibus Fratres in albis erant, Præpositus Hasbaniæ pro ferculo leguminis juscellum commutabat confectum vino, ovis & sagimine, dabátque unicuique Fratrum recentis piscis portionem bonam, atque similiter in artocreas quæ jure antiquo continere debent quinque ova & caseum. Nunquam propter hoc subtracta portione de Testebant. In nocte festivitatis sancti Remigii & sancti Trudonis idem ipse Præpositus dabat Fratribus ad cœnam inter quatuor vini sextarium, etiamsi contingeret eis ea ipsa die inter tres habere ad prandium. Die festivitatis sancti Remigii, & die festivitatis sancti Trudonis cum quotidiano Fratrum pane dabatur inter duos simila appendens quatuor marcas, & primum ferculum in mensa erat, quæ vocari potest carpeia de sicco pisce, eo quòd minutatum car

peretur, & minutatum cum ovis concisis cum pipere superaspergeretur. Secundum ferculum idem Hasbaniensis Præpositus de salmone recenti aqua cocto & piperato. Tertium ferculum de eodem genere assatum, & nihilominus piperatum interea & alios assatos pisces qui afferebantur de Mosa, quos poëticâ licentiâ vocare possumus roceas & bardos. Præterea inter duos & duos Fratres pictancias partim de luciis farsitis, partim de dorsis salmonum, & ovis eorum piperatis, postremò artocreas. Quid multa? multorum piscium multa erat copia.

Cúmque sic per intervalla festivitatum cum Præposito de Testebant Præpositus Hasbaniensis serviret, tamen omni tempore minutis Fratribus quatuor ova ad jentacula procurabat, & quatuor ad cœnam, & carnes in infirmaria, si tamen in curti erant aut in lardario inde sumebant quantum expediebat: ab Octavis Pentecostes usque ad festivitatem sancti Remigii Præpositus de Testebant cessabat, & Præpositus Hasbaniensis omni die serviebat. Die Dominica, & secunda feria & quarta & sexta dabantur scutellæ refertæ bonis piscibus unicuique Fratrum, quantum aliàs inter tres aut duos divideretur.

Frequentissimè magnæ portiones strutionum tempore quo lampadæ* in usu sunt inter duos una, sed & crassus piscis quæ balena dicitur frequenter abundè ministrabatur. Tertia feria, sexta & sabbatho supradicti temporis intervallo inter legumen & olus ad prandium unicuique Fratrum quinque ova & dimidius caseus dabatur, ad cœnam quatuor ova aut dimidius caseus, & propter hoc minutis diebus de supradictis ovis nihil subtrahebatur. Ipsi quoque minuti quartam partem sextarii vini tribus diebus pro minutione sua accipiebant, quamvis aliqui dierum illorum de communi justitia tertiam partem haberent ad prandium. Diebus Rogationum habebant Fratres ad mensam unusquisque placentam cum portione sui piscis. Die palmarum commutabatur legumen pro faba trita, & in Cœna Domini similiter & in sabbatho sancto, quatuor diebus Nativitatis Domini Paschæ & Penteco-

f. * lampetra, murana.

ſtes ad prandium duas portiones piſcis, unam de Teſtebant, aliam de Haſbania, & ad cœnam prima die placentam cum brachiolo, minorem tamen quam in diebus Rogationum. A Paſcha uſque ad Octavas Pentecoſtes omnibus diebus quibus Fratres ſunt in albis dabat Præpoſitus Haſbanienſis juſcellum & portionem piſcis cum illa de Teſtebant, & tanacetum quod quinque ovis conficiebatur, aut pro tanaceto porratam bene ovis & ſagimine confectam: ab Octava Pentecoſtes in antea eo loco artocreas.

Panis qui dabatur ad cellam Abbatis in ea famulantibus & in curti ſervientibus, & omnibus ſupervenientibus hoſpitibus de communi accipiebatur in cellerario Fratrum, ſimiliter cerviſia & vinum per manus villici qui erat ſuper curtim: pabulum & cibarium equorum diſtribuebat Mariſcalcus de horreo & granario, tam domeſticis quàm hoſpitibus: nam Cellerarius Fratrum ea tantùm accipiebat & diſpenſabat quæ Fratrum erant. De annona verò & de cerviſia & de vino nihil habebat Abbas ſingulare præter cenſum quarumdam villularum & Eccleſiarum & molendinorum. De eo procurabat menſæ ſuæ in cella & obſequentibus ſibi, & hoſpitibus tam parvis quàm magnis, & tria ſervitia in anno Epiſcopo Metenſi, quorum redemptio ſex marcæ, & ea quæ pertinent ad reſtauranda Clauſtri ædificia.

Habebant Fratres ad veſtimenta ſua ſinguli in anno ſingulas pelliceas novas, duas ſtamineas novas, coturnos novos, quatuor calceos novos, nocturnales & diurnales, & portionem magnam unde ungebantur; & inter duas vices octo pedules; cucullam & tunicam, brachas & caligas, & cetera quoties & quando indigebant. Hæc & alia quæ ſupradiximus unde venirent villæ erant quas hîc nominabimus.

In Teſtebant, in villa Alburch ea quæ habere videmur cum Eccleſia & appendiciis villicationis illius, in villa de Pelte, &c.*

*Sic in Mſ. apographo.

Idcirco quoque à noſtris antiquioribus cum pace & opulentia & religione Eccleſia noſtra floreret, quòd Elte

villa magna & Ecclesia ejus nostra fuisset, quæ non longè à Trajecto super Mosam posita est. Fructus verò altaris ad sepulcrum beati Trudonis per multa tempora tantus erat & quotidianus, quòd, si nihil esset aliud, solus sufficere posset totius Ecclesiæ necessitatibus, qua fiducia præsumptuosa Abbatum temeritas & temeraria præsumptio multa detraxit de substantia Fratrum beneficiando, & de custodia quidquid pertinebat ad Monasterii limitem* & ædificium. Similiter censum & prædium* quod pro defunctis dabatur, vel datum erat ad eleëmosynam Fratrum beneficiabant suis ad libitum. Quo tempore eleëmosyna pauperum ita annihilata fuit, quod ad eam pertinuisset quòd nec in memoria relictum sit. Sed & in præpositura de Testebant octo Capellas per negligentiam Abbatum Ecclesia nostra perdidit, quæ serviebant Fratrum stipendiis. Accrescentibus verò malis per contentiones Abbatum & inquietudines Monachorum, multa de præbenda Fratrum per negligentiam deperierunt, multa in beneficiis data sunt, multa à villicis usurpata per mendacium.

f. * utilitatem.
f. * pretium.

Præterea damnum grande & irrecuperabile increvit istis diebus Ecclesiæ; nam familia ejus, quæ multùm imminuta est hodie propter oppressiones Advocatorum, & turbines bellorum, ampla quõdam erat valdè & diffusa longè latéque, cujus plurima pars vivebat sub hac lege. Masculus duodecim denarios solvebat singulis annis de censu sui capitis, femina sex; quidam alius legis duos denarios, quidam quatuor. Masculus istarum conditionum quocumque moreretur sive sub nostro jure sive sub alieno, si necdum conjugatus erat, debebat Ecclesiæ quasi suæ heredi quidquid in omni substantia supererat ei; si fuerat conjugatus, & non cum sua compare, hoc est quæ non esset ancilla nostræ Ecclesiæ debebat dimidium suæ substantiæ: similiter & femina, excepto quòd de quocumque coujuge essent ei liberi, non dabat Ecclesiæ, nisi quod melius videbatur habere in omni sua mobili re. Masculus si esset cum sua compare conjugatus, dabat de suis vestimentis quod erat melius: quod si haberet censualem

terram & servilem, de terra dabat Præpositis ad curtim bovem, & de capite suo vel alium, vel rem quam habebat meliorem. Ita quoque fiebat si parefridi superessent. Fructus iste copiosus & valde commodus fuerat olim Præpositis & Abbati nostræ Ecclesiæ, antequàm propter bellorum inundationes & Advocatorum infestationes, & villicorum infidelitates, & nostra exulando minueretur familia, & remanentium attenuaretur substantia. Magistris verò censûs capitum partim consentientibus, partim exhortantibus propter uxores quas de hujus legis conditione duxerant, ad hoc paulatim quidam prorupe-runt, & innumerabiles in hoc ipsum protraxerunt, quod censum duodecim denariorum ad unum protrahere volunt; & cetera debita eorum ad duodecim post mortem ipsorum. Sed & ubicumque in aliena moriantur justitia præter duodecim denarios omnia nobis negantur debita. Qui autem confitentur & solvere se velle dicunt debita, communicato cum villicis fraudis suæ & dolositatis commento, post mortem alicujus vestem aliquam prætendunt villissimam & discissam, aut ovem claudam, vel scropham languidam, & accepto sacramento quòd mortui aliquid melius non habuerint, si permittitur sine omni timore Dei jurant, immo pejerant, aut à villicis eis condonatur, ut injurati discedant. Sic & sic & multis modis aliis sublatus est fructus antiquæ commoditatis. Fructus etiam altaris ad sepulcrum B. Trudonis qui inestimabilis olim fuerat, & de quo Ecclesia omnes incommoditates suas antiquitus emendabat, vix modò confert unde Ecclesia debitum luminare habeat. Quapropter tantis incommoditatibus, tantis defectibus simul concurrentibus nemo miretur, si intus sit præbenda attenuata, cùm exteriùs sit substantia sic & multo ampliùs quàm dixerim attenuata.



CHRONICON



CHRONICON VALCIODORENSIS COENOBII, ORDINIS S. BENEDICTI.

Vulgò Vuasor, sive, Vasor, in Diœcesi Leodiensi.

CVM summæ nobilitatis sublimis magnificentia æterni Regis procul dubio devota servitus comprobetur, & æqualiter servi sive liberi cœlestis doni præmium secundùm suæ quantitatis meritum accipiant, & gloria patris filius sapiens sit: operæ pretium rati sumus ostendere, Valciodorensis Ecclesiæ structor egregius Comes EILBERTUS quibus sit progenitus parentibus, atque secundùm sæculi dignitatem ejus genealogia quàm alto sanguine claruerit. Ejus itaque pater Comes EBROINUS fuit, vir armis strenuus. Hic armis strenuus & omni honestate, industria sua & virtute multa acquirens, filiam WIDERICI Comitis & ejus uxoris EVÆ, quæ in nominis acquisitione BERTA nuncupabatur, sumpsit in conjugium; cum ea accipiens dante ipso genitore atque genitrice Florinas, & quidquid ad eumdem pagum Florinensem pertinet.

Interea ob virtutis ejus potentiam & armorum strenuitatem, & industrii pectoris sagacitatem, sicut illustri viro & venerabili Romanæ magnificentiæ Rex LUDOVICUS ex prosapia Caroli Magni ultimus*, volens honorare dignis muneribus, tradidit ei sub regalibus testamentis villas suæ ditioni subjectas duas, quæ propter dignitatem honoris ejus suis nominibus hîc annotabuntur. Vna quæ est* in Condruso, dicitur Antina; & altera quæ adjacet in Famenna nuncupabatur Heidra. Has itaque sine aliqua

**Filius Arnulfi Imperatoris, an. 912. obiit.*

** Pars Leodiensis territorii transmosana.*

contradictione usque ad terminum vitæ suæ tenuit, quousque secundùm antiquorum morem in filii sui Eilberti Comitis, videlicet post ejus transitum, verteretur sortem & hereditatem, & sicut ex Regia manu in patris dominatione transierat & jure, sic cum sibi subjacentibus nutu OTTONIS primi* atque concessione, ad filii rediret jus & dominationem.

* *Is regnare cœpit an. 935.*

Eilberti Fund. Abbatiæ Valciodorensis genealogia.

Nos itaque qui structoris Valciodorensis Ecclesiæ proposuimus alti germinis consanguinitatem enucleare, jam ad opus cœptum, ut expedit, gressum figamus: & quoniam omnia propter ejusdem progeniei arduam inclytámque successionem nequimus comprehendere, fideliter ad ea quæ non sunt omittenda necesse est transire. Præfati siquidem Ebroïni pater Comes Bovo fuit, qui dictus est *Sine barba*, & hujus pater Bovonis Comes WARINUS de Asclovia exstitit, qui fuit filius inclyti nobilissimíque Comitis AIMERICI Narbonensis, ex ERMENGARDE Comitissa, sorore BONIFACII magni Principis de Papia. Iste autem EBROINUS ex præfati Comitis Wederici & ejus uxore Evæ filia, quæ ut superiùs præfati sumus Berta dicebatur, septem filios habuit, qui terram longè latéque post decessionem patris tenuerunt hereditario jure, & sibi prudentiâ suâ multa acquisierunt. Sed ne prolixitas fastidium generet in tantarum evolutione rerum, omittentes cetera, ob honorem præfati Comitis Eilberti & dignitatem, suorum germanorum tantùm nomina perstringamus.

Primus itaque in ordine generationis Comes EILBERTUS fuit, major natu & dignitate, secundus Comes VDDO de Roix, tertius HERIBERTUS Comes de sancto Quintino, quartus GERARDUS de Odenarde Comes, quintus Boso Comes, sextus WITERUS Comes, & MACUARDUS * Episcopus venerabilis. Isti fratres germani fuêre, & cum Comite EILBERTO sicut in subsequentibus aperietur, quidam eorum Walciodorensem Ecclesiam donis & muneribus ampliaverunt. Nam Boso Comes cùm multa tenuisset, & in multis præoccupatus fuisset, liberósque quàmplures habuisset, tamen fratri suo,

f. * Marcuardus.

Comiti videlicet Eilberto villam in Florinensi confinio positam, quæ Calvus-mons nuncupatur, & quæ hereditario jure in suæ sortis pervenerat parte, dereliquit: quam in usus succedentis Walciodorensis Ecclesiæ, quia in ea sui corporis sepulturam futuram fore decreverat, (sicut factum) constituit. Ex fratrum suorum successione, videlicet GERARDI de Odenarde, & Comitis HERIBERTI de S. Quintino, nobilis & ingens familia huic Ecclesiæ provenit; & hujus rei apud Viromannos* & Flandros testes ex ipsa familia superstites usque in præsens tempus nobis sunt, & testamentum legis eorum apud nos & eos conservatur.

* Viromãduos.

Iam igitur tempus postulat & res, ut inferatur sermo qua de re Walciodorensem Ecclesiam præfatus Comes studuerit ædificare: ad hujus rei indaginem articulata arte mentem applicemus. Comes igitur EILBERTUS nobilium actuum super omnes sui generis coævos aggrediens conamina, industrius, strenuus & vir bellicosus effectus est in tantum, ut ex suo proprio ad evitandos casus incertos adhuc primævus septem construeret castra. Suo autem tempore Conventus ille frequentiáque diversarum gentium, quæ nunc Nisance quotannis congregatur, in Tirasse ad crucem solito more conveniebat, quò mercimonij sui commutationes fierent, ut vicissim mutua venditione congregata distraherent. Cùm verò in foro rerum venalium antedictus Comes deambularet, obvius fuit ei equus ingentis fortitudinis necnon & admirabilis speciositatis, qui visus est sibi fore turris fortitudinis, si congruo pacto ad hunc pertingere posset ratione alicujus mercimonij. Dominus enim equi erat quidam Clericus magnæ progenitus nobilitatis parentibus, Canonicus ex Remensi Ecclesia S. MARIÆ majori. Cùm autem mutua affabilitate Comes & Clericus ex prædicto sermocinarentur equo, sub quadam taxatione pretij finem fecêre rationis; sed cùm imparata foret pecunia istius comparationis, HERESINDEM nobilissimam conjugem suam Comes quæsivit, quærens consilium ab ea quid ex hoc negotio faciendum sit; nulla namque ratione equum ipse

Ingẽtis discordiæ & calamitatis causa.

à se sinebat dimoveri, cujus fortitudinis auxilio suorum se dicebat omnium inimicorum declinare infortunium, & periculosorum casuum naufragium. Itaque se maturè à Clerico cupiens expediri, sine consilio suæ nobilissimæ conjugis, quæ formidabat casum qui accidit, loco obsidis mirabilem thesaurum quem apud se ipsum conservabat Clerico tribuit, diem statuens in quo fieret solutio debiti. Thesaurus autem iste desiderabilis compositus est in similitudinem insignis monilis, quem S. ELIGIUS venerabilis Episcopus sanctitate, honestate, & in omni operationis artificio egregius, præcepto nutúque inclyti Lotharii Regis Francorum manibus propriis operatus est. Lapis siquidem Beryllus in medio positus sculptum retinet, qualiter in Daniele Susanna à senibus judicibus malè criminata sit, qui varietate sui operis diligentiam ostendit artis, & diligẽtia venustatem locupletis honoris.

Egregiæ gentis Rex Anglicus hunc dedit illi,
Quem fore speravit gratum dans plurima gratis,
Inter quæ dantis prosit sibi portio talis.

Quid multa? Statuti temporis dies advenit in qua à Comite debiti solutio parata fuit, & pro sibi commisso thesauro ipsa convenit. Ab hujus rei verò notitia ille se ignarũ exhibuit, nec in hujusmodi antè colloquio aliqua ratione Comiti acquievit. Dignitate siquidem thesauri denudatus, convicióque cõtroversię & perversę operationis graviter vexatus, cum gravis indignatione mœroris & ira Comes ad propria est reversus, quęrens consilium qualiter istius periculosi casus valeret devitare infortunium. Itaque collecta multitudine propinquorum, ex rei eventu præfatorum fratrum quæsivit consilium, exponens illis supradicti mercimonij conventum, & sui venditoris exsecrabilis machinationis periculum, & atrocis fraudis miserabile ludibrium, & instantis controversiæ si non maturè fuerit subventum irrecuperabile detrimentum. Vnius igitur deliberationis consilio pariterque concordis voluntatis assensu, fit fratrum omnium congregatio amicorum, & omnium confluentia diversorum agminum stipata equestrium innumerabili plebe, quorum catervæ

operuerunt superficiem terræ, quæ undique convenerant commotæ virorum illustrium opinione. Catervatim namque usque ad urbem Remensem properant maturè; quam facta congressione undique obsident, obsessam capiunt: captâque cum argumento callidæ observationis, dispositis ubique speculatoribus præfatum fugientem Clericum usque ad majorem Ecclesiam persequuntur, quam introgressum, & infra ejus ambitum in cujusdam cubiculi cubili latitantem undique circumvallant. Cúmque minimè reperiretur, sparsim ubique dispersi, ignibus tota illius templi compositio atque structura crematur, & sic flammis urentibus ab ejusdem templi mœnibus ille fraudis commentator ejicitur, & dolus, qui antea versabatur clausus, in ejus pectore evidentibus indiciis in propatulo manifestatur. Nam thesaurus, quem dolosæ machinationis inventione furtivè deliberaverat retinere, ab eo aufertur, & cum detrimento urbis & Eccl. restituitur.

Vrbs Remensis obsidetur, capitúrque.

Major Ecclesia flagrat.

Extemplò facti fama regias penetrans aures, omnium regalis curiæ Procerum conturbavit conventum: quapropter in indignationem conversus & iram, unanimiter universus exercitus pariter cum Rege statuêre decretis regalibus periculosæ congressionis grave bellum fratribus, quo pellerentur emancipati omnes cum suis à propriis finibus. Cùm ergo ab utrisque partibus graviter præliaretur, & periculosi certaminis afforet sæva congressio, à fratribus capitur Rex, & hostium ille cuneus huc illúcque dispersus vexatur, & ut levis auroræ nubecula à cõspectu magnæ cõmotionis venti leniter fugatur.

Igitur anno Incarnationis Domini nongentesimo vigesimo secundo CAROLUS Rex Francorum captus ab EILBERTO, & fratre ejus HERIBERTO, usque ad Peronam deducitur, & ab eisdem sub vinculis carceralis custodię diebus multis religatur. Porro datis ab utrisque partibus mutuæ pacis obsidibus, cum grandis honoris contubernio Regem à Perona educunt fratres, & ut regalis magnificentiæ decebat dignitatem, suæ servitutis ministerium unanimes obtulêre sibi: Sícque sedato bello pars eorum in pace conquievit, & ille thesaurus desiderabilis,

922. Rex Carolus Peronæ carceri mãcipatur.

qui causa totius seditionis fuit, Comiti inviolabilis remansit.

Processu tamen volvente haud multò post ultima labentis ætatis clauditur dies HERIBERTI Comitis de S. Quintino, qui viam universæ carnis ingressus superstites post se quatuor filios reliquit; quibus, ut regimine fratris sui Comitis Eilberti nutrirentur, & hereditate eorum terræque ejus industriâ auxilióque tuerentur, obedire præceptis præcepit. Cùm verò istius angoris mœstitudine premeretur, & ab amicis & fratribus funeris exsequiæ prepararentur, quidam Cameracensis Comes RODULFUS nomine, qui dignitate regalis consanguinitatis gloriabatur, adversus quatuor Heriberti filios confidens in robore fortitudinis suæ insurrexit, & annuente Rege Francorum, videlicet avunculo suo, terras eorum invasit, sícque evaginata iniquitate quam consideraverat*, adversæ partis cuneus ab eodem præparatur, & atrocis crudelitatis dolus, qui clausus latuerat, evidentibus indiciis in propatulo manifestatur. Reciproca namque crudelitate à genitore puerorum & patruis se vinculatum reminiscens præfatus Rex jus abnegans injustè possessiones, terras, hereditatésque eorum supradicto RODULFO concessit; Sícque ab hoc norma justitiæ confusa est, & gravis periculi commotio ab utraque parte machinatur.

f.* conceperat.

In exordio suæ congressionis Rodulfus oppidum S. Quintini obsidendo aggressus est expugnare; quod cùm ab eodem minimè caperetur, impetum vimque resistentium ferre non valens, ignibus deliberabat aduri. Cúmque certatim istius iniquitatis ruina machinaretur, concursu hostium nobilium virorum nobile oppidum repentè crematur, & villa mobilibus & diversis repleta commeatibus, diversorúmque agminum stipata plebe depopulatur, & cum ea templi ædificia uruntur, & ad nihilum rediguntur. Inter hæc templum Virginum Monialium à fratribus haud multo pòst constructum, & magnis prædiorum honoribus ditatum, propter cujusdam nobilissimæ mulieris conversionem, quæ se sacri veli consecratione, relicto sæculari habitu munierat, aduritur, & cum eo

Vrbs sancti Quintini crematur

Monasterium quoque Humolariense cũ Monialibus

hæc nobilis mulier & Virginum Chorus. Mulier autem hæc cùm magnis orta foret natalibus, seducta fuisse dignoscitur à Comite Eilberto quasi sub quadam conjugij confœderatione: quæ cum eo permansit, quousque alterius nobilissimæ prosapiæ mulieris, legalis decreti cæremoniâ conjugii dans consensum, nectereτur contubernio: quæ cùm spernendo se cerneret postponi, ordine supradicto curam sæcularis negotij postposuit.

Hæc itaque ex supradicto Comite filium enixa est, cui in spiritali regeneratione & nominis acquisitione Bernerus nomen impositum est. Hic avulsus à lacte, atque dempto ubere ablactatus, supradicto Rodulfo urbanitatis gratiâ traditus est nutriendus, qui cum aliis juvenibus nobilibus vernaculis serviebat ex armorum apparatu: ut verò matris adustionem, patris, patrui, ac filiorum ejus agnovit detrimentum, & honoris diminutionem, imbecillitatis suæ condoluit importunitatem, eúmque tædere cœpit cum proximorum infortunio mors suæ unicæ genitricis, & repentini casus cœpit conqueri austeritatis improbitatem. Cúmque crebrò in hoc conquereretur infortunio, lacrimabilíque ejulatu gravis finis interitum memoratæ genitricis lugeret, luctus ejus ad domini sui aures pervenit. Vnde conversus in iram, post jurgiorum proverbia occiput sui capitis vulneravit nimiâ fervens insaniâ: Sícque bonæ indolis adolescentulum removit à contubernio suorum familiarium. Talis siquidem gravedinis & molestiarum acerbitas cùm à filio patri nuntiaretur, reciprocatus dolor graviter renovatur, quo exasperati cordis meditatione, confluentiâ diversarum gentium multiplici numerositate conglobatâ, catervę multiplices disponuntur, & machinamento prudentium congressiones Rodulfo prępàrantur. Præfatus siquidem Bernerus infra quanquam pueriles annos positus, eventum rei graviter accepit, & actionem præteritam non pueriliter investigans, rogavit patrem militiæ sibi non negare armaturam. Tandem ipse quod concupierat voto adeptus militiam honestis moribus adornavit. Cùm verò ab utrisque partibus graviter fortitérque præliaretur, & invicem ad-

versarum partium cadavera mucrone sæviente passim sternerentur, cum capite primæ cohortis BERNERUS voluit apparere, quò strenuitatem suæ actionis evidentiùs voluit ostendere.

Igitur in tempore definitę congressionis antequàm pariter convenirent, de morte matris Rodulfum sicut suum dominum convenit, à quo inconvenienter improperia sustinendo repulsus; dominum suum postposuit, & sibi fidem post hęc servare denegavit. Ordine siquidem certaminis composito, obvius affuit in concertatione Bernerus Rodulfo, cui mortem matris requirens anteposuit, & ab eodem sibi hanc injusto judicio sublatam nuntiavit. Hic autem verba illius ignavię æquiparans, insultationis verba illi respondendo reddidit, corpúsque illius ab eo simili sorte fieri pronuntiavit: Vt autem istius commotionis verba à RODULFO accepit BERNERUS, in indignationem conversus & iram spiculo & ense contumacem militem aggressus est, & in impetu sui spiritus ab ejus corpore animam viriliter non timuit abstrahere. Sedatâ itaque seditione istius malæ contritionis & doloris, gemitus suæ partis factus est Rodulfus, & ulto sanguine, qui ab eo effusus fuerat innoxius, hereditates & terrę, quæ per violentiam ab eo fuerant usurpando invasę, HERIBERTI heredibus restituuntur justè, judicio, probitate, industriâ, fortitudine familiarium amicorum.

Hujus rei gratia, & prosperorum actuum prudenti progressu omnimoda urbanitate compositus, à suo genitore & familiaribus iste egregius adolescens complectebatur tenerè, in quibus successor paternæ hereditatis credebatur fore, quia ex sponsalis confœderationis connexione patri heres negatus cęlica voluntate, quò nomen ejus dilataretur posteritatis successione. Surrexit interea ex Rodulfo radice, gravis infestationis & totius iniquitatis dolo repletus quidam surculus, nomine WALTERUS, qui ejusdem pompaticæ regalis consanguinitatis tumendo gloriabatur propinquitate, veluti sororis Rodulfi filius. Hic autem adversus EILBERTI filium BERNERUM; scilicet inter innumeras adversæ partis catervas cohortium Princeps

ceps primus effectus surrexit, & ab hoc sui avunculi mortem requisivit. Illum autem sibi injusto judicio ab eo præunte mortem demptum pronuntiavit, & ab eodem manu propria contra jus fásque illum exstinctum dicens, mœroris affectum per cordis contriti verba evidentibus indiciis indicavit. Tumultus autem venturæ congressionis, & tempestuosus ardor gravis angoris utraque parte machinatus propositione verborum horum quadam ex parte conquierunt. Contra hæc mortem matris, fracturam capitis, vel detrimentum genitoris, & patruorum desolationem illi respondendo Bernerus opposuit; & hæc omnia injusto judicio sustinuisse ab eodem replicavit.

Animati igitur diræ congressionis & adversæ machinationis mutua confabulatione, uno conspirationis consensu adversum se invicem exaggerantes malum, Regis præsentiam adiere, & ibi ex utraque parte datis obsidibus, condixerunt sub regalis juris observatione & suæ litis agone, suæ propositionis verba confirmare. Statuto siquidem certi temporis die unà pariter convenere, atque ipsis acriter modo irremediabili invicem propugnantibus, triduano litigio sese ceciderunt; pro quibus regiæ magnificentiæ auctoritatem cernentes, constantiam & fortitudinem juvenum mutuæ partis exercitus interpellavit. Regalis itaque auctoritatis ut pervenit ad eos sententia, arma posuerunt, & judicii sui timentes sententiam, armaturam suam obsidibus suis tradiderunt. Palatinorum autem Procerum judicio abjudicatum litigium, & moderatione industriûm virorum pacata sunt jurgia tumultuantium puerorum, eorúmque conflictus pacem dedit mutuæ partis Principibus: sed virus præteritæ commotionis in Viromannorum & Cameracensium serpit visceribus usque in præsens tempus.

Dei post hæc judicium, ejúsque ordinatio, qui quos creat & sui signaculi virtute conservat, regit, suáque gubernatione in prosperis adversitatibúsque provehit, istum adolescentem BERNERUM videlicet vocavit, vocandóque sui spiraminis commissum suscepit: atque sic ejusdem assumptionis vocatio patri facta est diutinę desolationis &

lacrymabilis rememorationis ſæva deſtitutio, orbatióque irrecuperabilis. Pulſatus igitur tantis talibúſque eventibus, infortunium diverſorum caſuum corporis & animæ timere cœpit venerandus Comes, priſcæ reminiſcens converſationis enormitatem, & antiquorum contagiorum præteritam actionem: quid egerit diuturna meditatione cœpit meditari, & ſe reum voce lacrymabili ex tranſactis facinoribus confiteri. Cúmque jugi mœroris anxietate filii defleret deſtitutionem, ſuę intentionis actionem ſuppliciter ad Deum convertit, & in ſtudio iſtius bonæ voluntatis ex ſui juris proprietario, unà cum ſua clariſſima conjuge HERESINDE, Archangeli Michaëlis ob honorem in Tiraſce Baſilicam condidit, eóque in loco ſub tramite B. Benedicti Deo militantibus coadunatis Fratribus, ipſis Abbatem pręficiens, ad uſus quotidiani victus ſtipendia conſtituit non modica; locúmque illum ſub ditione & ordinatione Laudunenſis Eccleſiæ Antiſtitis conſtituit.

Monaſterium S. Michaëlis in Tiraſcia extruitur.

Venerabilis autem HERINSINDIS conjux ejus Chriſto in eodem loco famulantibus ſe ſubjiciens, pietatis gratiâ ipſum frequentare cœpit, & non ſegniter ſecundùm ſuæ nobilitatis ſublimitatem ſtuduit res neceſſarias providere. Et quia præconabatur manſiunculam proprii corporis ſibi ibidem fieri, haud procul ab eodem loco Virginum Monialium Monaſterium conſtrui diutina deprecatione ſupradictum Comitem imploravit, quatenus ipſe qui Principali Præpoſito cæli ductorique animarum, ſancto ſcilicet Michaëli ſacræ ædis erexerat faſtigium, Beato Petro paradiſi Clavigero ſuo adniſu proprióque labore componeret venerabile templum, quo Chriſti famulæ ſuarum orationum frequentiâ piacula præterita ſuorum facinorum expiarent. Coactus itaque ſua deprecatione, nec non B. Petri veneratione, à Monaſterio recenter conſtructo in ſpatio duorum miliarium, in loco dicto Bocileis* fundamenta jecit, erigénſque ſtructuram, peracto opere ſtatuit templum, in quo ab eodem conſtituitur Virginum Monialium Congregatio, & quidquid talium ordo exigit. Conſtructis autem per ordinem manſionibus plurimis, eiſdem dato paſtorali baculo Abbatiſſam pręfecit, eun-

* Bucilly *Nunc Monaſt. Ord. Pramonſt.*

démque locum veluti superiorem sub regimine Laudunensis Ecclesiæ Præsessoris constituit.

Evángelici profectò mandati non surdus auditor, Domini sui in eo paulatim crescente virtutum culmine nitebatur verba adimplere, quatenus ex mammona iniquitatis fideles sibi congregaret amicos cœlestis pietatis, qui eum heredem facerent sua adminiculatione in æternę hereditatis possessione. Igitur veluti sacra profert sententia; *Justus magis justificetur*; studioso se labore ad opera misericordiæ venerandus Comes se totum contulit, patrimoniúmque suum tuto in loco constituere nitens, locupletis honoris dignitate misericordiæ Matri, Beatæ videlicet MARIÆ egregiam construxit Basilicam, villámque Humblires*, quo fundata fore videbatur, eidem Monasterio subjicens, magnis illud ditavit prædiorum honoribus.

Apoc. 22. 11.

sive * Humblieres.

Ex prædicto sanè patrimonio suo eodem tempore tria cum superioribus Monasteria construxit, quibus tantum de prædiorum redditibus delegavit, quantum ad usus necessitudinem sufficienter sufficere videntur in eisdem pensum sui famulatus Deo exhibentibus. Ordinatis tandem Monasteriis, atque regulariter secundùm institutionem S. Benedicti vivere paratis in eisdem coadunatis Fratribus, ut in rigore sui tenoris norma justitiæ magis convalesceret, eadem loca sub ordinatione & protectione Abbatum, juris dans diffinitiva privilegia, fore constituit: Sícque idoneis successoribus & filiis spiritualibus, qui sua valerent metere carnalia & sibi serere spiritualia, dereliquit copias hereditatum. His secundùm quantitatis suæ dominium, & magnificæ auctoritatis principatum ac honorem (sicut decebat suæ nobilitati) congruè & prudenter omnibus compositis horum operum finem fecit, & se totum divinę contemplationi serviens Deo subdidit.

Tempore illo dum die quadam in castro, quod Florinis construxerat, resideret, suæ actionis transactum tempus rememorari cœpit, & tacitus intra se revolvens quid ex Remensi sanctæ MARIÆ Basilica actum sit, vehementer eum tale infortunium tædere cœpit. Enimverò rememorando cœpit meditari ob septem castrorum pro-

pugnacula, sempiterna sibi fieri municipia maledictorum, deliberavit ut hæc maledictionis structio per benedictionis antidotum remediaretur. Construxerat enim septem maledictionis domicilia: præeunte gratiâ Spiritus sancti, benedictionis & obedientię habitacula septem complere deliberavit. Quia plerumque in sacro eloquio septenario numero designatur universitas, ut non particulariter, sed plenariè legem divinam videretur adimplere; & ut ex rivulo septiformis spiritus stillicidium participiúmque, spiritualis renovationis donum gradatim in se valeret multiplicare, senario numero constructarum Ecclesiarum septimam ob honorem Genitricis Dei ob restaurationem Remensis Ecclesiæ adjecit.

Eilbertus Comes septem Monasteria fundavit.

Descripturi verò loci quantitatem, quo structura fore dignoscitur, priùs videamus ex silvestri & nemoroso qualis factus fuerit, & ex informi & obliquo in quantam venustatem transierit. Tempore autem illo locus ille erat inhabitabilis, excepto quòd domus Comitis inter densitatem nemoris paullo minùs constabat invisibilis, quo secundùm discretionem corporis remotis à se plebibus frequenter morabatur secretalis*. Habitatio ejus generalis in loco dicto Prieperiis tunc erat, ubi Ecclesia habebatur, & communes habitantibus necessariæ res prudenter & congruè more oppidi erant compositæ cultu honorabili. Castrum autem ejusdem oppidi non longè ab eodem erat circumseptum congruis munitionibus, quibus cuneus adversæ partis procul pelleretur plenariè, si ejus habitatores infestatione alicujus moverentur, sicut municipatûs ejus, quo stetisse dignoscitur, usque in præsens tempus monstrantur vestigia.

* *Id est*, Secretus.

Congregatis itaque manualium operum artificibus, nemus propter domum ejus suo præcepto eo tempore succiditur, & paulatim ex obliquo & inhabitabili decoratus locus redditur atque salubris. Hic ut res exigebat omnibus prudenter acquisitis, quo necessitudinibus forent apta succedentis operis, coadunatísque lapidum atque lignorum gnaris artificiorum compositoribus, juxta domum ejus templum construxit, utiles habitationes componuntur, &

ſpiritualium Fratrum habitaculum clauſtrale compaginatur. Anno ſiquidem ab Incarnatione nongenteſimo quadrageſimo quarto, regni OTTONIS primi nono, à Comite EILBERTO jacta ſunt ſupradicti templi fundamenta, & in ſpatio trium annorum venuſto opere conſummata ſunt omnia.

944. Eildebertus exædificat Floriņenſe Monaſterium in Diœceſi Leodenſi.

Cúmque regulariter omnia per ordinem conſummaſſet, quo nunc Cimiterium Fratrum eſſe videtur, Eccleſiam in S. Patricii honore conſtruxit; & ſic prudenter & honeſtè cum opere memorato cetera conſummavit. Conſtructo tandem ſecundùm nobilitatis ſuæ quantitatem templo, utilitati ſuccedentium Fratrum prodeſſe deſiderans, caſtrum ſuperiùs memoratum diruit, & villam, quæ in ſuo confinio erat ſita, & ſibi ſubjacere videbatur, exinde juſſit auferri, & juxta Monaſterium habitationem iterum reſtruit.

Tempore autem illo ſollicitè meditari cœpit, qualibus incrementis Eccleſia per eum, & quomodò multiplicaretur, & religionis cultus in ea dilataretur, & ſui juris libertatem retineret, & ſempiternæ benedictionis ſibi nomen acquireret. Tandem ſalubri inito conſilio, Regem memoratum adiit, & ei conſilii ſui ſecretum pandens, & totam ſuæ actionis intimans intentionem, gratiæ ſuæ auxilium in præſenti negotio affore precatus eſt ſibi. Itaque mutua ordinatione Regis pariter & Comitis decretum eſt, ut quidquid ab utriſque partibus donationis & muneris ſupradictæ Eccleſiæ conferretur, Regis protectione & auxilio tueretur à die illa & deinceps, & non ſolùm rerum præſentium donativum, verumetiam quidquid eis ſuccederet oblatione fidelium. Conſtitutâ autem Eccleſiâ ſub Romanæ Majeſtatis imperio, ab eodem Romano Rege donum inveſtituræ ipſius loci & Abbatiam præfatus Comes ſuſcepit ex deſignatis rebus, quæ ab eodem Eccleſiæ conferebantur ſequens ſermo omnia declarabit.

Providentiam ejus urgente cenſurâ Regis per viginti tres annos ſuſtinuit, deinde ordinatione mutua quidquid in Antina & Heidra pater ſuus Comes Ebroïnus à Rege

Ludovico ex Caroli Magni progenie ultimo, feodali dote acquisierat, posuit in præsentia Regis prædictorum feodorum ea conditione se spolians dignitate, quatenus Regis concessio & Comitis datio regali decreto firmaretur; & hæc liberalis commutatio sine scrupulo & perpetualiter transiret in potestatem & legitimam perpetuámque possessionem Ecclesiæ. Ipse verò Comes quæ eidem Abbatiæ ab eodem Rege conferebantur, ibidem replicavit, & designatis nonaginta quinque terræ mansis, culturis decem cum magnis redditibus & Ecclesiis earum, & cum ingenti familia, & ea quæ propter difficultatem computandi (quoniam aliàs pleniter adnumerata continentur) referre distulimus, ostendit, & omnia sub regalibus testamentis designavit. Deinde non mediocriter circa locum curiositatem suæ actionis apposuit; sed & thesaurum superiùs memoratum, qui seditionis & controversiæ quondam causa fuit, & pro quo multa acciderant, dedit eidem Eccclesiæ, & inter alia ornamenta ipsum in ea præcipuum & excellentiorem præcepit in perpetuum per succedentia tempora non segniter custodiri.

In tempore illo, transacto viginti trium annorum curriculo, ex Scotiæ partibus Angelica jussione admonitus venerabilis Archiepiscopus FORANNANUS proprium relinquens solum, locum decoræ vallis ab Angelo sibi designatum quærens, cum duodecim comitibus advenit, adveniénsque Comiti obviavit, à quo requisitus quò tenderet, ei mox Angelica designavit indicia, & sic cum maximo honore ab eodem Comite in jam prædictum deducitur habitaculum. Ejus sanè adventus susceptionis obsequiíque in quanta veneratione à Comite, & ab omnibus patriotis habitus sit, qui pleniter ambit cognoscere, librum gestorum ejus legat; ibi enim sufficienter hujus rei indaginem reperiet. Ingressus ejus habitaculum, haud multo pòst uterque, Comes & vir Dei præsentiam Regis adiêre, quò Comes domum & investituram Abbatiæ deposuit, & precibus apud Regem obtinuit, quatenus ex jamdicto dono Dei cultor ab eodem Rege inve-

ſtiretur. Inveſtigatâ ejus ſanctitate, libens annuit Rex Comitis petitioni, & ſuppliciter devotéque ſancto viro præſidium ſui obſequii & conſilii affore pronuncians, ſe orationibus ejus undique commendans, donum & Abbatiam ex Palatinorum Procerum decreto tribuit, & decretis regalibus ſtatuit, ut eadem Abbatia abſque ſcrupulo alicujus controverſiæ omni deinceps tempore Regali & Imperiali protectione tueretur. Vt hęc inſtitutio fixa, inconvulſa, & immobilis permaneret in ſempiternum, de villa ſcilicet Heidra & indominicatis beneficiis nonam ſibi retinuit, & in monumentum Regalis decreti, ne per ſuccedentia tempora Abbatiæ deeſſet Imperialis protectio, in Aquenſi Eccleſia quotannis juſſit perſolvi. Propterea perfecto decretum eſt ibi judicio Procerum de curiarum ejuſdem Regis præſentia, quatenus Majordomus, videlicet Præpoſitus de Eccleſia ſanctæ MARIÆ quæ eſt Aquiſgrani, cum ceteris valentioribus Canonicis, pro eadem Eccleſia tempore tribulationis ejuſdem Abbatiæ Cauſidici aſſurgant, & importunitatem ejus ſicut & ſuam in præſentia Regis & Principum ubicumque præfatus Rex fuerit, perferant.

Tandem regreſſus à Rege Dei cultor cum ſuis comitibus, locum cœpit incolere, & ſecundùm Angelicum reſponſum Vallem-decoram nominare, quod nomen ſicut nunc vulgariter permanet. Quidam malè opinantur tractum à quodam Thiſidoro, qui, ut aiunt, ipſam vallem inhabitaverit: Sanè non ex nomine Thiſidori Valciodorus dictus eſt, ſed ex Angelico præconio, qui eam Vallem-decoram appellavit, Valciodorus ſcilicet quaſi vallis decora nominatur. Ab ipſis enim Scotis ſecundùm idioma linguæ ſuæ & noſtræ ipſum nomen aliter non potuit aptari, ſed ſicut dictum eſt, ipſum Valciodorum, ſcilicet quaſi vallem decoram nominaverunt ſecundùm proprietatem utriuſque linguæ. Vallis-decora, *ſive* Valciodorus appellata eſt Abbatia.

In diebus illis in Metenſi Eccleſia Pontificatûs infulam DEODERICUS vir honeſtæ vitæ, & morum elegantiâ egregius regebat. Hic enim ambobus Regibus patri & filio, ſcilicet HENRICO & OTTONI ob ſui nominis reli- Deodericus Metenſis Epiſc.

gionem & sanctitatis excellentiam ita carus esse videbatur, ut hunc primum inter præcipua rerum publicarum negotia, consilio, discretione, prudentia & vigore haberent. Hic autem propinquitatis consanguinitate Comiti adhærebat Eilberto, & plerumque uterque fruebatur mutuæ partis alloquio. Cùm autem ad invicem sermocinarentur, & inter utrosque ex pluribus verba sererentur, ex eventu contigit habere sermonem Comiti ex Valciodorensi Ecclesia, in qua, ut ipse aiebat, curæ pastorali inserviebat quidam Religiosus, qui ob Christi famulatûs amorem cum proprio solo dignitatem sui honoris dereliquit, & ibi recenter cum nobilibus comitibus ductu Angelico advenit. Venerabilis autem Pontifex sanctitatis & justitiæ normam egregii Præsulis FORANNANI cognoscens relatione illustrium virorum, & ipsi adhærere toto animo desiderans suppliciter Comitem rogavit, ut hunc secum adduceret ad palatium. Cùm verò ibi veniens alterutrum se viderent, mutuo se salutaverunt, & benedictionis donum alter ab altero, unusquisque eorum anticipare parem pariter renuentes, humiliter invicem petieruut. Sed quia B. FORANNANUS ob duplicem cœlestis gratiæ honorem Archiepiscopus erat & Abbas, & idcirco in hac parte superior cognitus est, venerabili viro religiosóque Episcopo acquievit,& manu elevata ex triumphali vexillo sanctæ Crucis prædicti Antistitis cum capite totum corpus munivit. Deinde residentes atque sacrarum paginarum revolventes mysteria ad invicem contulerunt, & post multimoda sacrorum proverbiorum colloquia,divinæ confœderationis conjunxerunt subsidia orationum.

Factum est autem dum hæc tractarentur, quatenus ex Valciodorensi loco verbum ab utrisque partibus communiter fieret, & Episcopus ex Hasteriensi villa in medium proferret sermonem, accepta occasione ratiocinandi ex verbo prædicto. Cùm igitur Comes prędicti Antistitis voluntatem cognosceret, quòd per Hasteriensem Valciodorense donum & Abbatiam ad Metensem Ecclesiam vellet transferre, mentem apposuit & quomodò hoc

salvo

salvo honore Ecclesiæ secundùm quod factum fuerat ex manu regia posset erui, inter se tacitus cœpit meditari. Hasteria enim quia prope in confinio Valciodorensis Cœnobij sita est, Comiti visa est fore congrua & proficua Valciodorensi Ecclesiæ; sed quia ea Ecclesia esse constructa cognoscebatur à domino ADELBERONE Metensium Præsule, suo prædecessore, & ab eodem data sanctæ GLODESINDI & Monialibus ibidem servientibus, & testamento confirmata: hæsitare Comes cœpit, & ab eodem quærens consilium, interrogavit quomodò hæc fierent salva dignitate utriusque partis. Cúmque Comitis hæsitationem Episcopus intelligeret interrogatione ejus, hanc extemplò à suo pectore removere studuit, & serie succedentis narrationis quomodò possit fieri, salva dignitate utriusque partis, illi rationem ostendit. Deliberata commutatione quæ pro Hasteria Monialibus sanctę Glodesindis assignaretur, propositum suum illi aperuit, & sic titubationis obstaculo ab eodem remoto, procedere Comitem in decreta ratione monendo stimulavit. Inito tandem consilio, pari consensu Regalem magnificentiam adierunt, & consilii sui B. Forannano intimantes actionem, concordis voluntatis deliberatione ad Curiam pervenerunt. Demum mutua voluntate statutum est, ut sanioris consilij capitales curiæ suo consilio auxilióque conjungerentur, & sic mota* ratione freti adminiculatione *f.* * nota. Principum regalis auctoritatis consolationem, consilium & consensum ex prædicto negotio investigarent.

Audiens autem Rex Venerabilis Deoderici Metensium Pontificis petitionem, & B. Forannani perpendens devotionem, Comitis etiam advertens bonæ voluntatis sagacitatem, profectum Ecclesiarum & utriusque rei causam sciscitatus ab eodem Pontifice, & à ceteris regalis curiæ Principibus investigatâ rei veritate consilium quæsivit, quomodo salva dignitate Regalis censuræ Imperialis decreti transmutatio fieret, & donum legitimo jure curiæ assignatum ab eadem avelli posset. Sed avulsa est à corde suo judicio Principum istius titubationis obligatio, & cum consilio decretum est, quatenus profectus Eccle-

siarum sub Imperialis auctoritatis protectione vigentium, utilitas & commodum Curiæ Regalis haberetur, ita duntaxat, ut ex respectu*, nutu illius cuncta regerentur. Vt autem istius sanctionis edictum à Principibus Rex percepit, voluntati religiosi viri FORANNANI, & petitioni venerabilis Pontificis DEODERICI Comitisque EILBERTI acquievit, & à supradicto dono prædictæ Abbatiæ se conditionaliter spolians secundùm anterioris conditionis sponsionem, legali decreto sub potestate Metensis Ecclesiæ donum & Abbatiam Valciodorensis Ecclesiæ constituit. Constitutio autem hæc quomodo auctorisata fuerit in subsequentibus aperiemus.

* Gal. *per respect.*

Venerabilis enim Pontifex commutationem, quam Monialibus sanctæ Glodesindis pro Hasteria assignaverat, in præsentia Principum Regi ostendit; Sicque supradictam Hasteriam cum omnibus appenditiis, consensu & deliberatione Conventus S. Glodesindis & Majorum Mettensis Ecclesiæ, ad usus Valciodorensis Ecclesiæ Regis pietate & manu posuit, & liberaliter Decreto Principum ab eodem Rege & Pontifice ac Majoribus Ecclesiarum Metensium B. Forannano assignata est, quatenus ipse quemadmodum Abbas Valciodorensis Ecclesiæ sine scrupulo & controversia ac motione contraria eam teneat, & successores sui, qui regimen ejusdem Ecclesiæ tenuerint in sempiternum, & ipsa sub regimine ejusdem Valciodorensis Ecclesiæ permanens tueatur. Ne autem igitur regalis & Imperialis decreti compositio, & Majestatis ejus deliberatio, molimine aliquo nefarij ausus ab aliquo Clerico vel Laïco nobili & ignobili violando irritetur, auctoritate & judicio Principum, testamento Imperialis munificentiæ confirmatur: Sicque Hasteria juri & dominationi Valciodorensis Ecclesiæ famulatura
966. supponitur anno ab Incarnatione Domini nongentesimo sexagesimo nono, Indictione decima tertia, regnante OTTONE I. anno regni sui trigesimo quinto.

Sed ne aliquâ Valciodorensis Ecclesia motione alicujus hominis vexaretur ob protectionem, advocatiam & defensionem prædictæ Valciodorensis Ecclesiæ, donum

ſuperiùs memoratum conditione retinuit ſupradicta, & hoc ordine diffinito conceſſit, quatenus Mettenſis Eccleſia Valciodorenſi recto tramite incedens ab omni Eccleſiaſtico jure illi juſtitiam faciat, & ne recederet ab eadem juſtitia cum ea enormiter, ſanxit ut ſi ab eadem Metenſi Eccleſia vel ejus Epiſcopo ſcrupulus alicujus controverſiæ ex eadem Haſteria Valciodorenſi Eccleſiæ oriretur, ad priſtinum Valciodorenſis Eccleſia reverteretur gradum, & de manu Regis prædicti iterum ſumeret donum. Iſtius igitur emancipationis utilitas, & utriuſque rei deliberatio ex dono Valciodorenſis Abbatiæ ex Regia manu abſtracto, & ex villa Haſterienſi cum omnibus rebus inſtantibus ac ſuccedentibus, ac ······· omnibus appenditiis ſuis Valciodorenſi Cœnobio ſubjugata decreto Curiarum Principum ſub regalibus teſtamentis auctoriſata legitur, & Domini DEODERICI & Beati FORANNANI Comitiſque EILBERTI, & capitalium virorum de curia teſtimonio confirmatur.

Tempore illo Haſterienſem villam Moniales ſanctæ Glodeſindis tenebant, & in Eccleſia ejuſdem villæ ſub imperio & regimine Decanæ, quædam earum in eadem Cella Deo ſervientes vivebant, & ſub jugo & obedientia Abbatiſſæ ſanctæ Glodeſindis omnes pariter incedentes regebantur: Nutu deinde Abbatiſſæ ſuæ regreſſæ ad Monaſterium ſuum, locum reliquerunt; & ſic poſtea unuſquiſque quod ſui fuit juris detinens, ex eo ſecundùm proprium arbitrium diſpoſuit. Itaque inito conſilio in eadem Haſterienſi Eccleſia à B. Forannano & Comite Sacerdotes quatuor conſtituti ſunt, qui eamdem Eccleſiam ex officio domini famulatus ſecundùm ſuum Ordinem multis diebus rexerunt.

Interea decretum eſt, ab utriſque partibus à B. Forannano & Comite, nutu Imperatoris & conſilio, ut pondus rationis & ordinem, & præteriti negotii actionem Romano Pont. innoteſcerent, & ex ſupradictis rebus auxilium conſilii ſui, & munimentum ſuæ protectionis quærerent. Huic definitioni actionem apponentes, laborem aſſumpſerunt, & ſtatutis comitibus, & quæ itineris ne- Romam petit B. Forannanus ut à Summo Pontif. Privilegium obtineat.

cessitudinibus forent apta paratis, accelerato itinere Romam pervenerunt. Venientes autem ibi honorificè ab eodem Papa & viris Ecclesiasticis suscepti sunt, quia causam itineris sciscitati, & qui essent, & cur tanti itineris vexationem assumpsissent cognoscentes, atque morigeratæ conversationis vultus intuentes, majoris dignitatis veneratione sunt habiti, & cultu digniori promoti. Tandem revelata sui consilii actione, ipsam ad aures domini Benedicti Papæ, qui septimus in agnitione ipsius nominis Pontificatum Romanæ Ecclesiæ eo tempore gubernabat, deposuerunt, & ex ea suum consilium, tutelam & munimentum quæsierunt. Cúmque sanctitudinis rectitudo & norma justitiæ egregii Forannani qualiter proprium relinquendo solum, honorem Archiepiscopatus deposuerat Angelico jussu, & ad denominatam sibi ab eodem Angelo habitationem pervenerat, curam ac regimen animarum ibidem susceperit, cognosceretur à Papa & Clero, laus ab eisdem in excelsis attollitur, & sic in his & in aliis bonis operibus ejus Deus benedicitur. Audito tandem eo, voluntati & petitioni ejus satisfieri ab omnibus judicatur, non solùm Regiæ auctoritatis interventione, & inclyti Comitis deprecatione, verùm etiam amore suæ venerationis exigente, & religione suæ sanctitatis.

Itaque denominatis rebus, pro quibus negotium agebatur, & Hasteria & pro quibus in præsenti viri venerabilis petitio habebatur, censurâ Romanæ Curiæ quæ sunt in præsenti & in futuro succedere possunt Valciodorensi Ecclesiæ, in protectione ejusdem Romanæ Majestatis constituuntur, & ut hæc constitutio per succedentia tempora firmiter conservetur, & Apostolica auctoritas cum Regali & Imperiali firmitate conglobata conglutinetur, statuit ut Hasteriensis villa, cum omnibus rebus & appendiciis suis constantibus & succedentibus, Ecclesiæ Valciodorensi famuletur, & ei sine scrupulo sicut una de suis ceteris curiis subjaceat in perpetuum. Ne igitur istius Constitutionis Romanæ Majestatis firmitas, & Apostolici Decreti munimentum aliquo modo ab aliquo

homine in quocumque ordine constituto laïco vel Clerico, Rege vel Episcopo, aut alia quacumque persona, temerario ausu violetur, sed firmiter inconvulsum conservetur per succedentia tempora in sempiternum, Religiosorum virorum de Curia decreto statutum est, ut à die illa & deinceps quicumque diffinitum prædictæ Constitutionis munimentum ausus fuerit infringere, perpetuæ excommunicationis vinculo subjaceat, nec ab aliquo Sacerdote vel Episcopo pro qualicumque conditione absolutionem accipiat, excepto Romano Pontifice, qui reatus illius ea conditione faciet absolutionem, si satisfactione condigna pœnituerit, & quod malè usurpavit restituens, à detrimento Ecclesiæ cessaverit.

Deinde utriusque deliberationis Decreto Papæ & Religiosorum de Curia sancitum est, ut recedens ab eis B. Forannanus Privilegium sui Archiepiscopatus in omni officio & actione cultúque divino retineret, necnon ut regimen curámque animarum sibi injunctarum prædecessoris officio, curáque pastorali in Monasterio suo sollicitus gubernaret, & idem Monasterium sub protectione Apostolicæ auctoritatis in æternum firma stabilitate tueretur. Vt autem Testamentum à tantis testimoniis auctorizatum fixum & inconvulsum rationabiliter conservetur per B. Forannanum remittitur.

Regressus à Papa B. Forannanus incrementum suæ Ecclesiæ cœpit desiderare, & plebi sibi subjectæ prodesse desiderans, meditari cœpit quo consilio ipsa eadem Ecclesia ad meliorem statum proveheretur. Itaque Comitem convenit, quatenus industriâ suâ alicujus nominati Sancti venerabile patrocinium toto adnisu devotè quæreret, & laborando festinaret ex venerabilibus pignoribus gloriosum reddere sanctuarium Genitricis Christi, ut per meritum venerabilis corporis alicujus Sancti memorabilis caterva fidelis multiplicaretur, & propter inhabitantium bonam conversationem, & in vinculo caritatis unanimitatem, à Deo locus eligeretur. Huic devotioni animum apponens Comes venerabilis, HERISINDI conjugi suæ denominatum à B. Forannano aperuit con-

silium, ut ipsa consors istius propositi sollertiâ suâ investigaret cum eo actionem, quam suo nomine ad profectum utilitatis niteretur adducere. Suo namque labore Basilicæ Beati Michaëlis Archangeli memorabile corpus B. Adalgisi Confessoris paulò antè acquisierat, & ipsum in ea cum ingenti devotione & venerationis honorificentia reposuerat.

Igitur memorabilis Christi Confessoris Eloquii in tempore illo famâ vulgante notitia partes mundi expleverat, qui cum beato Foillano, quem fratrem suum ferunt scriptores antiquarum relationum, atque cum beato Furseo, cui successit in regimine Latiniaci Monasterii, quod in occidentali Francia eis egredientibus à sua terra scilicet Hibernia constructum fuerat ab utrisque, ad nostras advenit partes. Ob dilectionem ejusdem sancti Eloquii corda utrorumque, devoti scilicet Comitis & clarissimæ conjugis, divinus amor accendit, & propter fervorem instantium miraculorum quæ ab eo fieri indesinenter contemplabantur, in concupiscentia ejus magis exarserunt, & ambitione majori cœperunt scrutari, quo ordine ad ejus corpus pervenirent. Deinde quoniam in procinctu Laudunensis Ecclesiæ, quô in contemplatione divina eremiticam duxerat vitam relicta pastorali cura, & in memorato Monasterio ejusdem Sancti corpus jacebat, eum qui eodem tempore Laudunensis Ecclesiæ regebat Pontificatum humiliter rogarunt, quatenus concederet eis exinde memorabile B. Eloquii corpus transferre, quo illud honorabiliùs & devotiùs cum obsequio divini famulatus à Christo famulantibus collocaretur: Ecclesia enim illa, in qua Deo sedulum in vita sua exhibuerat famulatum, quamquam in statu eremitico & vastatione eo tempore videretur esse, in vita sua à fidelibus Christi magis prædiorum honoribus locupletata fuisse dignoscitur: ipsa, inquam, in qua memorabile corpus ejus tempore illo tumulatum requiescebat, sæviente passim per orbem crudelitate Danorum cremata est, & in negligentia ita diebus multis permanens, absque divini famulatus ministerio quievit, miraculorum prodigiis per

eum coruſcantibus indeſinenter, corpus beati Eloquij conceſſum eſt Comiti à venerabili RODOARDO Laudunenſi Pontifice. Sicque memorabile corpus cultu honorabili, & non mediocri devotione Clerus ex Epiſcopatu cum Epiſcopo, Comite & clariſſima Comitiſſa, ac populo terræ tranſtulerunt ex eo loco, & non ſine magnorum miraculorum opitulatione uſque ad Baſilicam B. Michaëlis detulere, in qua requievit uſque ad diem anniverſarium ſuæ depoſitionis quæ III. Nonarum Decembrium celebratur. Nam ob hoc ejus annalis tranſlatio dilata eſt, quoniam in loco Giriniaco unde tranſlatum eſt corpus ejus, die hac ex longinquis regionibus quotannis conventus diverſarum gentium congregabatur, ibique ex more ſolemniſantes, reddebant vota ſua Deo & ſancto Confeſſori; ita in lætitia deductis duobus vel tribus diebus alacres revertebantur cum ſalutari recreatione animæ ſuæ. Hanc ſollemnitatem inclytus Comes & B. Forannanus in meliùs reformare cupientes, ſtatuerunt quatenus provinciæ, in qua ſubſidium iſtius memorabilis Patroni venturum erat, nuntiando oſtenderetur, & gratanter ſpectatores præſtolarentur adventum ejus, cujus ope apud Dei clementiam, & interceſſione ejuſdem refugium, conſolationem, auxilium in opportuno tempore conſequerentur.

S. Eloquii Corpus in Valciodorenſem Eccleſiam transfertur.

His itaque diſpoſitis cùm famâ iſtius nominis provincia repleretur, & ad aures induſtriûm virorum talis auditus, & tantæ cognitionis rumor perveniſſet, fit gaudium omnibus, vox exſultationis in excelſis attollitur, & cum tripudio communis jucunditatis ab omnibus iſte deſiderabilis adventus præſtolatur. Statuto ſiquidem temporis termino denominata die, videlicet depoſitionis ſuæ, confluentia diverſorum hominum & gentium ex longinquis partibus congregata cum univerſo mercimonio, ad hanc condictam ſolemnitatem invicem ſe cohortans ſtuduit præpare, & celebrem recolendæ jucunditatis & futuræ proſperitatis tota mentis aviditate diem exſpectare. Quid multa? celebrabilis ſolemnitas prædictæ diei III. Nonarum Decembrium adveniens initiatur. Et ecce advenien-

te B. Eloquio cum signis & miraculorum prodigiis, catervatim ei occurrit diversarum plebium exercitus, qui dum deferretur per Famenensem pagum, contigit ei transitum habere per vicum qui dicitur Romunthiusim, quo dum impetu populi ad eum confluentis à delatoribus deponeretur, ob superexcrescentem frequentiam, & sedata plebe iterum illud desirabile onus portitores tentarent resumere, nullo molimine illud moveri potuit. Cúmque mirarentur attoniti, & stupor vehemens comprehenderet eos, ex hoc accidenti fama istius tremoris ad quemdam nobilem Widricum Famlemaniensem pervenit, qui mox in conspectu omnium in eodem viro beato Confessori duos mansos terræ tribuens constituit, quatenus ex tota Falemaniensi Parochia unaquæque domus singulis annis dimidium denarium persolvat in Valciodoro, ob venerationem egregij Confessoris. Legaliter completa donatione hac, cum cælestibus melodiis venerabile corpus iterum levigatum immensa velocitate elevabatur, & cum tripudio magnæ jucunditatis à Clero & turbis undique congregatis usque ad Valciodorensem Basilicam deducitur.

Cúmque populi multi cum B. FORANNANO, Comite EILBERTO, & Comitissa HERESINDE, ex tota provincia inhianter exspectarent adventum ejus, die condicta ecce advenit lumen eorum, & munimentum provinciæ, refugium miserorum, & languentium portus, sicut evidenter aperuit ingressus ejus. Nam die eodem illius ingressionis multi à variis infirmitatibus liberati sunt, & antequàm ingrederentur habitaculum sanctificationis, virtutem Dei in se senserunt visitatione sua: Sed ne prolixitas dicendi fastidium generaret legentibus, textum miraculorum ejus replicare distulimus. Sufficienter enim hæc inveniet, qui codicem gestorum ejus & translationis legendo requiret. Nos autem ut ambiguitatem auferamus ab eis, qui ex hoc quod ibidem scriptum reperitur de ejus Translatione & Templi consecratione, scandalizantur: opus est ostendere evidente ratione ex tribus sollemnitatibus quoniam nostris modò diebus utcunque* veneratio, Tem-

** Deest aliquod verbum, f. S. Eloquii.*

Templi consecratio, & Confessoris Translatio, & unaquæque sollemnitas principaliter per se retinet suam dignitatem: ne error pullulet in cordibus succedentium, necesse est ostendendo intimare à quo prima templi consecratio,& primæ Translationis observantia acta fuerit: diem etiam cum tempore in quo utraque solemnitas statuta fuit, & quare eodem die fuerit instituta, citissimè demonstrare.

Superiùs namque præfati sumus, quòd eodem in loco unde translatus est, maxima populi frequentia die eadem ex antiquo more congregabatur, & peracta divinæ servitutis solemnitate tempus deducendo cum salutari refugio suæ animæ revertebantur. Hoc itaque sollemne tempus consilio suo B. Forannanus in melius reformare desiderans, quatenus majoris ambitionis & venerationis dignitate dies & sollemnitas recolenda ab omnibus magis amplecteretur: has tres sollemnitates celebres sub una observatione compaginavit, & annuatim ita statuens custodiri, dedicationem Ecclesiæ, translationem ejus in eadem die depositionis suæ statuit.

Consecratur ergo die eodem à B. Forannano locus & Ecclesia, & in eadem ab eo sanctificantur tria altaria. Altare majus dedicatur in honore sanctæ Trinitatis, beatæ Mariæ, & duodecim Apostolorum; & in dextera lævâque Ecclesię duo: unum in honore B. Iohannis Evangélistæ; & aliud in veneratione S. Martini atque S. Benedicti dedicatur. Altare verò quartum in domo Comitis videlicet turri ejusdem Ecclesiæ, petitione ejusdem in honore sanctę Trinitatis in sequenti die consecratur. Hæc est hujus diei venerabilis sollemnitatis observatio, & à B. Forannano renovata & auctorizata sollemnitas, & recolendæ festivitatis institutio.

Consecratur Eccles. Valciodor. à S. Forannano.

Obtinuit interea venerabilis Comes & B Forannanus à cunctis terræ Principibus, ut observantia hujus diei in sua veneratione & religione perpetualiter permaneret, quatenus decreto eorum statueretur celebranda per omne succedens tempus. Assensu itaque cunctorum Principum tempus hoc sollemne in eodem loco ut conservetur

per succedentia tempora annuali revolutione, statuitur, & ingredientibus & egredientibus, venientibus & redeuntibus pax firma conceditur, & ut liberaliter cuncta fierent, & congregata mercimonia liberè distraherentur, institoribus ex longinquis partibus convenientibus judicio eorum pax constituitur. Congregabantur eo tempore, ut ex majorum relatione comperimus, non solùm ex hac provincia verùm etiam ex aliis quamplurimis & à nobis procul remotis. Hanc ergo celebrem institutionem ne quis nefario molimine audeat violare, infringere, conturbare; à B. Forannano Monachis, Sacerdotibus, Clericis & Conventu Ecclesiasticarum personarum auctoritate Ecclesiastica interdicitur: & ut hæc omnia sine scrupulo conserventur, huic sollemnitati assignatis solibus octo, sub anathematis obligatione, pœna delinquentium & præfatam sollemnitatem conturbando demolientium indicitur.

His ergo canonicè, rationabiliter & congruenter dispositis, die consecrationis turris, in medio Ecclesię se erigens venerandus Comes, & ex prædictis operibus Deo gratias reddens, per gladium suum B. Eloquio protectionem domûs illius, quam post Regem de Regia manu desumpserat, & advocatiam omnium rerum ibidem pertinentium tribuit, & seipsum à supradictis rebus emancipans, iterum cuncta sub potestate B. Forannani & ejus successorum redegit. Deinde recapitulatis rebus collatis eidem Ecclesiæ, ab eodem designantur insuper B. Forannano piscatio respiciens ad Valciodorense indominicatum beneficium, & aquæ cursus ex utraque parte, & ex utraque ripa, ab eo loco in quo rupes est, quæ lapis perforatus dicitur, usque ad aliam rupem, quæ secundùm latinitatem Specus dicitur, & secundùm usum provinciæ Hunia appellatur. Comes liberaliter aquæ cursum Valciodorensi Ecclesiæ, & B. Forannano ac successoribus ejus concessit.

Exinde advocata plebe Florinensium præcepit, quatenus ad mensuram unius cubiti virgam unam ferream ad resarcienda tecta Monasterii unusquisque de banno Flo-

rinensi deferret, & de eodem banno unaquæque domus obolum unum administraret singulis annis Valciodorensi Ecclesiæ. Hæc de Translatione egregii Confessoris Eloquii, & prima templi consecratione dicta sufficiant; & de triplicis sollemnitatis institutione sine ambiguitate legendo recitantur.

In tempore isto Comitissa HERINSINDIS piis operibus insistens, & in sancta conversatione de die in diem proficiens, memoratæ Basilicæ B. Michaëlis Archangeli assiduè frequentando adhæsit, in qua haud multo post carne deposita sepulturæ conditorium suscepit.

Post mortem verò ejus venerandus Comes die ac nocte in lege divina meditans, & pretiosas Basilicas sapientiâ suâ Deo dicatas frequentando circuiens, & ex consilio suo adminiculationem & solatium eis impendendo administrans, adhærere Deo ipsíque servire toto mentis affectu disposuit, & agonizando certamen contra invisibilis hostis versutiam arripuit, sibíque propugnacula, quibus fraus & deceptio invidi tentatoris demoliretur, composuit, caritatem videlicet, & quæ ex ejus radice prodeunt virtutum insignia. Cùm verò talibus hostiis diutina meditatione seipsum macerando satisfaceret Deo, surrexit adversus eum proximorum multitudo, qui impetu uno simul compaginati prædixere ei terras ejus nulla eos ratione pati posse exhereditari. Violentiâ itaque illorum tempore illo competentem genere & dignitate conquirens uxorem, conjungitur iterum conjugali contubernio: sed humanæ deliberationis ratio tentamentúmque humani moliminis nil valet contra decretum consiliúmque divinæ Majestatis. Proximorum námque moderamine vinctus carnali connubio, eadem conjuge sterili cum eo permanente, vixit absque liberis, vivens tamen legaliter cum ea, divinę servitutis meditationi, studio bonæ voluntatis juxta temporale impedimentum caduci honoris & casualis fragilitatis, adhæsit.

Hæc autem nobilis mulier ex alio anteriore marito bonæ indolis adolescentulos pariens nutrierat, qui Comiti more filiorum & non privignorum amicabiliter adhæren-

tes, & per ſtudium diutinæ ſervitutis miniſterialiter ei ſe ſubjicientes, & per obſequii ſui famulatus familiarem dilectionem ſuam illi aperientes, non ſicut vitrico, ſed ſicut patri proprio miniſtrabant. Factum eſt autem tempore illo quatenus ex eventu Curię Regali cum his juvenibus adeſſet Comes: qui quoniam pedibus infirmatus abſque ſuſtentatoribus incedere nequibat, innitendo ſuper hos quocumque per ambitum Curię à ſuo ſpiritu propriόque arbitrio duceretur, horum auxilio gradiebatur, & in conſpectu Regis & Principum filiali dilectione ei ſe ſubjiciebant.

Cúmque à Rege diligentia ſervitutis juvenum intueretur, aſtutia eorum & honorabilis ſervitus ab eo multipliciter laudatur, & incomparabilis eorum morigerata compoſitio inveſtigata ab omnibus ſublimatur ore Principum. Cùm autem ante Regem ſtans ſuper utrumque adoleſcentem Comes inniteretur, ex qualitate juvenum Rex cauſam cognoſere volens, nomina, ſeriem progeniei, & qui eſſent, & quomodo ita familiariter ei adhærerent inveſtigando interrogavit. Ille profectò ex ordine Regi puerorum notitiam oſtendendo aperiens, nomina deſignavit, & immo eorum conſtantiam benigni famulatus Rex conſiderans, dixit: Verè Comes merentur à te digno munerando ditari præmio, qui tibi deſerviunt fideliter ex hujuſmodi famulatûs obſequio. Animatus igitur Comes ex hoc Regali conſilio, in conſpectu ejus Principum privignos utroſque de dextera lævâque ſemovens, & eos ante Regem ſtatuens, inquit: Rectori ſæculorum & vobis, Domine Rex, gratias refero, quòd ſenſus veſtræ diſcretionis in hac actione conjungitur ſenſui meo, & dignitas veſtræ benignæ moderationis hæc agere roborando innuit noſtræ voluntati exemplat nos provocando in hoc negotio hortatio veſtræ dignationis. Quapropter tibi GODEFRIDO & fratri tuo ARNULFO ob gratiā domini mei Regis, qua ſuam miſericordiam vobis demonſtrando aperuit, & remunerationem veſtræ ſervitutis, quam mihi fideliter diuturno labore exhibuiſtis: in teſtimonio ejus & Nobilium de Curia pagum Florinenſem cum integro

ſuo banno, & indominicatum beneficium ex eodem banno liberaliter trado, & ut hæc liberè & legaliter ac ſine adverſa motione cuncta poſſideatis, caſtrum ibidem à me conſtructum cum ſuis appendiciis, & municipatibus & oppido, concedo vobis, & quidquid paterna ſucceſſione in eo jure & nobiliter mihi ſubjacuit vobis ſubjacere conſtituo, excepto quòd jura Valciodorenſis Eccleſiæ à me deſignata ex Florinenſi banno à vobis & ſucceſſoribus veſtris, ſicut à me ſine ſcrupulo & motione contraria conſervabuntur. Sepulturam autem veſtram vos & ſucceſſores eidem loco benefacientes perpetualiter in eodem Monaſterio à me conſtitutam vobis cognoſcetis: háncque Conſtitutionem ob Genitricis Chriſti honorem & noſtram memoriam, quicumque dominus fuerit Florinenſis domûs inconvulſam conſervabit per omne ſuccedens tempus, ne ſubjaceat perpetuæ maledictioni: cui ſubjacebit, qui fraudem fecerit eidem Eccleſiæ de rebus ſuis à Chriſti fidelibus ibi conſtitutis.

Decrevit autem ibi in præſentia Regis & Principum, & in conſpectu prædicti Godefridi & fratris ejus Arnulfi in teſtimonio eorum, quatenus Major de Valciodoro, Abbas videlicet & Præpoſitus cum Fratribus ſuis ſpiritualibus à die illa & deinceps ſecundùm ſuam voluntatem, quando ei placuerit, pro ſuo jure in Florinenſi caſtro reſideat, & cum miniſterialibus ejuſdem caſtri, villico ſcilicet atque ſcabinis rationem ſuam judicialiter ventilando producat, & ſine alicujus violentia uſque ad rebellionem & contradictionem ruſticorum liberè cum ſuis & ſupradictis miniſterialibus judicia ſua exerceat de rebus ſuis.

Conſtituit præterea, quatenus ex his duabus partibus & poteſtatibus quaſi gens una & populus unus ſibi invicem familiæ hærerent, & ſine exactione contraria & Bathiniendem quæſtu* Florinenſis homo ex Valciodorenſi poteſtate mulierem ſumens legitimè ſicut parem, ſicut verſa vice ſimiliter Valciodorenſis homo de Florinenſi mulierem ſumendo faciet. Si verò quis homo vel mulier Florinenſis ad Valciodorenſem, vel Valciodorenſis ad

* *Mendum hic videtur.*

Florinensem transierit potestatem, protegatur à rancore potestatis illius in qua elegerit habitare, ita planè ut capitalia jura & secundùm decreta suarum legum, quod cuique deberet potestati certis temporibus & assignatis non negligat reddere. Vt autem istius Constitutionis decretum fixum permaneat, Regalis auctoritatis & Palatinorum Procerum judicio testamenris Regalibus confirmatur, & nobilium juvenum assensu & concessione propositæ actionis diffinitio, sacramento Regalis etiam dispositionis & honore sui juris, hereditatis & nobilitatis, & à se & à successoribus suis conservanda intimatur. Ex diversitate autem tanti beneficii Fratres prædicti dignas gratias juxta modulum suæ facundiæ Comiti reddiderunt, suæ servituti toto vitæ suæ cursu fideliter adhæserunt ob magnitudinem honoris quo sublimiter ab eo sunt promoti.

Deinde regressus à Rege Valciodorensi Ecclesiæ frequentando adhæsit; & sepulturam in eo suorum familiarium & fidelium amicorum cum magno studio præparavit. Ipse namque ab ingressu chori usque ad altare turris terram aperiens, eamdémque effodiens duos in ea muros construxit, & à latitudine utrorumque ad mensuram duorum cubitorum, & latitudinem in mensura unius & dimidii cubiti composuit, ibíque nobilium virorum corpora ex prosapia sua cum patre & matre & filio BERNERO & Fratre BOSONE iterum honorificè sepelivit, ea videlicet quo per eum à locis in quibus antea fuerant sepulta ob dilectionis fervorem, & mutuæ consanguinitatis propinquitatem, sua virtute & dignitate translata sunt. Exhinc cùm divini famulatus meditationi inhianter adhærens, & auditu divinæ contemplationis elogium auscultando libenter perciperet, eruditus hujusmodi dilectionis sermocinationibus frequenter oculus fuit cæco, & pes claudo, ostiúmque ejus viatoribus patuit. Reddebat sanè sancta discretione compositus mundo mundana, & ita ex arte mundi arte sua mundanas artes deludendo conculcabat, ut non oblivisceretur qualem Creatori suo deberet subjectionem: sícque dexterâ suâ fidei lumen in

se accendebat, ut lucerna simplicis & astuti cordis ejus opacitate sinistræ suggestionis, nec oleum lampadis ejus extingueretur, nec venditorum perditione, nec adulatorum contagione sensus ejus turbaretur. Itaque residuum suæ vitæ cursum in sancta conversatione de die in diem proficiendo peragens & fomitem ignis, anteriorum cursus extirpando nitens extinguere, lucernam se illuminantem, eleëmosynam scilicet per aquam in manu ferebat, & per hanc callidi tentatoris insidias repellebat. Ita namque in agone istius contentionis viriliter decertabat, ut non veluti dormitans, verùm vigilans & expeditus inveniretur in occursu Conditoris sui: sícque pulsanti Iudici suo & Domino introïtum nitebatur præparare, ut ne in portu ex suo sermone ei confusionem inimici sui facerent. Portum ergo illius exitus, quo ejus anima cælos penetrans ex hoc carnis ergastulo transivit ad Christum, invenit.

Beatus ergo FORANNANUS quia regularis censuræ normam primus in Valciodorensi Monasterio gubernandi cum suis comitibus applicaverat, post ejus transitum ex eodem duodeno numero comitum ejusdem Rector justitiæ, & sanctæ conversationis amator beatus HADROE eidem Valciodorensi Ecclesiæ præficitur. Hic autem cupiens sequi per omnia documenta ejusdem felicis memoriæ sui prædecessoris, meditabatur in lege divinæ exercitationis; propterea ibidem sublimatus obtinuit regimen rigoris & rectitudinis anno ab Incarnatione Domini nongentesimo octogesimo. Ipse autem ob sanctitatis suæ auctoritatem & morigeratæ conversationis excellentiam, & prudentis discretionis moderationem, ne lumen ejus sub modio tegeretur, sed ratione sui splendoris Ecclesia illuminata amplificatione suæ doctrinæ dilataretur, beati Felicis Metensi Ecclesiæ regulariter Abbas præficitur, & consensu omnium ibidem pertinentium dominus domus illius legitimè constituitur. Hinc ergo qualis fuerit monstrat gratia supernæ largitionis, quæ multiplicibus insigniis ita ejus misericordiam suam infundendo largiter replevit, ut ex magnis prodigiorum beneficiis, quæ per

II. Abbas Hadroe.

980.

eum Domini ejusdem pietas operando manifestavit, volumen non modicum in Ecclesia beati Felicis, & apud Valciodorenses conservatur. Ibi namque in Ecclesia beati Felicis ob dignitatis suæ venerationem, à Majoribus altare constructum continetur, quo singulis annis dies depositionis ejus solemniter celebratur.

Itaque in exordio suæ conditionis tales Valciodorensis Ecclesia Rectores animarum habuisse cognoscitur, de quorum patrocinio non solùm præsentes, verùm & succedens generatio misericorditer illuminatur, & intercessione eorum spes miserorum, remissio peccatorum, consolatio languentium, debilium restitutio, & casuum levamen, naufragantium portus, apud Conditoris & Reformatoris clementiam reperientur. Ergo sanctitate insignis & cælestis doni præmium recepturus, quod divina faciente clementia promeruerat agonizando, carnali sarcina deposita, hominem exuit, sícque anno ab Incarnatione Do-
998. mini nongentesimo nonagesimo octavo ad Christum transmigravit.

III. Abbas Machalanus.

Surrexit deinde ex eodem contubernio nobilium comitum vir vitæ laudabilis nomine MACHALANUS, qui cum assensu omnium annuente Metensi Episcopo in Valciodorensi Ecclesia Abbas constituitur, ibíque regulariter intronizatus à Leodiensi benedicitur. Et quia testimonio suæ vitæ hoc commeruit, etiam in Basilica beati Michaëlis sub eodem tempore regimen animarum & curam omnium ibidem pertinentium, cultu dignæ venerationis Abbatis nomen sortitus obtinuit. Ipse etiam in conversatione bonæ actionis degens, & super custodiam suam inhianter vigilans, recto principalíque spiritu normam justitiæ viriliter regebat, & ne callidus hostis detrimentum sibi ex creditis ovibus faceret, suam suorúmque subjectorum actiones Domino commendabat. Tali se studio exercens ignis ille divinus meditatione sua in eo vehementer accendebatur, de quo dicit summa Sapientia: *Ignem veni mittere in terram; & quid volo nisi ut ardeat?* In hoc ergo ardore fidei comprehensus, ultimæ labentis diei cursus eidem clauditur anno Dominicæ Incarnationis

carnationis DCCCCXC. ex hoc mundo in Basilica beati Michaelis transivit, & in eadem à Fratribus ejusdem loci, conditorio sepulturę honorificè constructo, cum summa diligentia sepelitur. 990.

Interea ex Valciodorensis Ecclesiæ Conventu subrogatus eisdem Ecclesiis regulariter domnus IMMO præficitur, & convalescente electione, & utriusque partis assentientibus Episcopis in Rectorem animarum à Leodiensi Pontifice benedicitur. Ipse namque specialem societatem mutuę fraternitatis ita compaginavit inter utrasque Ecclesias, videlicet inter beati Michaëlis Basilicam & Valciodorensem, quòd si infortunio aliquo casúque acciderit, quòd egrediatur quis Fratrum ex una præfatarum Ecclesiarum ad quamcumque harum, ut pervenerit sicut in propria manebit, donec Prælatorum providentiæ propriæ restituetur. Vt autem unum corpus utræque Ecclesiæ tam in divinis quàm in humanis subsidiis fierent, & istius sanctionis edictum firmiter custodiretur, assensu seniorum Ecclesiarum sub vinculo anathematis constringitur. Ipse etiam quia prudentis discretionis moderatione per industriam suam Reipublicæ commoda quærendo utilitatibus intentus fuerat, carnis deposito pondere ex hoc mundo migravit feliciter anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCV. & sui regiminis IV. recepturus sui laboris præmium. 995.

IV. Abbas Immo.

Post hunc quidam GODEFRIDUS ex Remensi Ecclesia beati Remigii est assumptus, & conductu quorumdam Nobilium de Cunauco propinquitatis consanguinitate, quorum gloriabatur, utriusque partis assentientibus Ecclesiis, Abbatis sortitus est nomen. Nactus verò privilegii dignitatem, austeritate suæ tyrannidis plerumque sibi commissas Ecclesias conturbare non distulit, dignitati suæ dicens non sufficere quidquid ab aliquo sibi fiebat servitutis veneratione. Convalescente igitur ejusdem tyrannidis enormitate, dum die quadam in Valciodorensi conciliabulo resideret, fierétque mentio ex memorato monili desiderabilíque thesauro, pompaticè minando illud se relaturum ad urbem Remensem deposuit, dicens

V. Abbas Godefridus.

restituendum illi fore, quę per illud detrimentum cognoscitur sustinuisse. Valciodorenses autem audito hoc verbo scandalizantur, & regresso eo à Valciodoro infra terminum condictæ diei à fidelibus Valciodorensis Ecclesiæ consilii dies statuitur, eorúmque consilio eo redeunte contra faciem ejus ostia & portæ clauduntur, & sic sua temeritate expulsus, spoliatur ab ejusdem honoris dignitate.

VI. Abbas Theodericus.

In diebus autem illis linquens seculare negotium ad conversionem Sacerdos de Priezeriis, nomine THEODERICUS, haud multò pòst tempore sub domno Immone venit, habitúmque religionis sub eodem in Valciodorensi Monasterio assumendo vestivit, & sanctitate religiosæ conversationis moribus dignis condiendo ornans, & se totum divinis legibus subdens, præceptis divinis parere non distulit. Hic ergo ob suæ venerationis dignitatem, & morigeratæ bonæque conversationis excellentiam, ab saniorum consilii eminentioribus, & omnibus Valciodorensis Ecclesiæ subjacentibus, in pastorem & dominum electus, ejusdem loci obtinuit Abbatiam, & benedictione Canonicali fultus, rectitudinis & justitiæ normæ studuit militare indefessus.

Cúmque sollicitè rei familiaris ad perfectum niteretur negotium meliorando perducere, sumpto consilio prudentum virorum ex Ecclesia Hasteriensi Sacerdotes, qui à Comite & à B. Forannano constituti fuerant, industria suæ providentiæ removit, & ex Valciodorensi Monasterio Monachos assumens, in eadem Hasteriensi Ecclesia loco Sacerdotum servire constituit, decrevítque consilio & assensu utrorumque Episcoporum Metensis atque Leodiensis, ut annuatim Monachi ibidem habitantes mutarentur. Verùm si contigerit aliquem ex his ibidem mori, ad cimiterium Valciodorensis Ecclesiæ sancitum est præcepto eorumdem Episcoporum & consilio corpus illius referri; ut ibi habeat officium sepulturæ, quo suæ professionis cognoscitur suscepisse benedictionem.

Suo denique tempore dum ob negotium rerum familiarium à loco exiens sibi subjectas circuiret villas, occul-

to Dei judicio passim ignis congerie exaggerante Valciodorense Monasterium est concrematum, & ædificiorum habitacula ejusdem Monasterii cum eo sunt dissoluta. Cúmque reverteretur, ruinámque respiceret descendendo de monte qui respicit contra faciem templi, ex equo cui insidebat graviter cecidit, & afflicti animi mœstitudinem ob cordis contritionem velare nequivit. Verùm vires resumens, atque ad habitaculum revertens, quod peccati infortunio dirutum fuerat, reædificare cœpit, auxilióque proborum hominum eamdem Ecclesiam artificio luculentæ ædificationis studium apponens, haud multò pòst tempore iterum reformavit. Deinde quia res exigebat ut ararum consecrationes renovarentur Episcopali benedictione, tres à beato Forannano sollemnes celebritates tertio Nonarum Decembrium sub unius diei observantiam constitutæ mutantur. Nam templi consecratio pridie Idus Maii statuitur, & depositio beati Eloquii in propriam diem relinquitur, & ejusdem Translationis observantia propter confluentiam populi, qui eo tempore quotannis congregabatur, sicut unus observatur, octavo Idus Octobris ob temporalem affluentiam prudenti consilio constituitur. Renovatis igitur à domino NOTGERO Leodiensium Pontifice tribus sollemnibus celebritatibus, honorem proprii cultus unaquæque celebritas per se reformata dignitatem suæ venerationis resumpsit; sícque dierum istorum exultatio & devotionis ordinatio longo tempore permansit.

Inter hæc tempore illo de nobilibus progenitus parentibus puer quidam à Maceriensi oppido nutriendus ad eandem Valciodorensem habitationem adducitur, & militaturus Deo, & sanctæ Regulæ in eodem Monasterio secundùm B. Benedicti mandatum regulariter offertur. In cognitione igitur proprii nominis puer ipse dictus est EREMBERTUS, qui dignitatem suæ nobilitatis egregiis ornavit moribus. Factus enim adolescens duplicem adeptus est divinæ scientię utilitatem: literis enim pleniter imbutus in omnis operationis constitutionem, tam in auro, argento, vel ære, quàm in cæterarum exercita-

tionum ingenio factus est artifex egregius. Tandem & solutionis tempore venerabilis THEODERICI Abbatis secundùm divinæ dispositionis volitionem ex hoc carnis ergastulo migravit; atque post ejusdem depositionis & sepulturæ officium, deliberationis inhianter ad præfatum

VII. Abbas Erembertus.

EREMBERTUM convertit intuitum. Ipse Clerus cum populo & conventu Monachorum Rectorem suæ protectionis esse disposuerunt, & se ei subjicere tota mentis intentione decreverunt. Igitur omni tergiversatione procul remota unanimiter dominus domus ab eminentioribus atque providentiori consilio valentibus petitur.

Verumtamen sèminarium discordiæ invidus diabolus motiones contrarias miscuit, & ab electione Canonicali stimulavit recedere quosdam instinctu suæ deceptionis. Istius ergo commotionis controversia turbatur provincia; vociferatione enim frementium, tumultus adversæ partis ad Regias aures usque pervenit. Cúmque strepitus Rex causam investigaret, cognoscerétque utriusque partis voluntatem, & quid de sinistro dextróque pendere videretur, animadverteret, partem contrariam respuendo seposuit, & prudenti deliberatione vocibus Religiosorum & consensui acquiescere indicavit. Ergo nutu Regis HENRICI electione convalescente domnus Erembertus gubernaculum Valciodorensis Eccl. nactus regulariter suscepit, & canonicali benedictione fultus, ab utrisque Episcopis secundùm uniuscujusque juris potestatem feliciter intronizatur.

Sessionis igitur suæ suscepto honore qualem se quantumque reddiderit, operum illius designant vestigia, quæ à suo tempore usque nunc nobis certa monstrant indicia. Sapientia enim suæ providentiæ Claustrum cum curia ordinando compaginavit, & ædificiorum habitacula sicut usque nunc permanent luculento opere construxit. Deinde intra templi ambitum curiositatem suam apponens, in eo mirificæ artis opera propriis manibus operando composuit. Nam duas tabulas argenteas suo labore & sudore earum sumptus quærens, ob honorem Genitricis Christi construxit; unam enim earum ad mensuram ma-

joris altaris fabricans, alteram desuper altare ante lipsanum beati Eloquii statuens, has completo opere mirifica arte consummavit, & ibi solemnibus solibus easdem tabulas statuere constituit. Et ut longo tempore signum suæ benevolentiæ & studiosi operis indicia, & locupletis honoris vestigia, in eadem Ecclesia de suo labore superstitibus certam dantia manifestationem ob suæ benedictionis incrementum perpetualiter permanerent, pretiosorum ornamentorum multimodam supellectilem congregavit.

Tempore enim eodem mater ejus carnalis, nomine ERMENRADA, non tam carnali affectu, quàm sanctæ religionis desiderio, illi fideliter adhæsit, & se divinis legibus subjiciens, actionis suæ intentionem ad Deum convertit. Et ne hostis invidus superstitione sua hanc otiositatem sectando vacuam à bono opere deprehenderet, labore manuum suarum cortinas, quibus Monasterium usque nunc pręcingendo decoratur, composuit, & unicuique tempori tam Quadragesimæ quàm Paschali cum altariorum operturis proprias aptavit.

Tempore autem illo venerabilis EREMBERTUS honestatem & religionis ordinem cupiens in Ecclesia augmentando exaltare, ob difficultatem, molestiam & tumultum, qui Fratribus oriebatur, divinis in meditationibus præoccupatis ex doctrina puerorum scholam à loco removens, eam in Hasteria esse disposuit, puerósque ibi usque ad tempus* ordinationis beati Benedicti nutrire præcepit. Deinde adolescens quidam, nomine RODULPUS, de Valciodoro assumptus, puerorum Magister ab eodem Abbate Eremberto in Hasteria constituitur; & postea in eodem Præpositus ibidem constitutus præficitur.

* *Scilicet ad 15. annum.* Regulæ Cap. 70.

Desideranti verò studio quoniam omni tempore vitæ suæ decorem domus Dei dilexerat venerabilis Erembertus, excogitare cœpit quibus sumptibus Ecclesiam Valciodorensem posset exaltando dilatari, & quomodò secundùm quantitatem ædificiorum recenti renovatione à se constructorum luculenti coaptatione renovaretur &

decenter. Congregata igitur diversorum sumptuum copia innumerabilem providentia sua ad hoc opus explendum acquisivit pecuniam, quam ne per incuriam alicujus dispendii dilaberetur, eam conquirendo in manibus prudentium hominum collocare disposuit. Dispositis denique ordinatione sua industriis fidelibus, quia rerum familiarium custoditoribus sumptus, amplificationis, renovationis, atque futuræ constructionis templi diffinitio eos obligans sacramento custodiendos tradidit, ea videlicet conditione, ut nullius terroris conturbatione, nec .... deceptione substantiam prædictam ab aliquo dispergendo depopularetur, nec exuendo à manibus eorum in alios transiret usus, exceptis his pro quibus cum multo sudore, labore, atque parcitate eos congregaverat ipse venerabilis Erembertus.

In illis diebus etiam in Metensi confinio ex villa à B. Forannano Ecclesiæ Valciodorensi acquisita concambium factum est, & in Hasbaniensi pago in loco dicto Bronies, & in eadem villa allodium aliud dictum Bammenis facta vicissim commutatione sumptum est. In hac ergo commutatione de duabus vineis, de quibus superiùs mentio facta est, una cum domo prædicta, quæ Metis habebatur, transiit, & alia, quæ Valciodorus vocabatur, Ecclesiæ remansit. Hanc sanè sancti Vincentii Abbas jure hereditario assumens, ex ea se & suam Ecclesiam conditionaliter in Metensis Episcopi præsentia & curiæ ejus investivit: conditionis namque utrorumque Abbatum, atque Fratrum confirmatio, & ab eodem tempore ab utrisque partibus per succedentia tempora conservanda Constitutio talis est: Pro vinea quæ, ut diximus, Valciodorus vocabatur, quam de manu Valciodorensis Abbatis & Fratrum ejus perpetualiter detinendam, cultam, sufficientérque compositam, sancti Vincentii Abbas ad se traxit cum suo conventu expeditè, Valciodorensium pars ab illo die, & deinceps pro qualicumque necessitate Metis conveniens, hospitium præparatum in eadem S. Vincentii Ecclesia in loco ejusdem honestiori inveniet, & ad usus Abbatis Valciodorensis Ecclesiæ, & suorum se-

cum advenientium, per quindecim dies, si res necessitatísque occasio exegerit, obsoniorum necessaria de re pupublica ejusdem S. Vincentii Ecclesiæ ab Abbate ejusdem, vel à procuratore domus illius præparabuntur. Hæc diffinitiva Constitutio à tempore Abbatis Lamberti per succedentium posteritatem dilatata firmiter & absque motione contraria ab utrisque partibus custodita est, quæ nunc permanet juridicialiter in tenore suo.

Dominus autem EREMBERTUS virtutum gratiâ plenus, Christo fideliter adhærens, ipsi servire studuit indefessus, seséque ab humanis emancipans vitiis, per virtutum culmina apprehendere nitebatur immarcessibilem gloriam perpetui decoris. Arbitrio tandem divinæ dispositionis carne deposita, è mundo transmigrans Iudici suo spiritum reddidit, & pro fideli dispensatione, & suæ pastoralitatis tempore suarum ovium augmentatione, futuræ requiei recepturus jucunditatem, & credimus labore peracti operis transito, plenæ retributionis suscepit denarium. Igitur anno ab Incarnatione Domini MXXXIII. 1033. ejus destitutionis dissolutio facta est Valciodorensium mœroris exaggeratio, quoniam ab die depositionis ejus usque nunc in Valciodorensi Ecclesia hujus detrimenti non est reperta recuperatio, nec reformatione alicujus personæ sic utilis suffragatio.

Ne autem ob pastoralitatis viduitatem post ejus transitum Valciodorensis Ecclesia vacillando fluctuaret, sanxêre capitales Valciodorensis Ecclesiæ RODULFUM tanquam Monachum de Valciodoro in pastorem & dominum suscipere, qui è vestigio canonicali fultus electione, auctoritate utrorumque Episcoporum sublimatur. Ipse sanè normam justitiæ, quam sub doctrina sui prædecessoris exemplando animadverterat, ex parte adimplendo exemplare concupivit: nam infra officium Præposituræ Hasteriensis Ecclesiæ sumptus non modicos acquisivit, quibus ruinas Hasteriensis Ecclesiæ reformando novam construxit. Dehinc post biennium à transitu venerabilis Eremberti communi sorte mortalium ex hoc mundo transivit, lectóque decubans duturna supplicatione apud

VIII. Abbas Rodulfus.

Valciodorenses obtinuit, quatenus in ea quæ à se fuerat reformata Ecclesia, assensu eorum haberet sepulturæ tumulationem. Tempore enim illo si quis Monachorum in Hasteria obibat, ad Monasterium Valciodorense referebatur, ut secundùm superiùs dictum ibi tumulatus susciperet sepulturę officium, ubi antea susceperat professionis benedictionem.

Post hujus quoque discessum exorta est lis & contentio ex publica electione Valciodorensium; quapropter regali decreto domnus Popo Stabulensis Abbas, qui eo tempore cum Stabulensi S. Maximini Ecclesiam, & cum ea quamplures regebat, ad nutum Metensis Episcopi & hanc Valciodorensem regendam cum ceteris suscepit. Et quia virtutum gratia repletus, laudabiliter & sine querela suo tempore vivere conabatur, atque sine offensa & scrupulo, & contrarietatis motione secundùm antiquam constitutionem jura Ecclesiarum, sua sub dtione constitutarum, irrefragabiliter nisus est custodire, unicuique Ecclesiæ certis & assignatis temporibus propria distribuit, & adhibitis ad hoc opus explendum gnaris & industriis secum procuratoribus, unicuique domui proprium designavit.

IX. Abbas Popo.

In diebus illis domnus LAMBERTUS Treveris in S. Maximini Ecclesia, sicut Monachus ejusdem sub domno Pappone præpositurææ administrationem procurabat; & quia fideliter tēpore suæ procurationis ministravit, à præfato D. Pappone à Treverēsi Eccl. remotus, procurationis gratia ad Valciodor. adducitur. Enimverò res exigebat, quòd non solùm procurationis ordinatio, verùm omnis domûs deliberatio ad eum respiceret. Domnus Popo præbens ei pastoralem baculum, exuto se ab hoc privilegii officio, vix apud Regem Metensémque Antistitem obtinuit, ut in Valciodorensi Cœnobio vice sua collocaretur. Tandem seriem rationis trutinando Regalis magnificentia cum Episcopali auctoritate animadvertentes, conditionaliter voluntati ejus satisfieri adjudicaverunt, & supplicationem illius ea deliberatione susceperunt, quatenus regulariter incedendo prudenter disponat factus

X. Abbas Lambertus.

ctus Abbas domnus Lambertus de rebus Valciodorensis Monasterii, sin autem, in quacumque die à conditione præfata vacillando recesserit, pro ejus enormitate domnus Popo rursus erit, & pro detrimenti realitate domni Lamberti in Regis præsentia & Metensis Episcopi, Valciodorensi Ecclesiæ de damno illato se domnus Popo satisfacturum cognoscit.

Vt autem adeptus est domnus LAMBERTUS Valciodorensis Cœnobii privilegium, tempore domni Poponis in eo prudenter plurima disponendo rexit, & nimia urbanitate qua fulciebatur nobilium virorum levamen sibi complanavit cum adminiculatione. Cúmque rei familiaris gubernando intentus foret procurationi, ad excolendas vineas quas reperit super omnia operam dedit, & cum his alias recentes construendo colere disposuit.

In diebus autem illis major villicus de Hasteria cum universis Officialibus suis, & omni potestate ejusdem Hasteriæ, per annum tribus vicibus ad generalem concionem in Valciodoro conveniebat, & quoniam diebus illis annuatim Valciodorensium omnis circumjacens potestas certis & assignatis temporibus post Domini Natalitium, Pascha & Pentecosten congregabatur, discutienda audiendo & respondendo eadem Hasteriensis potestas de suis judiciis, sicut diximus, eisdem diebus cum ceteris conveniebat. Cúmque tempore quodam more solito conveniret Hasteriensium populus post Pascha in Valciodoro secundùm antiquam institutionem, ab eodem Abbate Lamberto inter Valciodorum & Hasteriam sub respectu Valciodorensis Ecclesiæ vinea structa colebatur, quæ diebus illis ab hoc sepiebatur murorum ambitu. Videns namque viros de Hasteria Valciodorenses nihilominus vocari præcepit, atque de rebus publicis se tractaturum ibidem disposuit, dicens alicui nullam facere injuriam, si in suæ potestatis banno, & in loco sub sua ditione constituto audiendus, responsurus necnon populus conveniret. Itaque ne scrupulus controversiæ ex hac occasione Valciodorensi Ecclesiæ oriretur, in die illa generaliter ne ibidem concionaretur, ei à Valciodorensibus in-

terdicitur, ſed reſpuendo monita eorum, & permanens in priori ſententia ibidem die illo uſque ad veſperam concionatus eſt: unde converſus retrorſum populus Haſterienſium ſecundùm tempus condictum poſt hoc in Valciodoro venire detrectans, ſcandalizandi occaſionem & initium contrarietatis ex hoc alloquio ſumpſit, & Valciodorenſis Eccleſia ex ſuo ſuæ dignitatis privilegio ſpoliata, ſuo tempore iſtius juris acceſſum cum populi conventu tali controverſia amiſit.

Ex hoc accidenti turbati Valciodorenſes actionem prætentam domno Poponi innotuerunt, & in hac parte à ſua dignitate ſpoliatam Eccleſiam oſtendentes hoc gravedinis & ſeditionis exordium illi lacrymabiliter conqueſti ſunt. Hoc audito domnus Popo vehementer commotus, illi* in Leodio diem conſtituit, & ad diem conſtitutam ex hac enormitate & eloquii infortunio reſponſurum ipſum venire decrevit. Cúmque pervigil infra conſtitutæ diei terminum domnus Popo ſuper ſuam* laboraret, cœleſti remuneratione pro ſuo labore ditaturus præmium ſupernæ jucunditatis recipiendo ex hoc mundo tranſiit, cujus finem auditu referentium domnus cognoſcens Lambertus ita fertur dixiſſe, demum ex iſtius propoſiti ratiocinio liberum me oſtendo, & quia Abbas ſum conſtitutus, per fortem Deum Abbas ero.

* *Id eſt,* Lamberto.

* *Adde* Eccleſiam, *vel quid ſimile.*

Accidit deinde haud multò pòſt, ut unus Monachorum nomine Viventius de Valciodoro profeſſus, & in Haſteria tempore illo commorans, ex hoc mundo tranſiret, cujus funus cùm ceteri ſecundùm antiquam conſuetudinem & conſtitutionem ferre in Valciodoro diſponerent, ipſe ne fieret interdicens dixit: hujuſmodi corruptionis putredo cur delatoribus vexationem faciens eundo & redeundo tædium fiat ignoro, cùm neutri ſit juris & poteſtatis in hoc Haſterienſi Cimiterio, ut in Valciodorenſi ſecundùm voluntatem & noſtrum mandatum ſibi locum ſepulturæ providere. Itaque vobis præcipio, ut hîc ei locus ſepulturæ præparetur, & Eccleſiæ Haſterienſi, cui vivens ſervivit, ex hoc etiam mundo tranſlatus poſt obitum adhæreat. Hæc eſt poſt primæ tranſgreſſio-

nis periculum altera enormitas, in qua Hasterienses suæ damnationis exordium & animarum suarum dispendium assumendo traxerunt: has enim quas juxta B. Benedicti decretum & normam facere professiones debuerant, ut in eis sanctificarentur Ecclesiastico jure, postponendo reliquerunt, & à die illa usque ad hanc benedictionem, qua Monachorum sanctificatur Ordo, suscipere renuerunt. Ne verò contra veritatis tramitem incedere videamur, & à quibus subsannamur ex commẽto falsæ opinionis inaniter dijudicemur, testimonium illorum in medium proferimus, qui ea non solùm oculis viderunt, verùm operando manibus propriis tractaverunt. Hi nobis verissima relatione quadam ex parte materia fuerunt, quocirca quorumdam illorum nomina censuimus hic inserenda, auctoritas quo magis convalescat. Extitit namque ex his unus noster didascalus Reverendus Richerus, alter pauper Iohannes, Fulbertus quoque qui in suo tempore dives est appellatus, & cum eis opiniones eorum veráxque relatio, qui de eadem ætate memorata veraciter referebant. Hęc enim omnia nugalis rumor eo in tempore aures omnium nostrum personabat.

In diebus illis substantia à Venerabili Eremberto Abbate præfata, quâ templi structura dilatanda atque renovanda erant; supellex quoque varia, & multimodarum rerum collectio supererat, quo fieret concors futurum fastigium templi ad mensuram quantitatémque futurorum ædificiorum. Et quoniam isdem Venerabilis vir futuri operis copias in industrîum virorum tutela collocaverat, atque sub firma protectione ita regebantur, quo ne timore amoréque usibus alterius rei subjacerent, Domnus Lambertus ne machinamento alicujus occasionis prædicta substãtia deflueret, deliberavit propositę actionis excellentissimi Eremberti cõplere desiderium. Sed nostræ partis in hac etiam actione non defuit dispendiũ: Conventus enim ille qui quotannis in translatione B. Eloquii congregabatur, de quo & superiùs sermo est habitus, ex hoc opere scandali sumens occasionem, retrocessit, dicens eo in loco gravem fieri controversiæ enormitatem, quòd

in tam solenni die ad quā confluebant diversarum plebium catervæ, ausus sit quis ruinam facere, & in hac à suo statu templi ædificia removere. Die enim eodem in tanta populi frequentia ab hoc templum est eversum, & annualis convenientium devotio est redacta in nihilum, atque reddere postposuit antiquo more debitum obsequium gens & populus diversarum regionum. Quid plura? tribus ab eo demptis nobis præcipuis & congruis honoribus, nobis non profuit, & nostris Hasteriensibus in his periculis suarum animarum inimicitians multum obfuit. Revera contra Deum & regularem observantiam hoc, inquam, controversiæ enormitatem ita induxit, quatenus pro contradictione atque superstitione, quam contra auctoritatem Romanæ Ecclesiæ, decretíque Domini Apostolici ex eorum cimeterio ebulliit, regularem benedictionem postponerent, & suo more viventes ab illo tempore usque ad nostrum ita permanerent. Vulgus nihilominus ex eadem villa, quod statutis temporibus ad hoc Cœnobium confluebat, contra salutem animæ & corporis agens præcepto illius antiquum morem dereliquit, obedire detrectans præcepto decretóque Romanæ Ecclesiæ, & Domini Apostolici, atque statuta illius contemnens à die illo usque nunc per iter inobedientiæ graditur.

Completo exinde murorum ambitu, & diligenter atque mirificè venerabilis Monasterii compaginatione sublimata in interiori ocello, sedula meditatione Domnus Lambertus cœpit perscrutari à quibus & quomodò celebre nomen & antiquum Ecclesiæ renovari possit. Tempore siquidem illo parochialis Ecclesia in hoc Cœnobio non erat, sed B. Forannano & suis successoribus à Romana Ecclesia & suis capitalibus concessum fuerat, quatenus super populum loci istius vices ministeriúmque Pontificis per omnia ut super claustrales interiùs, ita quoque super Laïcos exteriùs expleret. Quapropter in diebus illis à latere Abbatis Capellanus non deerat, qui in eodem Monasterio vice Abbatis curam gerebat, & ad nutum illius cetera disponebat. Verùm Domnus Lambertus hoc privilegium contumeliam fore assignans, sub sarcina jugó-

que tali se diu comprimere non ferens, maturè se ab hoc absolvit, atque juxta Monasterium ipsam quam nunc habemus in honore S. Michaëlis Ecclesiam construxit.

Deinde qualiter ad plenitudinem perpetuæ stabilitatis procederet excogitari cœpit; non enim vacua portio superat Ecclesiæ nostræ, quæ sine dispendio removeretur ab antiqua constitutione. Rebus itaque instantibus undique circumspectis, de præbenda Fratrum ex indominicato mansu* hujus villæ eam portionem substraxit, qua dote designata, constructam à se Ecclesiam, veluti in præsentiarum dotis ejus dilatio ostendit, magnificè nobilitavit. Leodiensis deinde Pontifex dominus Detuinus locum consecraturus ab hoc invitatur, atque ad complendum talis actionis negotium innumerabilibus præparatis expensis, ab utrisque partibus celebrandus dies statuitur. Ergo in capite Calendarum Octobris istius celebrationis decus initiatur, venerabilisque templi majus altare in honore sanctæ & individuæ Trinitatis, & sanctæ Crucis, atque Genitricis Dei & duodecim Apostolorum, beati necnon Proto-martyris Stephani, sancti quoque Vincentii* Leodegarii Martyris, à supradicto Præsule consecratur. In templi verò dextera sinistráque, & crypta in die præfata ab eodem tria consecrantur altaria, in quibus re & nomine patrocinia diversorum adunantur Sanctorum. Altare verò in facie ingredientium à parte Claustri in honore beati Iohannis Evangelistæ, necnon & beati Iohannis Baptistæ & beati Stephani Papæ dedicatur. Altare exinde in honore beati Andreæ Apostoli, Felicis Papæ & Martyris, Calixti Papæ & Martyris, Mauricii Thebeæ legionis Ducis, & omnium Sanctorum, cum sua Basilica oleo consecrationis inungitur. Aliud autem in leva Monasterii ad honorem Christi Confessorum Martini, Nicolai, Benedicti, Silvestri, Gregorii benedicitur. In sequenti præterea die Altare & Basilicam superiùs memoratam, quæ propter villam & Monasterium ab eodem Abbate memorata constructa fuerant, in honore S. Archangeli Michaëlis, & sancti Patricii Confessoris, necnon & beatę Cæciliæ Virginis ac omnium Sanctorum

f.* manso.

f.* & Leodegarii Martyrum.

consecravit. Beati verò Eloquii translatio antiquam dignitatem retinens in ea permansit stabiliter, quam antea domni NOTGERI industria ordinavit, & ut ipse celebrabilem reliquit; sic etiam domnus BETUINUS ejus solemne decus octavo Idus Octobris reformando celebraturum constituit.

In diebus autem illis ad hoc Cimiterium nobilium Florinensium funera antiquo more, sicut superiùs præfati sumus deferebantur, quod utilitatis commodum etiam Ecclesiam spolians eam in hac parte hac ratione læsit. Accidit fortè quòd quidam eorum hominem exuens ex hoc mundo transiret, cujus funus dum ejus successores ad locum sepulturæ disponerent defferre, obviavit Domino nostro Lamberto Florinensis Abbas nomine GONZO, & dum ex prædicto funere sermocinantes ad invicem conferrent, ita præfatus Florinensis Abbas nostro intulit: Cùm nullius utilitatis commoditas ex his cadaveribus vobis proveniat, nostris consiliis assensum præbete, & sepulturam eorum nobis concedite, vósque ab hoc fatigationis tædio expedientes hac pro recompensatione hunc equum ingentis fortitudinis ad usus vestræ Ecclesiæ assumite. Sic denique talis diffinitionis concessio, nostris facta est horum diminutio, destructióque maxima futurarum rerum eventus per effectum fortè succedentium.

In tempore etenim præcedenti ex his nobilibus quædam nobilis matrona nomine ALPAIDIS voto præcordiali ad hunc in vita sua confugiens locum, in eo deliberans suæ dispositionis expectare terminum, villam Roleriam, & quicquid in ea juris habebat nobis liberaliter tradidit. Disponente ea interea amplioribus beneficiis locum exaltare; sed ab hoc voto cujusdam Monachi quædam improba stultitia retraxit hoc ordine. Cùm de republica ejusdem Ecclesiæ prudenti diffinitione portionem sibi constitutam perciperet, accidit fortè quòd suus nuntius Fratrum portiones anticiparet,illéque ejus de piscibus acciperet ferculum, & prædictus Monachus eo die amitteret suæ portionis ferculum: Cúmque ob id graviter perstreperet, ejus strepitus ad Dominæ pervenit aures,

quæ hac motione in indignationem conversa recessit à loco ejusdem, faciens de seipsa detrimentum irrecuperabile. Exinde Domnus Florinensis GODEFRIDUS ob suæ salutis remedium de suo proprietario liberam nostræ Ecclesiæ donationem faciens, redditum duorum solidorum in Harneis illi tradidit, & ut Fratribus quotannis in sua rememoratione administrentur per succedentia tempora instituit.

Diebus siquidem illis super Letiam flumen in castro dicto Greteri quidam nobilis Comes nomine THEODERICUS una cum sua nobilissima conjuge ERMENGARDE habitabat, de cujus nobili prosapia Fennienses Theoderici æquivocali successione originem traxerunt. Isti denique adjutricem in opportuna necessitate beatam sibi adesse MARIAM in hoc Valciodorensi Monasterio sub ejus protectionum alis fore sepulcrum decreverunt, & de beneficiorum suorum redditibus præbendam Fratrum ibidem Deo servientium ut nobiles nobiliter ampliaverunt. Dominus enim Theodericus in confinio Fallemaniensi in vico dicto Iuvonia, partem alodij quatuor modios in redditu quatuor solidorum prefatæ Ecclesiæ tradidit, & ut Fratribus per omne succedens tempus singulis annis ministrentur, instituit. Venerabilis nec non ERMENGARDIS Comitissa uxor ejus in Solonia, quæ prope Dinantum adjacet, in reddditu decem solidorum congruum Ecclesiæ huic alodium quatuor scilicet mansos terræ, quod in usibus præfatorum Fratrum decrevit succedere per omne tempus.

Sub eodem tempore in castro Femuensi illustris Domina nobilis mulier nomine GERTRUDIS prima de Femuensibus fideliter huic Ecclesiæ adhæsit, & benevolentia suæ devotionis illi largitionem nobilis doni adhibuit, & ob suorum peccaminum remedium sub ejus protectione confugiens sibi suisque successoribus instituit in eodem loco fieri sepulturæ domicilium. Igitur ejus pronepos nobilis IOHANNES ex eadem prosapia & ex eodem castro illi in hoc suæ benevolentiæ studium occurrens, sibique Genitricem nostræ redemptionis in omni necessitate quæ-

rens affore, ad complendum opus divinitus conceptum manum apposuit, villam Borsium invicem in redditu octodecim solidorum nobis tradiderunt, exceptis accidentalibus quæstibus & familia ex diversis eventibus frequenter qui accidunt in Ardennensi provincia: Ecclesia enim ejusdem villæ decem, villáque octo solidos redditus reddere debebat omnibus diebus, quem propterea hîc annotavimus ne ab aliquo aliquando Ecclesia aliquod patiatur detrimentum injustè.

Huic sub eodem tempore quædam nobilis mulier HERINSINDIS nomine ex antè dictis Florinensibus, in hoc Valciodorensi Monasterio Genitricis Christi levamen quærens à facie inimici atque tribulationis futuræ, ejus sub alis devotè confugit, omniáque illius perpetuæ retributionis suavia ab ea quatenus inveniret, de suis beneficiis prædictæ Ecclesiæ cum quodam EILBERTO conjugis sui Fratre uterino donativum quoddam tribuit. Dedit enim tam ipse quàm ipsa in villa Erchevelles, in qua in honore B. Medardi habetur Ecclesia, in respectu quatuor solidorum duas quadras terræ, quas annuatim usibus Fratrum ibidem Deo servientium omni dehinc tempore nobiliter decreverunt subesse.

Interea quidam Vidricus de Romereis nobilitatem suam decorare nitens militari studio vitam præsentem armis ornavit, & ob diversorum casus reatuum vinculo excommunicationis irretitus in eo usque ad terminum suæ mortis permansit, sícque ex hoc mundo cum priori sententia transivit. Verùm antequam decederet à suis familiaribus præcordiali precatione obtinuit, quatenus in præcinctu Valciodorensis Ecclesiæ ut in eo sui corporis sepultura fieret, deferretur, ita duntaxat ut signo crucis turris ipsius Ecclesiæ à suis delatoribus agnito ibidem è regione Ecclesiæ sepeliretur. Ipse denique ne omninò apud matrem Ecclesiæ haberetur ingratus, in eadem villa Romereis in respectu quindecim denariorum Valciodorensi Ecclesiæ partem alodii dedit, dans ibidem congruentem familiam & honestam. De qua quædam puella ad nos transitum faciens, quam quidam Præzeriensi

ANSELINUS

Anselinus sumpsit in conjugium, de quibus haud multo pòst grandis turba populi consurrexit, qui à supradicto Anselino & puella memorata, Querentia nuncupabantur, originem traxerunt.

In tempore eodem quidam Evardus in hoc Monasterio à parentibus traditus est nutriendus, ut pòst in sanctæ conversationis observantia vivens regulariter conversaretur. Cúmque secundùm regulam S. Benedicti pro puero prædicti parentes suam petitionem facerent, & in Rouz tam pro se quàm pro eodem respectum duorum solidorum nobis tradiderunt. Omníque tempore deinceps Fratribus annuatim in eodem vico eundem respectum suscipere constituerunt. Cap. 59.

In diebus etiam illis Domini ex Rovoniensi castro huic Ecclesiæ fideliter adhærentes ex redditibus suorum beneficiorum Fratrum præbendam nobiliter ampliarunt, omnísque illius progeniei successio in maximæ venerationis honorificentia hanc ceteris prætulerunt, & in ea conditorium instantis & futuræ successionis suæ funerum constituerunt. Ex his unus nomine Isaac ex suo jure huic Ecclesiæ Valciodorensi oblationem faciens in Mahiert partem alodii tradidit, hócque sub respectu quatuor solidorum illi subjecit.

Eodem tempore de nobilibus de Nova-Villa in pago Fameniensi sita Waltelinus quidam ob tyrannidem suam perpetuum periculum metuens & futuram examinationem, Genitricis Christi levamen remediúmque quæsivit, qui de propriis redditibus honorificentiam faciens in villa Gessimilus suæ ditioni subjectam alodii partem dedit, cujus respectus in hoc Valciodorensi Monasterio quotannis Fratribus triginta denarios solvit.

Fuit interea in his diebus de Namurcensi familia quidam Hodebaldus, cujus filius Theodoricus de Bodello in Namurco, filiam habuit nomine Herisindem quam quidam Balduinus de Horia sumpsit in uxorem. Hic itaque cùm suæ vitæ enormitatem considerasset, fontem misericordiæ beatam videlicet Mariam suis enormitatibus opposuit antidotum, quo salutari ejus tuitione liberaretur.

ab incendiis perpetuæ damnationis. Igitur pro divina recompensatione sibi futura, quam opportuno tempore & die tribulationis haud sibi dubitabat affore si promeretur, in vico dicto Chrestevin ob venerationem Christi Genitricis Valciodorensi Ecclesiæ partem alodii tradidit, duósque solidos in respectu illius Fratribus ejusdem Ecclesiæ quotannis solvere constituit. Hæc de tempore Domni Lamberti Abbatis atque rebus acquisitis amplificatione, sine diminutione & infra terminum suæ pastoralitatis accidentalibus casibus & periculosis anfractibus dicta sufficiant.

Quomodo verò cimiterium istius Ecclesiæ ante exitum suum ambierit, testis fuit conscientiæ suæ cordium scrutator Deus: Verùm ne hoc præteriisse inaniter videamur, ob testimonium referentium muniménque futurorum hic adnotare decrevimus. Ipséque denique veluti accepimus cum crebris ante exitum pulsaretur infirmitatibus frequenter huic Ecclesiæ adhærebat nitens ibidem corporis exuvias relinquere; quod sicut suo versabatur in voto satis fideliter opinabatur militavisse. Enim verò ut post eventus rerum aperuit, sollicitudo humanæ dispositionis nil valet contra consilium divinæ dispensationis. Vocationis igitur suæ adveniente tempore ultimum sorte ei in Hasteria finis clausit diem, & impediente accidentali difficultate necesse fuit ejus corporis glebam ibidem mansionem accipere.

Quid autem in suis diebus ei in Hasteria contigerit paucis explicabimus. Notitiam itaque Principum suo tempore sollicitè procuravit, & semper in eorum præsentia cum eis frequenter adesse desideravit. Cúmque die quadam Bullonis ante Bullonensem Ducem astaret, Dux GODEFRIDUS ex pestilentia suorum equorum conqueri cœpit, atque ex hac à circumstantibus consilium sciscitatus est. Cui à Domno nostro Lamberto tale consilium confestim datum est: Beati Nicolai suffragium, optimè Dux, hac pro pestilentia requirite, & confestim liberabuntur ab hac invaletudine. Requirit interea Dux quò ejus memoria haberetur. Duci respondit; in Valciodo-

rensi Basilica in honorem S. Nicolai consecrata continetur una ara. Tandem Dux ex sua supellectili in Valciodorensi Basilica ob honorem S. Nicolai suorúmque salutem equorum per præfatum Abbatem optimum pallium transmisit, quod usque nunc in jam dicta conservatur Ecclesia.

Revertens autem à Bullone fortè per Hasteriam transivit & in ea antequam huc rediret unius noctis tempore pernoctavit: Cúmque more solito matutinali adveniente hora Missam celebraturus altare sibi præparari præcepisset, præfatum desuper altare pallium poni præcepit, quod divinæ celebrationis mysterio completo ad locum destinatum transferre disposuit. Verùm nostri Hasterienses injuriam sibi fieri judicantes, affectum contumelia prædictum Abbatem cum jurgio pallium retinuerunt, & sæpè jam dictum Abbatem armis aggredientes unanimiter cum laïcali manu obsidendo clauserunt. Cùm autem clausus ab his in suo cubiculo teneretur, cum summa velocitate ab eodem in Namurco dirigitur nuntius, quatenus veniente Namurcensi Comite ab hac insolenti circonventione erueretur. Veniens itaque Namurcensis Comes ALBERTUS, pater Comitis GODEFRIDI, diligentérque rem investigans consideránsque nimiæ procacitatis insolentiam grave judicium in eos exercuit, quoniam quosdam orbatos, quosdam verò cauteriatos, nonnullos verò demptis pedibus claudos reliquit.

Domno LAMBERTO viam universæ carnis ingresso Valciodorenses pari consilio canonicam electionem facere decreverunt, & de suis qui eis præesset unum in pastorem & dominum secundùm primam institutionem sibi imponere condixerunt. Igitur canonicali auctoritate undique ventilato negotio utriusque partis in hoc convenit consensus, ut Valciodorensis Monachus domnus GODESCALCUS Abbas in regimine ejusdem Ecclesiæ præficeretur. Dictum & factum. Verùm nactus juxta deliberationem Fratrum, eorum regimen, res publicas ······ quas suis voluntatibus haud multò pòst subesse disposuit. Cùm verò votis præcedentibus prospera succederent, & Godescalcus XI. Abbas eligitur.

sibi sine aliqua contradictione cuncta bona maláque subjacerent, proprii cordis secutus est arbitrium, sícque ex parte res sibi commissas deduxit ad irrecuperabile commerciũ & detrimenti & diminutionis lacrymabile infortunium. Huic velata affinitate quidam Leumensis ENGELBERTUS conjunctus est, adeò ei præcordiali familiaritate adhærens, ut non solùm ex rebus transitoriis, verùm etiam ex existentibus perpetímque manentibus ab eodem superabundanter ditaretur. Distractis siquidem contra fas sibi commissis rebus Ecclesiasticis, potestate qua valuit Abbatiæ curias omnes deturbavit, præfato Engelberto de unaquaque portionem tribuens. Ipse autem ne criminaretur ab aliquo se hæc injustè fecisse, puellam quandam nobilibus ortam natalibus Ecclesię acquisivit, quam ipsi Engelberto in uxorem tradidit: ipsi prętereain dotis adnumerationem hæc contulit, quæ venerabilis Comitis EILBERTI devotione & industria Ecclesiæ fuerant oblata, quę etiam Apostolicæ auctoritatis sub gravis ligaturę excommunicatione indeterminabiliter contra omnes, qui fraudem moliri cupiunt de rebus supradictis, tuerentur canonica defensione. Vt enim damnosam distinctionem* per eum factam futurorum cognoscat successio, hujus detrimenti seriem partim explicabimus. Dedit illi in hac villa in vico Lemniensi per quatuor capita culturæ quatuor bovarios terræ arabilis. In Antina decimam lini, de qua antiquitus suebantur panni Fratrum cum quibusdam ejusdem curiæ eulogiis. Ab Heydra verò unum vicum semovens ex integro cum suo molendino, & mansionariis, præfato ENGELBERTO feodali dote tribuit. Sícque curia demembrata congruum Valciodorensi Ecclesiæ alodium abstulit. In Roseria Loytres & Bromes, & aliis curiis tantam exercuit destructionem, omnia illi tribuens quę non solùm non sufficerent sibi soli, verùm de quibus more magnatum feodatos faciens nonnullos sibi servientes acquireret.

f. * distractionem.

In tempore illo accessit ad eum quidam suus consanguineus, nomine ANSELMUS, efflagitans ab eo ut in hoc Valciodorensi Monasterio germanos fratres, scilicet fi-

lios suos susciperet, atque norma institutionéque beati Benedicti victuros enutriret. Huic definitioni assensum præbuit præfatus Abbas. Prædictus enim Anselmus ut nobilis nobiliter faciens pro puerorum donatione secundùm beati Benedicti Constitutionem, Genitrici Christi in Valciodorensi Monasterio cum oblatione pueros obtulit, quorum unus dictus est ALBERTUS, alter ANSELMUS. Dedit præterea in pago suo Ardenna, in confinio scilicet Bastoniæ, villæ medietatem, quæ dicitur Holengia, & in ea mansum indominicatum cum pratis aquarúmque decursibus, & familiam & sylvam ingentem. Ex residua sanè medietate villæ cùm plerumque sermocinarentur invicem sub quadam taxatione pretii, assensum cuique parti alternatim prędictus Abbas, Anselmúsque præbuerunt. Abbas enim pro comparationis expeditione jamdicti alodii viginti quatuor marcas supradicto Anselmo tribuit, dans cum illis optimum cornu eburneum, quod in Ecclesia cum omni diligentia inter cetera ornamenta conservatum ab aliquo tempore fuerat. Sic denique tradita est, & nobilibus testimoniis transivit in legitimam possessionem Valciodorensis Ecclesiæ Holengia, in qua eo tempore exceptis accidentalibus quæstibus, pratis, sylvis & terris indominicatis, viginti quatuor solidi Leodiensis monetę ex respectu mansionariorum habebantur. Regulæ Cap. 59.

Tempore illo in Hasbania in silva Cipeleis juxta Bromes alodium, mansionarios, reddit úsque hæc Ecclesia habebat, sed ob Rusticorum contradictionem plerumque census reddituum ····· præveniebant: Cúmque frequenter de obstinatione talium Fratres conquererentur, quidam GODEFRIDUS vir nobilis de Serem ex Heria concambium se facturum ex prædicto alodio spopondit, si rationabiliter mutuæ partis census necterentur. Altrinsecus itaque re prudenter ventilata convenitur in una adstipulatione utrorum voluntas, dante præfato Godefrido Heriam assentientibus huic mutationi sua uxore HERMENTRUDE cum natis suis WALTERA, HALINO, GODEFRIDO, HENRICO, suscipientéque eodem Cipileis

cum ingenti pecunia. Hęc autem HERMENTRUDIS de nobilibus orta filia extitit HUGONIS de Gabelo, de cujus successione ipsi Godefrido Heria provenit, quæ etiam nobis in villa Mazeio pro animæ suæ redemptione in respectu septemdecim denariorum partem alodii tradidit. Iste autem Gabilonensis Hugo quatuor habuit filios, è quibus unus dictus est HUGO Poëtemus, alter WILDERICUS de Ripa, tertius WALTERUS de Heria, quartus verò noster fuit Abbas THEODERICUS secundus. Interea de supradictis Nobilibus ex Rovoma quidam HUGO hominem exuens in Hunay tres solidos Leodiensis monetæ quotannis nobis assignavit, & in cimiterio Nobilium de Valciodoro sui corporis exuvias requiem habere disposuit. Ex hoc verò Hugone quædam filia extitit, quæ IMMA nuncupata est, quę etiam pro sua salute sollicita Genitrici Christi Valciodorensis Ecclesiæ, in eadem villa de Hunay triginta denarios tradidit. Hanc quidam GOSOLDUS de Tier accepit in uxorem, & hæc ex eodem marito filium habuit, in patris memoriam appellavit Hugonem. Iste HUGO avi sui non immemor beneficii existens, nec in voto impar illi apud Genitricem Dei apparere volens, in eadem villa de Hunay Fratribus Valciodorensibus singulis annis Leodiensis monetæ quinque solidos constituit, deprecans in eodem Monasterio post suam depositionem corpus proprium collocari. Hic autem in primitivo suo tempore de Nobilibus ortam secundùm genus suum quærens uxorem nobili conjunctus est: Tradita enim est quædam HADUIDIS quæ fuit orta de Orrisino-monte, filia scilicet nobilis GILLEBERTI. Hic autem Gillebertus secundùm sæculi dignitatem magnæ auctoritatis extitit, duósque filios totidémque filias habuit, quibus hereditario jure quæcumque sibi paterna successione provenerant, dereliquit.

Ne autem aliquando ex inani superfluitate criminemur, quòd supervacua hujus viri descriptio fiat, constat admodum fore necessarium præsentis rei denotatio, quoniam pedetentim ab hujus viri heredibus ex suis hereditatibus præsens Ecclesia non modicam consecuta est por-

tionem ; veluti pòst ſtylo currente aperietur. Geminæ enim tam nomine quàm conſanguinitate prædicto filio fuerunt filiæ, nam ſub appellatione hujus nominis ut prima ſic & altera dicta eſt HADUIDIS, ut præfati ſumus, una conjugem habuit HUGONEM Renomenſem ; altera HERIBRANDUM de Hugia. Haud ſiquidem multo pòſt tempore Genitrici Chriſti fideliter in hoc Monaſterio Valciodorenſi adhærentes unà pari deſiderio convenerunt, & in confinio Verciſ-montis Beatæ MARIÆ villam dictam Verere tradiderunt. Verùm ne ſcrupulus alicujus controverſiæ ex ſua donatione Eccleſiæ oriretur aliquando, donum à Nobilibus nobiliter traditum, nobilium virorum fratrum ſcilicet ſuorum GODEFRIDI de Vrciſmomonte, & GODESCALCI de Cemiaco teſtimonio confirmarunt, dantes pariter in Gedina quæcunque ſibi paterna ſucceſſione provenerant. Sic ab his duabus ſororibus Verere ſine aliqua contradictione Eccleſiæ noſtræ data eſt, & in ea quæcunque erant, manſus indominicatus, prata, ſylvæ, piſcatio prolixa, reddituum cenſus, familia. Exhinc Godeſcalcus de Cemiaco frater earum habuit filium nomine GODESCALCUM qui Genitrici Chriſti in hoc Valciodorenſi Monaſterio partem illam quam habebat in Gedina hoc ordine dereliquit. Ipſe ex proprietate Eccleſiæ tres marcas accipiens pro hac pecunia præfatum obſidem collocavit alodium, ea ſcilicet conditione, quatenus reſpectu ejuſdem alodii pro ſuorum expiatione peccatorum Fratres recipiant quouſque à ſe & non ab alio de ſua pecunia & non de extranea redimatur.

Supereſt autem dicere de Renomenſi Haduide jamdicti Hugonis uxore. Ex ſupradicto namque marito ſuo quatuor habuit filios, quorum hæc ſunt nomina ; THOMAS, WALTERUS, GERARDUS, & GILBERTUS, qui nobilitatis urbanitate qua fulciebantur huic Eccleſię caritatis gratia adhęrentes fidelia dona contulerunt : è quibus Walterus in mortis anguſtia poſitus amicorum circumventione in hujus Eccleſię cimeterio precatus eſt ſe ſepeliri ; qui de rebus domeſticis ſuis Eccleſiæ donationem fa-

ciens matre & fratribus consentientibus, in testimonio eorum Leodiensis monetæ quinque solidos & denarium unum in jam memorata villa Hunay per omne tempus Fratribus de Valciodoro annuatim suscipere instituit. Tres verò residui Fratres in succedenti tempore modo dissimili & ordinatione rationabili in hoc loco sanctæ conversationis habitum susceperunt, & de rebus unusquisque secundùm suæ quantitatis mensuram Ecclesiam honorarunt. Domnus scilicet Gerardus tempore domni Theodorici Abbatis, de Gedina octavam partem, quæ à materna successione sibi provenerat cum suis appenditiis, cum pratis, sylvis, aquarúmque decursibus, terris cultis & incultis, & copiosa familia huic Ecclesiæ tradidit, ut hæc omnia per omne succedens tempus legaliter permanerent Ecclesiæ, & ab ea firmiter tenerentur legalibus nobilibúsque testimoniis confirmavit. Verùm ne aliquando Ecclesia in hac donatione legitima vexationem patiatur injustè memorari decrevimus nomina testium, hæc sunt: HERIBRANDUS & HUGO frater ejus de Florinis, RODULFUS & frater ejus SIMNIGIVECURT.

Continuatio Chronici ab alio Auctore.

Contigit autem eodem tempore D. Abb. GODESCALCUM à præsentibus migrare ad Dominum, cujus sicut & aliorum cùm breviter & lucidè iste libellus actuum diligenti stylo exaratam contineat seriem, non incongruum videtur, si quod non digessit, quia nondum contigerat, ea fide & veritate quâ à religiosis viris qui adhuc sunt superstites accepi, litteris commendem, & ad rerum gestarum notitiam posteris legenda transmittam. Huic (quem præfatus sum Godescalcus de nostris & in nostro uti nostrorum consueverat antiquitas Capitulo electus) domnus WIDRICUS pari voto & communi assensu subrogatur: qui nobili ortus propagine nobilior moribus fuit, sed cùm hujus honoris gradui ob suæ humilitatis custodiam non acquiesceret se sublimari, vix tandem petioni Fratrum & honori, suæ in qua ferè à tenero ubere matris nutritus fuerat Ecclesiæ accommodans aurem, suscepit jugum Domini. Quod ipse probis exornans moribus multa egit, quæ si oblivioni non essent tradita relatu digna judicarentur.

XII. Abbas Vuidricus.

In

In diebus ejus florebat Ecclesia præsens arctâ religionis censurâ, & rerum temporalium affluentiâ, cujus fama tacti sapientes & litterati viri undique conveniebant jugo levi obedientiæ colla submittere, & cælestis haustu dulcedinis carnalis vitæ æstum refringere, ac dicere cum Propheta: *Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.* Psal. 62. 2. Hujus gustata suavitate dulcedinis magister WILBALDUS & magister RICHERUS sine ulla deliberationis mora præfatum Abbatem adeunt, atque illi æstus suos confitentes consilio ipsius vestem cum spe priori* mutant, Religionémque sub eo profitentur. f. *meliori. Extant magistri Richeri penes nos præclari monimenta ingenii in opusculis, quæ de translatione corporum martyrum Candidi & Victoris, & sanctarum Virginum Coloniensium edidit, qui in toto vitæ suæ tempore in schola virtutum Christi sub magisterio magis doceri quàm docere volens; hic Deo se vocante beato fine quievit.

Dominus verò WILBALDUS à Magisterio hujus Monasterii scholæ in Stabulensi Ecclesia ad idem officium accitus, non solùm illius, sed & Cassinensis & Corbeiensis uno in tempore Abbas extitit. Ipse antiquum Ottonis primi Imperatoris, in Curiis Imperatorum Lotharii & Frederici simul & Conradi Regis, novis & apertioribus impetratis privilegium renovavit, quorum confirmationem in Metensi B. Stephani Ecclesia, quæ & istius mater est & domina, conservari perpetuò constituit. Renovavit etiam privilegium Benedicti Papæ septimi, uti adhuc videri potest in nostri Monasterii thesauris, temporibus Apostolicorum Adriani & Eugenii tertii, quibus manifestè ostenditur, quòd Hasteriensis locus Valciodorensi Ecclesiæ tanquam Cella vel Præpositura, vel quocumque nomine dicatur, debet velut membrum capiti adhærere, & in omnibus obedire. Sed longè antequam hæc fierent domnus WIDRICUS supra memoratus Abbas ad beatarum sedes transivit animarum.

Cui successit domnus THEODORICUS secundus, cum pari omnium consensu à nostris sicut noster Monachus in nostro Capitulo absque partis adversæ contradictione XIII. Abbas Theodericus II.

Abbas præficitur. Multa ſub eo meminerunt geſta digna relatu domnus Walterus Prior, & domnus Lietbertus qui poſt eum tertius Abbas extitit, & quamplures quorum notitiam habere potuiſſem, ſi in hac tunc Eccleſia reſidens extitiſſem.

Eodem tempore quidam Miles egregius filius ANSELMI de Tier, frater THOMÆ & GERARDI, à matre HADUIDE ex Renomenſibus dominis ſuæ claræ ſtirpis ducens originem (quorum ſolerti ſtudio & pia devotione, hæc poſſeſſionibus in Flamennia augmentata crevit Eccleſia) IOHANNES nomine teſtamentum fecit, & confirmatum in pręſenti loco teſtimonio Nobilium roboraverat. Hic in bellicis rebus ſtrenuus habebatur eo rempore quo Reges ad bella ſolent procedere, ut nobilis & clarus in armis ſuum Regi Francię exhibuerat obſequium: moram autem eo ibi faciente, mors quæ juvenibus eſt in inſidiis & ſenibus in januis illum corripuit, & ad horam extremam veniens coram accitis nobilibus Regalis Curiæ, & ARNULFO domino de Tier unà cum Rege nominato jam dictum teſtamentum alodii de Neffia renovavit, & ita vitam finivit: & ex eo villam eamdem cum familia in jus & dominationem ſuam domus iſta tranſegit. Deinde aliæ quamplures aliis in locis ab aliis nobilibus villæ, redditus villarum, Eccleſiæ cum decimis & aliis proventibus ſuis maximè in pago Fammenienſi & à Renomenſibus dominis ſuis diebus nobis tradita memorantur.

Factum eſt etiam juris noſtri eodem tempore quidquid habemus in Daneles: quod datum eſt in Eleona accepimus à quodam Iohanne ejuſdem loci indigena. Hic ab utroque ſanguine ex nobilium Procerum proſapia genitus in hoc multo nobilior clariórque refulſit, quòd Chriſtum & piam Matrem ejus magis quàm ſuæ carnis propinquos optavit ſuccedere ſibi. Deſcriberem paulò diffuſius de eo quis & unde fuerit, ſi* ſtemmati Falemannenſium hoc ipſum reſervatum iri maluimus.

f. * ſed

Sed jam tempus eſt & ordo ipſe narrationis hoc exigit ut proferatur in medium, & ex ſuis involucris ne ſitu vel oblivione deleatur, ſalvo fulgore meræ veritatis, omní-

que rancoris & odii fomite procul depulso, præsenti historiæ inseram quid nostri Hasterienses attentare eodem tempore aggressi sint: non enim mentitus est qui dixit: Asperius nihil est humili cùm surgit in altum. Tempore quo præfatus sum domni Theoderici Abbatis, ab eo in Hasteriensi domo constitutus quidam Iohannes Prior fuerat, hic novitatum amator, & fraterni odii seminator cum alio collega suo perniciissimus. Inde accidit, ut per ducentos annos statutum fuerat lacunam quamdam jussu Abbatis ministrorum obsequio, ad quos antiquo jure Ecclesiæ hujus id agere spectabat, reparari, & ut capiendis piscibus aptior esset statuto tempore renovari. Quod audientes Hasterienses nostri memorati Prioris sui instinctu & consilio, à cujus etiam ore venenum hoc in alia majora & pejora præparatum flagitia hauserant, dicto citius advolant palos solo infixos evellunt, dirimunt cetera, & quidquid ibi factum fuerat dissipant & dispergunt. Non eos jus antiquum loci seu Abbatis reverentia, quod planè ignorare non poterant, ab errore & contentione præmeditata revocavit. Tamen pius Pastor benignè ovium suarum miseratus errores, non cessabat tum per se tum per vicinarum religiosas personas Ecclesiarum Hasterienses, ad pacem Valciodorensium Fratrum & ad subjectionem sibi & suæ Ecclesiæ debitam & eatenus absque calumnia exhibitam revocare. Extant in monumentum hujus rei apud nos reservatæ in uno volumine comprehensæ epistolæ, quas in executione hujus negotii Leodiensis Metensi, Metensis Leodiensi scripsit Episcopo, etiam Wilbaldi ad eosdem Episcopos, una Regum & Imperatorum CONRADI, LOTHARII & FREDERICI Metensi directæ Ecclesiæ & Episcopo ipsius. Quibus apertè datur intelligi quomodò memorati Fratres ad unitatem prædictorum anctoritate redire compulsi sunt, & subjectionis jugo quo nunquam caruerant denuo colla submittere. Ex hac ergo occasione accidit, & infra rebellionem istam post primum Ottonis primi Imperatoris privilegium antiquum & authenticum, jamdicta ad nostrum pêrpetuum decus & munimen emanare privilegia.

Quod ex facili tamen ab alio non potuisset impetrari, sed memorato Abbati nihil ab his Regibus vel Imperatoribus, quod justitiæ & servituti Imperatoris non obviaret, tunc negabatur, in quorum aula inter Principes serenissimus & inter amicos amantissimus conversabatur.

Eodem tempore contigit per manus domni Theoderici Abbatis beatorum Martyrum Candidi & victoris, & sanctarum Virginum Coloniensium corpora ad hanc beatæ semper Virginis MARIÆ transferri Basilicam. Sub eadem tempestate Prior Hasteriensis Iohannes nomine ante portam nostram littus Mosæ respicientem navi advectus transibat, quod cernens Abbas indignatus est Monachum suum quadam velut indignatione se non salutare, quem transiens vidisse poterat & cognovisse ante se pertransire; arctari eum fecit & infra claustrum istud custodiæ mancipari, donec precibus Comitis Namurcensis promissa priùs emendatione veniam obtinuit. Iisdem diebus diversæ supellectilis & rerum plurimarum ab antiquo congesta copia cum thesauris Ecclesiasticis tota defecerat, quæ inopia non solùm hanc, sed & nostram Hasteriensem suis pretiosis spoliavit etiam gemmis & auro claris ornamentis; qua etiam graviter invalescente domnus Abbas THEODORICUS appositus est in senectute bona ad patres suos.

Die sepulturæ ejus cùm statim fieri deberet electio, & Hasterienses in exequiis Abbatis defuncti adessent, celebrandæ tamen electioni futuri Patris subtraxerunt se, & regulariter convocati redire noluerunt. Prior verò hujus Monasterii videns eorum arrogantiam, & timens ne si differretur electio tumultus fieret, in domnum Stabulensem sæpe memoratum WILBALDUM Abbatem electionis suæ sententia toto annuente conventu confirmavit. Ipse verò post reditum suum à Curia Imperatoris (nam ibi per aliquot menses moratus fuerat) tunc hoc audito statim Valciodorum venit, & ab hoc onere sese humi prostratus excusavit humiliter, non tamen à loco discessit, donec consilio ejus sæpe dictæ Ecclesiæ Stabu-
XIV. Abb. Robertus. lensis Decanus domnus ROBERTUS subrogatus in Abba-

batem à Metensi Episcopo investitus, à Leodiensi benedictus, & ab utriusque loci Fratribus in Dominum & Abbatem ut decuit cum honore & reverentia susceptus est. Hic quàm idoneus & efficax in administrandis utriusque hominis rebus necessariis fuit: Fratres utriusque loci ab eo nutriti, & ad sacros Ordines per eum promoti noverunt, quorum nonnulli adhuc vivunt.

Ipse Falemannensem acquisivit Ecclesiam: hæc à fundationibus suis quatuor Sacerdotum ministeriis commissa eodem tempore ad tantam devenerat negligentiam, ut quatuor Clericorum officia vix unius Vicarii ministerio explerentur, loci possessiones de divini cultus exterminio usque adeò commotæ sunt (Nam tunc duobus Subdiaconibus & duobus pueris infra annos & ordines constitutis adscripta erat) ut eam spe meliorandi huic Monasterio, & ejus jam memorato Abbati Roberto legitima donatione, astante Namurcensi Comite H. & aliis Nobilibus, traderetur ea duntaxat conditione, ut discedentibus Clericis loco eorum Monachi ab Abbate inibi constituerentur. Dignum ergo duxi huic narrationi inserere participes alodii & possessiones fundi quorum donatione temporalia, quorum petitione spiritualia impetrata sunt.

Dederat primum tempore domni Olberti Episcopi GERULFUS & uxor ejus HERBAUDIS, & filii eorum HERBERTUS & WINANDUS, ut Nobiles testimonio Nobilium medietatem præbendæ investiti, tertiam partem ejusdem, ANSELMUS de Falemannia frater domni HELLINI* reverendi Treverensis Archipræsulis, pater illius qui nunc est Anselmi & fratris ejus GODEFRIDI jam defuncti. Item THEODERICUS & Godefridus filii Engelberti hujus Ecclesiæ servi reliquam quartam partem. Ex secunda præbenda præbuit idem Anselmus medietatem, dicti Godefridus & Theodericus fratres aliam medietatem. De tertia rursus Anselmus prænominatus quartam partem, THEODERICUS de Buillon & uxor ejus MATHILDIS alias tres partes. Item de quarta præbenda ANSELMUS quartam partem: ASCELA de Dantes matrona illustris alias tres partes; hæc fuit domini Hellini dicti Archiepiscopi

* Vivebat an. 1164.

& fratris ejus illustris viri Anselmi cognata : qui omnes unà cum IOHANNE illo qui nobis ea quæ apud Daneles habemus largitus est, si longa retro series repetatur tam in Clericis quàm in Militibus insignes invenientur.

Primo adventus sui tempore domnus ROBERTUS, quoniam adhuc nobis aliquid ex eo Ecclesiarum statum quem deformatum repererat dum in melius reformare satageret, obloquebantur ei quidam in hac domo de scientia ac genere suo præsumentes; sed ipse eorum parvi pendens arrogantiam, omnes ejecit donec debitis persolutis ac redditibus rebúsque omnibus in priorem statum revocatis, suos amicos faceret, & dilectos fratres quos priùs habuerat obloquentes. Tamen nunquam adeò utilis sicut Hasteriensi Ecclesiæ propter prædictorum arrogantiam. Hasteriam ergo cùm bonis omnibus suis nudatam invenisset à dilapidatoribus, studuit quæ juris ipsius esse didicit ab invadiatoribus eripere. Aderant ei fideles & optimi adjutores domnus Petrus vir bonus, & ab infantia sua sanctæ amator & observator Religionis, & Iohannes postea Præpositus. Contigit autem prędictum Abbatem pro apportato lucro suæ negotiationis audire Dominum dicentem sibi : *Intra in gaudium Domini tui.*

XV. Abbas Petrus. Hoc itaque rebus humanis exempto, iste de quo paulò antè feci mentionem PETRUS, de Hasteriensi domo primus ab utriusque loci Fratribus in Capitulo nostro concordibus votis electus perhibetur. Cujus ego actus & mores quoniam laudabiliter vixit non reprehendo, in hoc tamen satis reprehensibilis extitit, quòd decus illud & prærogativam honoris, qua hæc Ecclesia tanquam mater & domina illi antecessit de qua loquimur domui Hasteriensi, quæ ejus est filia, voluit vel annihilare quantum potuit. Multum hic quidem, quoniam Abbas erat & dominus, vel ad eamdem Hasteriam latenter & callidè semper transferre sategit. Abbas autem noster investituram ab Episcopo Metensi accipit, & in hac investitura hic ordo verborum servatur: *Do tibi* (verba sunt Episcopi) *donum Abbatiæ Valciodorensis & omnium pertinentiarum ejus*: quo accepto præstat electus religionem fi-

delitatis suæ. Idem Abbas non erat Monachus quia non professus. Consuetudo erat ei beatum virum Forannanum devotis & frequentibus exorare precibus, & ejus sepulcrum latenter & publicè invisere; expertus ejus opem erat in multis: quod si quis diffusiùs audire voluerit, legat miraculum quod in vita ejusdem Sancti continetur de reddita ab eo sibi sanitate; quo ipse Sancto singulis hebdomadibus pro sibi concessa sanitate unius Missæ officium quamdiu vixit devotè sicut promiserat persolvere non cessavit. Erat vir iste decora facie, stellantibus oculis, & proceræ magnitudinis, statura valde decorus, cigneóque ornatus candore, nescio quid cœleste & divinum se intuentibus tam facie quàm verbis & moribus prætendebat. Præterea frequentibus & devotis in Ecclesia insistebat precibus, & gregis sui curam Deo commendans. Appositus est autem in senectute bona ad patres suos, cui de nostris successit D. LIBERTUS. XVI. Abb. Libertus.

Sed ne in transitu & quasi viator mentionem ejus fecisse videar (quem infirmum, pauperem & rebus omnibus egentem & nudum ipse* in hoc Monasterio susceptum confestim dignatus est excipere suis adcitiis*) ejus actibus describendis immorandum mihi censeo paulò diutiùs, ne ingratitudinis ignavi redargutus vitio, inertis aut desidis inustus cauterio ignaviæ notam incurram. Fuit hic de quo sermo est claris ortus natalibus, quem à parentibus nobilibus & locupletibus huic beatæ semper Virginis MARIÆ Monasterio divinis mancipatum obsequiis, sui quos hic habebat cognati regularibus disciplinis & litterarum scientia affatim instruxerunt. Qui priusquam ad virilem pervenit ætatem divina ad hoc se vocante gratia Abbatis sortitus est officium & nomen. In hoc à recto tramite nimirum exorbitavit, quòd in Hasteriensi domo post sui prædecessoris exequias sacræ electionis munia passus est in se & de se celebrari. De nostris verò qui hoc scelus patraverunt, cùm Regum & Imperatorum super hoc capitulo præ manibus haberent privilegia, cùm suę antiquitatis jura non ignorarent, dicimus eos scienter & voluntariè peccasse, unde confidenter as-

f. * Petrus Abbas.
f. * adscitis

ferimus quia divinę examen ultionis non evadent.

Tempore suo MATHILDIS matrona nobilis cōsilio Franconis cognomento Lotharii Sacerdotis & Monachi hujus loci accessit huc, & dedit in eleëmosynam medietatem Ecclesiæ B. Martini de Mihaya cum decimis omnibus ad villam spectantibus; alodii autem totius medietatem acquisivit Ecclesia à filiis & heredibus suis quod divisum fuerat in quinque partes. Quam divisionem quia alio in loco me digessisse sicut acciderat memini, huic narrationi inserere nolui.

Elapso autem non longo tempore post hæc orta est inter Ecclesiam istam & Hasteriensem gravis discordia pro festivis diebus, in quibus Hasterienses de jure expetebant Abbatis præsentiam, duabus tantummodò exceptis solemnitatibus, Paschali scilicet & Ascensione; & pro hac occasione eousque processum est, ut ad præsentiam Metensis Episcopi, qui nunc fundi dominus & patronus utriusque loci habebatur, fuerit appellatum. Dehinc post festum omnium Sanctorum agente eodem Episcopo in Synodo, & partibus hinc inde constitutis, ad defensionem suam Hasterienses quoddam scriptum in modum Privilegii Alexandri Papæ protulerunt: hoc autem scriptum unde emanarat ne supervacuus rerum gestarum relator esse videar scribere supersedi. Nec prætereundum est quod dum hæc agerentur voluerunt Hasterienses Abbatem in partem suam trahere & secum habere, sed noluit ille, immo cunctis audientibus contestatus est se magis illi debere assistere Ecclesiæ quæ nutrierat eum, & religionis & scientiæ totius decorarat titulis, quàm illi quæ rebellis & inobediens ei esse nitebatur, quæ domina & mater ejus eatenus fuit, testibus privilegiis Imperatorum & Regum Romanorum, necnon & Romanorum Pontificum, quæ in ea ad judicium hujus rei conservantur.

Elapso deinde anno jam reversis à Romana Curia utriusque partis Legatis, cùm esset profectus D. Abbas LIBERTUS Leodium jam aliquantulum infirmus, & existente eo in Claustro S. Lamberti cœpit sensim viribus

corporis

corporis deficere; quod dum perciperet domnus WARNERUS Præpositus qui cum eo erat, voluit eum reducere ad hospitium, sed cùm jam essent in via illò revertendi in platea quadam cecidit, & ibidem expiravit, nec dubium quin sic eum Dominus vocavit, sicut illud Scripturæ dicentis: *Iustus quacumque* morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit.* Vt autem de ipso breviter commemorem, vix aut nunquam manus ejus libro carebat lectioni assiduæ deditus, exceptis illis horis quibus devotis insistebat precibus aut divinæ contemplationi. Sap. 4. 17. al. * si

Eo tandem sepulto in Ecclesia beati Laurentii in Leodio, cùm secundùm scita Canonum deberet fieri successoris electio in Capitulo Valciodorensi, & ad hoc agendum esset dies assignata, præripuerunt diem ipsum quidam de nostris novitatum amatores, & domnum WALCHERUM tunc Cantorem, Hasteriensibus Fratribus non vocatis, quibusdam etiam de nostris abeuntibus, Capitulum intrantes in Abbatem nominaverunt. Quòd cùm videret fieri domnus WALTERUS Prior de Rononia ausus eorum non ferens damnavit factum, ipsúmque electum & electores suos denuntiavit excommunicatos. Quod cùm domino HUGONI Episcopo Leodiensi fuisset intimatum, pro nihilo ducens processum, ausúsque temerarios prædictorum, & sententiam à Priore in eos latam confestim firmavit. Ipsi verò festinantes ad Metensem accedentes Episcopum, cùm non esset qui resisteret, multa precum instantia donum Abbatiæ obtinuerunt. Igitur investito domno VUALCHERO dono & honore Abbatiæ rediit cum suis concito gradu ad Valciodorenses. Cúmque ipse & sui eis qui sibi contrarii fuerant expulsionem, & multa alia gravia minarentur, domnus VUARNERUS Præpositus assumpto secum magistro Scholæ IOHANNE nomine, & Gerardo Monacho Hasteriensi adiit Leodiensem Episcopum, qui tunc in castro Hoyensi sanguine minutus erat, & conquestus ei insolentiam domni Vualcheri & sociorum ejus. His auditis Episcopus præcepit dictis Fratribus Iohanni & Gerardo

dictorum non curare audaciam, sed ut redirent ad domos suas, & convocatis utriusque domus Fratribus qui non consenserant præsumptioni dictorum, in Capitulo Valciodorensi jamdictum Varnerum Præpositum in Abbatem eligerent, & electum sine mora sibi benedicendum præsentarent. His memorati Fratres auditis cum lætitia magna reversi sunt, omnia sicut eis fuerat imperatum implentes. Sed domnus Valcherus hanc confusionem suam non ferens de nocte cum suis omnibus fugitivus abscessit, absconditis omnium campanarum batallis*. Hoc cùm factum fuisset secuta sunt damna hujus Ecclesiæ gravia & importabilia, adeò quòd multi dicerent domum Valciodorensem de cetero non esse recuperandam: sed Dominus qui malis omnibus novit finem imponere hoc modo finem imposuit. Obtinuit enim domnus Vuarnerus assensu utriusque Episcopi Abbatiam, concessa domno Vualchero toto tempore vitæ suæ curte de Hova cum omnibus pertinentiis suis.

Gal. * *Batans.* Tudicula, *unde* Batalare, decertare.

Domnus verò VUARNERUS tam strenuus fuit in administratione sua, quàm efficaciter congregata conservaverit, quámque prudenter dispersa congregaverit sequens sermo declarabit. Videns itaque domum suam multis & gravibus debitis oppressam, possessionum etiam non modicam partem invadiatam, cœpit debita singula minutè & paulatim annullare, ita ut infra septennium omnia quæ domus debebat solveret debita, & infra aliud septennium quod supervixit multa acquireret, necnon & præbendas Fratrum adeò melioravit, ut ipsis assignaret quadraginta librarum valorem ultra quàm Fratres accipere consueverant. Ipse etiam interfuit Concilio Lateranensi quod celebravit dominus INNOCENTIUS Papa cum septingentis Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, necnon & multis Ecclesiasticis personis diversorum Ordinum. Acquisivit in tempore suo maximam partem decimæ de Gedina. Obtinuit præterea litteras confirmationis à domino HUGONE Episcopo Leodiensi medietatem* decimæ de Nuhaya, quam acquisierat à PE-

f. * pro, *aut*, de medietate.

TRO Comite Autiſiodorenſi & IOLENDE uxore ſua, qui tunc Comitatum Namurcenſem tenebat. His & aliis piis operibus deditus graui morbo cùm laboraſſet à die qua reverſus fuerat à Romana Curia, omnibus Eccleſiaſticis ſacramentis circa eum peractis obdormivit in Domino.

Quo de medio facto domnus VUALCHERUS in pace ſucceſſit; cujus tempore multa præclara opera in hoc Monaſterio facta ſunt, videlicet porticus à majori Eccleſia uſque ad parochiam; & ſuper turrim tectum lapideum, quod procuravit cenſibus ſuis Frater Balduinus de Fiemvalle Sacerdos & Monachus noſter, cum quibuſdam aliis quæ antea jam procuraverat, videlicet vitreâ feneſtrâ retro majus altare, cappâ etiam de ſameto optimâ, menſáque auro & argento decoratâ, cum cruce & textu Evangeliorum: qui Monachus cùm hæc omnia faceret ſanctæ paupertatis amator in magna inopia victus & veſtitus ſeipſum conſtringebat. Acquiſivit etiam ad curtem de Fecheit terræ optimæ non modicum, quam priùs domus iſta non habebat. His & hujuſmodi bonis operibus deditus curſum vitæ ſuæ totum explevit, non tamen obiit tempore domni Vualcheri, ſed domni HENRICI qui poſt eum tertius ſucceſſit.

Domnus igitur Vualcherus cùm ad regimen hujus loci noviter acceſſiſſet, occurrerunt ei multa gravia ſcandala propter accidentia quædam. Nam PHILIPPUS Comes Namurcenſis, hujus loci primus, frater videlicet nobilis ELISABETH Reginæ Francorum, & BALDUINI Flandrenſis & Haionenſis Comitis poſtea Imperatoris Conſtantinopolitani, diem clauſit extremum, qui moriens Eccleſiæ ſancti Albini in Namurco, ubi ipſe ſeipſum diſponebat tumulari, partem illam decimæ de Nuhaya, quam domnus Vuarnerus Abbas à PETRO Autiſiodorenſi Comite & uxore ſua IOLENDE ſorore iſtius Philippi de quo ſermo eſt acquiſierat, delegavit. Sed quia domnus Vuarnerus jam ſibi eam fecerat confimari à domno HUGONE Leodienſi Epiſcopo, obtinuit eam domnus

Vualcherus multis & gravibus damnis huic Ecclesię irrogatis; cujus acquisitionis & retentionis labor totus incubuit in fratrem Alardum Sacerdotem & Monachum nostrum, tunc temporis Præpositum, filium Anselmi quondam villici hujus villæ.

Secutum est aliud grande gravamen, siquidem Frater Alardus, dictus de · · · · · · · tunc temporis Camerarii officium administrabat, qui cùm propter census paucos, quos apud Counig & Peio habebat, ad partes illas devenisset, rogavit eum quidam Presbyter Nicolaus nomine, ut ad villam de Daillies secum accederet visitandi gratiâ parochianum suum gravi detentum infirmitate nomine GONSELINUM; qui cùm simul ibidem accessissent cœperunt diligenter secum agere de salute animæ suæ, & etiam de ordinatione rerum suarum non enim filios habebat nec heredes. Quorum verbis æger diligenter intendens & devotè, nullius expectavit consilium, immo sicut & à Spiritu sancto inspiratum fuerat se & sua in manus dicti Alardi Deo & beatæ MARIÆ semper Virgini contulit, & accersito Abbate conversus factus paucis posteà supervixit diebus De cujus hereditate & rebus calumnias graves & longas sustinuit Ecclesia tam contra virum nobilem dominum ROGERUM Militem dominum Cimacensem, quàm contra cognatos & propinquos ejus de quo sermo est. Tamen modò divina misericordia disponente & in melius semper negotium promovente, quidquid dictus GONSELINUS habuit nunc in pace possidemus.

Per omne tempus quo hæc agebantur dominus VualCherus Abbas gravi morbo laborabat, quo nunquam caruit à die promotionis suæ usque ad diem obitus sui. Morbus autem iste sibi faciem deturpavit undecim annis quibus Abbatiæ præfuit, ut gravis esset ad videndum etiam his qui intimo cordis affectu eum diligebant. Non tamen causa infirmitatis hujus caruit Angelica voce qua præ ceteris omnibus Regularibus personis in partibus istis præeminebat. Ipse quidquid habemus in Doillies refectioni Fratrum, eleëmosynis pauperum in Cœna Do-

mini, luminaribus Ecclesię, non obstantibus sumptibus quos inde fecerat, nobis benignè contulit, & quadraginta solidos ad decimam de Gerin in anniversario Comitis PHILIPPI Namurcensis primi nobis delegavit, quod anniversarium facimus cum anniversario domini THEODORICI Advocati, pro quo habemus ad Ginovagium suum quadraginta solidos alborum.

Quibus omnibus, ut prælibatum est diligenter ordinatis, prædictus domnus Abbas ingravescente infirmitate sua videns nec posse præesse, quibus prodesse non poterat, resignavit in manum domini HUGONIS Leodiensis Episcopi Abbatiam in die S. Andreæ Apostoli; cui Episcopus mansione, Capellano & servitore delegato cum omni humanitate redditibus assignatis prospectum iri decrevit; nec tamen ad præsens de Abbate ordinando ita fuit ab eo dispositum ut decuit: unde sicut rei probavit eventus jurgia, rixæ, damna plurima nobis contigerunt. Interim accidit quòd domnus Hugo memoratus Episcopus viam universæ carnis ingressus finem vitæ præsentis acciperet. Post cujus obitum Magister HUGO sancti Pauli in Leodio Canonicus expectans quadraginta diebus in die sancti Marci Evangelistæ (illa enim die debebat electio fieri) assumpto secum cognato suo domno IOHANNE Boutou cum universis Monachis Hasteriensibus venit in Conventum Claustri apud Valciodorum, & vocato ibi domno Iohanne tunc temporis Priore, & Alardo Præposito, & etiam Magistro Pontio Clerico Dionensi, toto Conventu nostro in crypta residente, & reditum prædictorum præstolante: præceperat enim Prior ne quis donec rediret cryptam egrederetur. Magister Hugo exhibitis ibidem litteris Archiepiscopi Coloniensis & recitatis, in quibus continebatur quòd jurisdictio ordinandi Abbatis ad eum devoluta erat auctoritate cujusdam constitutionis Innocentii Papæ; nominari prædictum cognatum suum IOHANNEM per quemdam Robodonem in Abbatem fecit. Quo audito Prior Iohannes innuit magistro Pontio, & ipse protinus in vocem proru-


pit appellationis. Prior verò convocatis omnibus Fratribus indicavit eis quid actum fuisset. Qui irrumpentes in Claustrum cum tumultu antequam Hasterienses ingredi possent Ecclesiam turpiter eos de Claustro ejecerunt, & intrantes Capitulum domnum Henricum de Gran in Abbatem elegerunt & hymnum *Te Deum* decantando ad Ecclesiam deduxerunt. Quæ omnia processu temporis dominus OTTO Apostolicæ Sedis Legatus utriusque loci paci consulens irrita esse judicavit, & magistrum NICOLAUM sancti Vitoni Virdunensis Monachum, præmissa Fratrum utriusque loci concordi electione, Abbatem constituit. Eo igitur suscepto paucis posteà evolutis diebus domnus WALCHERUS vitam finivit Calendis Aprilis, vir per omnia laudabilis, cujus memoria apud nos in benedictione est.

XVIII. Abbas Nicolaus. At memoratus Abbas NICOLAUS cùm anno uno & nescio quot mensibus præfuisset, videns sibi pro voto res non cedere recessit ad locum unde venerat, & per Gerardum Monachum Hasteriensem missis ad nos litteris sigillo suo impressis absolvit nos ab obedientia & subjectione qua tenebamur, renuntiavit Abbatiæ & curæ pastorali, quod etiam Episcopo Leodiensi domno IOHANNI litteris suis patentibus intimare curavit. Iam sicut dicere cœpimus rebus in pace compositis, Fratribúsque utriusque loci invicem se amicabiliter habentibus de instituendo Abbate, in commune ab utrisque sic fuit ordinatum. Compromiserunt enim ab una parte Valciodorenses in domnum IOHANNEM Priorem suum, Hasterienses verò in Clementem Monachum, & in dominum IOHANNEM Episcopum Leodiensem ex alia. Quod tamen ea pace qua decuisset tunc fieri non potuit, Hasteriensibus semper toto nisu agentibus ut domnus Iohannes, de quo superiùs mentio facta est, iterum Abbas ordinaretur. Sed dictus Episcopus & magister Hugo hoc non debere fieri arbitrantes, positis in Castro Hoyensi coram eis dicto Priore & Clemente Monacho, die condicta domnum

XIX. Abb. Henricus. HENRICUM in Abbatem eligi consenserunt, quod & fa-

ctum est, qui etiam nunc nobis præest feliciter tredecimum agens annum: in quo dierum spatio sua industria ædificatum est Claustrum novum valde decorum, grangia nova tecto parietibus tota lapidea, & super portam littus Mosæ respicientem. Aliam domum segetibus reponendis idoneam ad curtem de Lemna, novam domum quam Bouile vocant ad aliam curtem, quæ Froimont dicitur. Horreum optimum & tres alias domos novas.





GENEALOGIÆ EX CHRONICIS HAINONIENSIBVS, RECOLLECTIS

Per Magistrrum BALDVINVM de Avennis.



CAROLUS Dux Lotharingiæ frater Lotharii Regis Francorum duas habuit filias, Ermengardem & Gerbergam : de Ermengarde natus est Albertus Comes Namurcensis, qui genuit Albertum ei succedentem, & Henricum Comitem de Durbio ; Albertus II. genuit Godefridum Comitem de Rupe : hic Henricus filiam habuit Machtildem, quæ domino de Vualecourt peperit Vuerricum, & Beatricem uxorem Vuinandi de Hulfalisia. Mortuo autem domino de Vualecourt, dicta Machtildis nupsit Nicolao domino de Avennis, cui peperit Iacobum de Avennis, & Machtildem uxorem Castellani de sancto Audomaro.

Godefridus Comes Namurcensis frater Henrici de Rupe genuit Henricum & Adelidem uxorem Hainonensis Balduini, cui peperit Balduinum Comitem, qui patri succedens in uxorem duxit Margaretam filiam Comitis Theodorici Flandrensis, ex qua genuit Balduinum Comitem, qui postea fuit Imperator Constantinopolitanus, & Philippum & Henricum, ac tres filias quarum unam duxit Philippus *Monoculus Rex Francorum, qui ex ea genuit Ludovicum ; secundam duxit dominus de Bello-

*Id est, Philippus August, dictus le Borgne.

Bellojoco; tertiam Petrus Comes Autisiodorensis.

Gerberga verò alia filia Caroli Fratris Lohtarii peperit Henricum seniorem de Bruxella, & hic Henricus genuit Henricum, Lambertum & Machtildem, quæ Comiti de Bolonia Eustachio peperit Eustachium & Lambertum. Eustachius verò ex Ida filia Godefridi Ducis Lotharingiæ genuit Godefridum de Bullonio, postea Regem Hierusalem, & Eustachium, qui de filia Regis Scotiȩ Maria genuit Machtildem, quæ Stephano filio Stephani Comitis Blesensis peperit Mariam. Ex hac autem Maria postquàm Monialis facta est & Abbatissa, propter defectum heredum Boloniensium, genuit Mathæus frater Philippi Comitis Flandriæ duos filios, & reversa est uxor sua dicta Maria ad suum Monasterium.

Comes Blesensis & Carnotensis Stephanus, qui cum Hugone fratre Regis Francorum Philippi & cum Godefrido de Bullonio transfretavit, pater fuit Theobaldi Vetuli sive Senioris, qui jacet apud Latiniacum. Comes Flandriæ Arnulfus exercitu congregato intravit Hainoniam, & saisivit Comitatum Montensem contra Rainerum & Lambertum filios Raineri Longicolli, qui fuit Comes Montensis, & destruxit castrum de Bossuc; tantúmque guerravit illos pueros, quòd oportuit eos fugere in Franciam ad quærendum auxilium. Lambertus duxit uxorem Gerbergam filiam Caroli, postea matrem Henrici de Bruxella, & Rainerus filiam Hugonis Capeti. Regressi ergo de Francia magnum exercitum congregârunt, & ingressi Hainoniam, terram suam recuperârunt.

In chronicis invenimus quòd sanctus Vualbertus, qui sepultus jacet apud Cousorne juxta Beaumont in Hainonia, fuit Dux Lotharingiæ, & extendebatur dominium ejus per Cameracesium, & Hainoniam, Brabantum, Hasbaniam & Ardennam usque ad Rhenum; uxor ejus Bertilia duas ei peperit filias, Vualdetrudem & Asdegundim: quæ primogenita nubere recusans, facta est Monialis, & fundavit Monasterium de Melbodio; Valdetrudis cuidam magno viro nupta Maldegario nomine, qui & Vincentius, duos ei filios peperit, Landricum &

Dellinum, ac duas filias, Astrudem & Maldebertam. Maldegarius qui & Vincentius in Senogio Monasterium ædificavit Monachorum, dans eis possessiones magnas; quo Monasterio postmodum per Hunos destructo, reædificata est ibidem Ecclesia Canonicorum. Hic Vincentius de consensu uxoris factus est Monachus in Monasterio Altimontensi juxta Melbodium, & similiter uxor sua Ducissa Valdetrudis ædificavit Ecclesiam in monte Castri-loci, & facta est Monialis; filii quoque & filiæ relicto sæculo religioni se dedicaverunt.

Successit igitur in Ducatum neptis Ducissæ Valdetrudis Aiia, quæ nupta cuidam potenti viro nomine Idulfo, qui post mortem sepultus est in Monasterio Bobiensi; & dicta Aiia tempore viduitatis suæ contulit Ecclesiæ Montensi villas de Cuemes & Nimi, & Braine la Vuihote; & stetit Abbatia Montensis longo tempore, quòd Abbatissa per electionem fiebat, ipsam præsentando Imperatori. Postea successit in comitatu Montensi Comes, qui ab Imperatore impetravit præsentationem sibi debere fieri, cujus quidem tempore vacante Abbatia, cùm Abbatissa noviter electa sibi præsentaretur, noluit admittere eam, dicens se Abbatem esse, nec aliam deberent Abbatissam habere; domicellabus verò ad Imperatorem appellantibus, & per suos Canonicos in suos procuratores à principio sibi constitutos diu litigantibus, tandem Comiti non valentibus* domicellabus potentibus permansit Abbatia, & præbendarum collatio in voluntate Comitis.

f. * prævalentibus.

Postmodùm autem fuit ibi Comes nomine Hermannus per uxorem suam Richildem qui sibi peperit filium & filiam. In illo tempore mortuus est Comes Valencianarum absque herede, & dictus Comes Hermannus cum uxore sua Richilde tum jure consanguinitatis, tum emptione erga propinquiores tantum fecerunt, quòd illum comitatum sibi acquisiverint cum alio. Deinde mortuo dicto Hermanno, dicta Richildis maritata est Balduino filio Comitis Flandriæ, cui peperit duos filios, quos ita vehementer diligebat, quòd primum filium quem Her-

manno pepererat Clericum fecit, & procuravit ipsum fieri Episcopum Catalaunensem, & filiam Monialem. Posteà tantum fecerunt dictus Balduinus & Richildis erga filium suum Episcopum Catalaunensem, tum per denarios, tum per alia quòd comitatus Hainoniensis remansit filiis dicti Balduini. Episcopus verò Cameracensis excommunicavit dictum Balduinum pro illo matrimonio Richildis Comitissæ, sed Leo Papa qui avunculus erat Richildis absolvit eos, & inhibuit eis torum.

Iste Balduinus amovit Canonicos qui erant in Hainonio, & posuit ibi Monachos, postea mortuus est anno Domini MLXX. Assignaverat autem filio suo Arnulfo Flandriam cum juramento Flandrensium, & Balduino minori Hainoniam.

Comitissa itaque Richildis cum filiis suis valde juvenibus tenente ambos comitatus, supervenit Robertus Friso patruelis puerorum, & expulit eos de Flandria; contra quem convocato Rege Franciæ Philippo Richildis cum filio Arnulfo & Hainoniensibus conflictum habuerunt juxta Casлатum, & primò capta Richilde Comitissa à Flandrensibus, & Roberto similiter ab Hainoniensibus, propter amorem quem Hainonienses habebant erga Comitissam Richildem, restituerunt prædictum Robertum Frisonem pro Comitissa. Et postea dictus Robertus campum contra Francorum Regem obtinuit & Comitissam, & occisus est ibi verus Comes Flandriæ Arnulfus, & per consequens Flandriam subegit Comes Friso.

Tunc ipsa Comitissa cum filio suo Balduino ad se confortificandum confœderationem inierunt cum Thieduino Leodiensi Episcopo, comitatum Hainoniensem in feodum recipientes ab eo in hunc modum: Quòd Comes Hainoniæ servire tenetur in omnibus necessitatibus suis cum toto suo posse ad expensas Episcopi post exitum à comitatu Hainoniensi, similiter & quandocumque vocat eum Episcopus ad parlamentum.

Item cùm Imperator vocat Comitem ad Curiam suam, pro quacumque re tenetur eum Episcopus ducere & reducere in expensis suis, & respondere ac remanere

pro ipso. Et si aliquis vellet gravare Comitem, Episcopus tenetur eum juvare cum magna potestate in suis scilicet Episcopi propriis expensis: & si Comes obsideret castrum ad honorem suum pertinens, aut si aliquis contra ipsum obsideret aliquod castrum, Episcopus tenetur ipsum juvare cum quingentis equitibus, & Comes tenetur ei tunc facere legale forum de cibariis, & potest Episcopus per campos accipere herbam & necessaria pro equis. Et ad hoc faciendum tenetur Episcopus ter in anno, & qualibet vice per quadraginta dies.

Præterea cum homagio Comitis debet Episcopus habere homagium Castellani Castri-loci, & Castellani de Bellomonte, necnon & Castellani de Valencianis.

Item debet Episcopus Comiti dare anno quolibet in Natale Domini tria paria vestium, quorum quodlibet valere debet sex marcas Leodienses. Et cuilibet Castellanorum unum par similiter sex marcarum.

Item si Comes infra comitatum adquisierit aliquod alodium, aut si donatum ei fuerit, & si ipse ulteriùs in feudum illud dederit, aut servum acquisierit, totum illud simul tenebit cum feudo ab Episcopo.

De pace verò Leodiensi ad quam respondere tenentur multi Barones & homines eorum, neque Comes, neque homines sui tenentur respondere.

In augmentum autem sui feudi Comitissa accepit Abbatiam & Advocatiam Montensem, ac justitiam Comitatus Hainoniensis, quam tenuerat ab Imperatore. Episcopus autem tantum fecerat erga Imperatorem quod dederat eidem hujusmodi feuda, & Episcopus tantam pecuniam dedit Comitissæ & suo filio, quod Ecclesiæ multum erant gravatæ.

Istis conventionibus præsentes apud Fosses interfuerunt Godefridus de Bullonio, Comes Albertus de Namurco, Comes Lambertus de Lovanio, Comes de Chineio, Comes de Monte-acuto in Ardenna, & plures alii.

Secundùm quod hæc omnia in Chronicis continentur Monasterii Lobiensis.

Comitissa verò Richildis retinuit in alodium propria alodia sanctæ Waldetrudis apud Castri-locum in castro & in villa Quaregnon, Gamapes, Frumeries, Thieuvi, Braine la Wihore, Braine le Chastel, Hal, Castres, Herines, Cuemes, Ninyc-ville, Feur, Hayne, & aliqua alia quæ non nomino.

Per auxilium Episcopi Leodiensis confortata Comitissa & filius ejus Balduinus: per quosdam mediatores tandem pacificati sunt cum Roberto Frisone Comite Flandriæ, & Comes Balduinus quamdam neptem dicti Roberti ducere in uxorem debebat, & ad hoc faciendum invadiat villam Duacensem quam tunc possidebat. Die verò assignata qua illam desponsare debebat, tantum abhorruit eam propter turpitudinem seu deformitatem ejus, quod noluit eam ducere, propter quod Robertus retinuit Duacum, nec postea recuperare potuit Balduinus.

Comitissa Richildis firmavit castrum Bellimontis, & ædificavit capellam S. Venantii. Balduinus ejus filius adhuc juvenis uxorem duxit Idam sororem Lamberti Comitis Lovaniensis, quæ valde bona matrona fuit & bonæ vitæ.

Richildis igitur Comitissa & filius ejus Balduinus ædificaverunt Abbatiam sancti Dionysii in Brocheroie*, dantes ei villam & plures alias possessiones. Ipsa quoque Richildis postquam viriliter & bene terram suam tenuerat, mortua est anno Domini MLXXXVI. 1086.

al. *Broqueroia ac Brokoroth.

De Roberto Frisone qui postquam Comitatum Flandriæ acquisierat, & aliquandiu gubernaverat, mortuus est, & apud Caslatum sepultus, relinquens post se duos filios & tres filias. Nomen primogeniti Robertus; alter verò Philippus, qui filium habuit Ginselinum; unam autem filiarum nomine Adelam Rex Daciæ Canutus in uxorem duxit, ex qua genuit filium nomine Carolum, postmodùm Comitem Flandriæ apud Brugis occisum. Secundam filiam duxit in uxorem Comes Bruxellæ, post cujus mortem ipsa nupsit Comiti Theoderico de Alsacia, qui ex ea filium unum genuit nomine Theodericum. Tertia filia facta est Monialis apud Messinas. Ro-

bertus igitur Comes Flandriæ duxit uxorem Clementiam filiam Willelmi Comitis Burgundiæ, ex qua genuit tres filios in minori tempore quàm tres anni, unde cùm ipsa timeret nimis multos habere filios, potionem sumpsit per quam sterilis facta est.

Comes Balduinus filius Richildis ex Ida genuit duos filios Balduinum ac Arnulfum, ac tres filias. Hic igitur Arnulfus uxorem duxit Beatricem filiam unicam & heredem Gualteri domini du Reux quondam nobilem de Hainonia; ex qua genuit filium nomine Eustachium cognomento Seniorem seu Vetulum, eo quod diu vixit. Habuit autem dictus Arnulfus pro parte hereditatis Rodium ac terras circumjacentes. Eustachius iste duxit uxorem filiam cujusdam nobilis Hainoniensis nomine Iohannis, qui unus erat de Paribus comitatûs Montensis, ita quòd post mortem istius Iohannis dictus Eustachius ex parte uxoris factus est unus de Paribus illis: & hic ædificavit Rodium & Morlainwées, & genuit ex uxore sua duos filios & tres filias, quorum primogenitus Nicolaus factus est Clericus, & junior nomine Eustachius, cognomine Vaslectus terram tenuit post mortem patris. Filiarum verò primogenitam nomine Beatricem dominus Walterus de Lens duxit in uxorem, ex qua genuit unum filium nomine Eustachium, & duas filias Idam & Mariam. Secunda filia Eustachii senioris nupsit cuidam nobili, quo sine herede mortuo facta est Monialis Monasterii sancti Foillani apud Rodium. Tertia verò filia dicti Eustachii senioris nupsit domino Nicolao de Boulers, cui peperit unicam filiam, deinde post mortem dicti Nicolai nupsit domino Eustachio de Bousies. Eustachius autem cognomine Vaslectus, uxorem duxit Bertham domini Rassonis de Gaure filiam ex domina Domitione de Chievres, & genuit ex ea filium Eustachium agnomine Canivet, ac filiam unam nomine Beatricem.

Post mortem itaque Eustachii dicti Vaslecti, filius ejus Eustachius dictus Canivet successit ei, ducens in uxorem filiam Balduini de Mortania Castellani Tornacensis, ex qua genuit filium unum & filiam unam. Iste filius nomi-

ne Eustachius patri succedens, ac terram tenens de Rodio & de Morlainbées, uxorem duxit filiam domini Ægidii de Trith, sororem domini Theoderici de Beure, ex parte matris; nam post mortem dicti domini de Trith, dicta domina nupsit domino de Beura, cui peperit dictum dominum Theodericum. Dictus Eustachius ex uxore sua prædicta sex genuit filios & duas filias, Eustachium agnomine Canivet, Ægidium agnomine Rigaut, Theodericum & duos Clericos, & sextum Arnulfum. Vna filiarum nupsit Hugoni Castellano de Gandavo, altera domino Balduino de Peruves juxta Condacum. Eustachius Canivet jamdictus in uxorem filiam domini Ægidii de Trasengnies duxit, ex qua genuit unum filium & unam filiam. Ægidius Rigaldus frater ejus uxorem duxit filiam Fastradi de Ligne, per quam dominus est terræ de Monstervel. Theodericus tertius frater uxorem duxit Heluidam filiam domini Iohannis de Vannes, qui Fratrum* ingressus Ordinem terram suam dicto Theoderico reliquit. Soror verò Eustachii de Rodio hujus nominis IV. nupsit domino Iacobo de Bailleul, cui peperit unum filium & duas filias. Filius Nicolaus nomine patri succedens in heriditate uxorem duxit filiam domini Willelmi de Caeu unicam, & ideò terram tenet de Carency, & de Villers le Faucon. Post mortem dicti Willelmi de Caeu ex uxore sua plures genuit filios & filias, quorum primogenitus juvenis est mortuus, alius uxorem duxit filiam domini de Rousoit, filiarum una nupsit domino Theoderico de Beure, alia nupsit primogenito domini Gerardi de Iauche.

* *Hic deest aliquid.*

Postquam Balduinus Comes Hainoniæ filius Richildis perditus fuit in itinere, quo cum Hugone fratre Regis Francorum Philippi versus Imperatorem Constantinopolitanum Alexium ibant à Turcis invasi: auditis in Hainonia rumoribus Ida Comitissa uxor ejus Romam peregrè profecta est, ut aliquid veritatis inquirere posset super illis: sed cùm nihil aliud posset intelligere nisi quod esset perditus, ad partes suas reverti volens, tandémque per Ardennam transiens, apud sanctum Hubertum de-

clinavit insidias positas sibi à Comite de Cisneio. Et postquam aliquandiu stetisset ibi, reversa est in Hainoniam. Propter curialitatem autem quam invenerat in Abbate, quædam alodia sua dedit ei juxta sanctum Hubertum, tali conditione, quòd Abbas est Capellanus Comitis Hainoniæ, & tenetur infra comitatum Hainoniæ ter in anno Missam celebrare ad petitionem Comitis. Post reditum Comitissæ Idæ, Balduinus filius ejus regimen comitatûs sibi assumpsit.

Dicto de iis qui processerunt ab Arnulfo filio Balduini Richildis filii, dicendum est de his qui processerunt ex tribus filiabus ejusdem Balduini filii Richildis; quarum primogenita nupsit domino Thomæ de Marla, cui peperit unam filiam Idam nomine, quæ nupsit domino Alardo de Chimay cognomine Polierc, uni ex Paribus comitatûs Montensis, & peperit ei unum filium Ægidium nomine, patri succedentem: quo quidem Alardo mortuo, dicta Ida nupsit nobili viro Bernardo de Arbaco. Secunda filia Comitis Balduini filii Richildis vocata Richildis nupsit Comiti de Monteforti in Francia; post cujus obitum se reddidit in Abbatia Melbodiensi. Tertia filia Comitis Balduini Adeledis nomine nupsit domino de Rumengni, cui peperit unum filium Nicolaum nomine, & sex filias. Et hic Nicolaus post patrem tenuit terram de Rumengi, ac terram de Florines. Vna verò sex filiarum nupsit domino de Cons, cui peperit filium unum nomine Ægidium. Secunda filia nomine Beatrix nupsit cuidam magno & nobili viro in Hainonia nomine Gossewino, qui unus erat de Paribus Montis Castri loci, & similiter de Paribus Valenciarum, necnon & Belli-montis similiter unus de Paribus.*

ad. * Fianarum.

Et ut innotescat qui fuit iste Gossewinus, sciendum quòd quidam fuit Comes Calvi-montis nomine Rainerus, cujus uxor nobilis matrona nomine Ermentrudis eidem Rainero peperit filiam Ermengardem; & hæc Ermengardis nupsit cuidam nobili, qui vocabatur Gossewinus de Montibus. Hic igitur Gossewinus & uxor ejus fundaverunt Ecclesiam Dominæ nostræ de Aimeries, dantes

dantes ei magnas poſſeſſiones. Habuerunt autem filios & filias, quorum primogenitus nomine Iſaac patri ſuccedens, ex uxore ſua nobili duos genuit filios, quorum primogenitus vocabatur Goſſewinus, & alius Nicolaus, qui factus Clericus, poſtmodum fuit Epiſcopus Cameracenſis. Goſſewinus autem filius Iſaac, fuit ille Goſſewinus de quo locuti ſumus, qui uxorem habuit Beatricem filiam domini Hugonis de Rumengniaco, ex qua unum genuit filium & ſex filias, nomen filii Goſſewinus, qui juvenis mortuus eſt vivente patre. Filiarum verò primogenita nomine Ida nupſit domino Sigerio de Enghien. Poſt mortem cujus iterum nupſit domino Rainero de Iauche, cui peperit tres filios, quorum primogenitus Gerardus nomine terram tenuit poſt patrem, ſecundus nomine Henricus factus eſt Clericus & Archidiaconus in Eccleſia Leodienſi, tertius vocabatur Goſſewinus.

Poſt mortem igitur dicti Goſſewini de Montibus ſucceſſit in ejus hereditatibus dictus Reinerus per uxorem ſuam. Deinde mortuo dicto Reinero dicta Ida iterum maritata eſt domino Balduino le Caron. Et dictus Gerardus patri ſuccedens uxorem duxit nobilem, ex qua genuit duos filios, quorum primogenitus vocabatur Reinerus, ſecundus Gerardus qui duxit uxorem nobilem, ex qua genuit duos filios Gerardum & Reinerum.

Poſt mortem itaque Reineri de Iauche patris, Gerardus filius ejus ſucceſſiit ei, & Reinerus frater ejus pro parte ſua habens terram de Saſſegnies, uxorem duxit filiam Caſtellani de Montibus, ex qua unum genuit filium: Gerardus verò primogenitus in uxorem duxit Bertam filiam domini Goberti de Binel, ex qua tres genuit filios & aliquot filias. Primogenitus iſtorum nomine Gerardus patri ſucceſſit. Secundus nomine Guillelmus pro parte hereditatis habens terram de Gomengines, uxorem duxit filiam domini de Waſiers, ex qua genuit filium Guillelmum nomine & unam filiam. Tertius verò Iohannes nomine ſine herede deceſſit. Primogenitus itaque Gerardus uxorem duxit filiam domini Iohannis de Alneto juxta Valencennas, ex qua plures genuit filios & filias.

Iis ergo dictis dicendum est de secunda filia Domini Gossewini de Montibus Malchtide nomine. Hæc nupsit domino Walterio de Ligne, post cujus decessum iterum maritata est domino Walterio de Fontanis. Tertia filia domini Gossewini nomine Adelidis nupsit domino Rogero de Condaco. Quarta nomine Ruissa nupsit domino Stephano de Naing. Quinta nomine Beatrix domino Balduino de Roisin. Sexta nomine Agnes domino Hugoni de Spineto domino de Antoing.

Nunc dicendum de tertia filia domini Hugonis de Rumengnico, vocata post matrem Adelidis, quæ nupsit domino Doutour. Quarta filia dicti Hugonis nupsit domino de Chiri in terra Retest. Sexta filia domini Hugonis de Rumengni nupsit Isaac domino de Barbenchon, qui ex ea genuit Nicolaum qui patri successit. Prædicti verò Hugonis de Rumengni filius Nicolaus patri succedens in terra de Rumengni & de Florines, uxorem duxit dominam Domitionem dominam allodii de Chirue*, ac terræ circumjacentis relictam domini Rassonis de Gaure, ex qua duos genuit filios, quorum primogenitus Nicolaus terram habuit de Rumengni, & alter nomine Hugo terram de Florines, qui dicitur magnæ strenuitatis. Item genuit dictus Nicolaus ex dicta domina Domitione plures filias, quarum una nomine Iuliana nupsit Reinaldo de Rosoy, qui ex ea filium genuit nomine Rogerum. Secunda nomine Clementia nupsit Gerardo de Salm. Tertia nomine Iolens nupsit Henrico de Hierges advocato Hasbaniensi. Nicolao de Rumengni mortuo successit ei filius suus Nicolaus, qui duxit uxorem Mathildem filiam domini Iacobi, domini de Avennes, ex qua tres genuit filios, Nicolaum, Hugonem, & Iacobum.

f. * Chievre.

Dicto superiùs de Arnulfo fratre Balduini Comite Hainoniæ hujus nominis secundi post Richildem, & de tribus sororibus eorum, ac etiam de illis qui ex iis processerunt, dicendum est de ipso Balduino, qui uxorem duxit Iolendim filiam Comitis Gelriæ, ex qua duos genuit filios, & duas filias, & Gerardinum. Filiarum primogeni-

ra nupsit domino de Ioengny, cui quatuor peperit filios, Radulfum patrem Rogeri, Rogerum, Balduinum & Gaufridum: secunda filia Balduini prædicti maritata est Castellano Tornacensi, cui peperit Evrardum Raduel strenuum Militem, qui duxit uxorem filiam domini Roberti de Betunia Advocati Atrebatensis, ex qua genuit filiam nomine Richildem uxorem domini Gilberti de Audenarde, quæ terram de Fingnies possidebat ex parte matris, cui Comes Balduinus eam contulerat in dotem. Et hæc Richildis mortuo dicto Gilberto, cui filium unum peperat Arnulfum nomine, maritata est Waltero de Sottengheen. Eurardus autem Raduel vivente uxore sua prima, superduxit matrem Conani & Iohannis, & Radulfi, qui tenebant Comitatum Suessionensem, terram de Neële & Castellaniam Burgensem; & genuit ex ea filium nomine Balduinum, qui postmodùm tenuit dominium de Mortania & Castellaniam Tornacensem. Iste Balduinus de Mortania postmodum uxorem duxit filiam Senescalli Flandriæ nomine Hediardem, ex qua genuit filium Evrardum Raduel nomine post avum. Et hic Eurardus Raduel uxorem duxit filiam domini Engelberti de Enghien ex Adelina filia domini Iacobi de Avennes, & genuit ex ea filium Arnulfum nomine.

Dictus igitur Eurardus Raduel uxore mortua, aliam duxit uxorem, heredem scilicet terræ de Nevella juxta Gandavum, ex qua genuit filios, Michaelem qui juvenis decessit, Radulfum & Rogerum. Et dicto Eurardo Raduel mortuo, Arnulfus primogenitus eidem succedens uxorem duxit Iolendim filiam domini de Couchy*, domini de Wervino, ex qua plures genuit filios; quorum primogenitus Iohannes patri succedens in dominio, uxorem duxit Mariam filiam domini Eustachii de Conflans, ex qua unicam genuit filiam. Secundus nomine Thomas uxorem duxit filiam domini Egidij Bruni Franciæ Constabularii, ex qua genuit filios & filias. Tertius nomine Radulfus in Apulia decessit. Quartus Arnulfus factus est Clericus. Quintus Guillelmus & sextus Balduinus.

*f. *Coucy.*

Primogenita verò filia dicti Arnulfi de Mortania

Machtildis nomine nupsit Castellano de Insula, cui plures peperit filios & duas filias, quorum primogenitus Iohannes patri succedens in Castellania uxorem duxit filiam Domini Iohannis* de Nigella. Secunda filia Domini Arnulfi de Mortania nomine Isabellis seu Elisabeth nupta est Domino Arnulfo de Diette, & plures ei peperit filios & filias. Tertia nomine Maria nupta domino Iohanni Bertout, domino de Gramines, cui peperit filios & filias. Dicti verò domini Evrardi de Mortania filius de secundis nuptiis Radulfus primogenitus, uxorem duxit sororem domini Guillelmi de Betunia, domini de Pontroart, Iohannam nomine, ex qua genuit filios & filias. Secundus filius domini Evrardi Raduel, nomine Rogerus, uxorem duxit heredem de Senefle relictam domini Walteri de Braine, ex qua genuit Iohannem & Robertum.

*l. * Simonis.*

Prædicto igitur Balduino hujus nominis secundo post Richildem satis juvene defuncto, & sepulto in Ecclesia sanctæ Waldetrudis, uxor ejus Comitissa Iolens iterum maritata est domino Godefrido de Bouchaing vassallo suo Castellano Valencenensi, ac domino de Ostravanto, de Ribaudimonte, de Grengniaco, ac de Castello in terra Porcina, cui peperit Godefridum & Bertam. Balduinus primus ejus filius de primo marito Comitatum tenuit post patrem, & Gerardus secundo-genitus terram ex parte matris tenuit versus Gelriam, videlicet Dodebert & Dala, qui postea filium Henricum strenuum & famosum genuit.

Hic igitur Balduinus hujus nominis tertius post Richildem, acquisivit à fratre suo ex parte matris Godefrido Castellaniam Valencenensem, ac terram de Ostrovanto cum aliis quæ in Cameracesio possederat. Soror autem ejus Berta Comiti nupsit de Duras, quo defuncto maritata est domino Egidio de sancto Auberto viro famoso Hainoniæ Senescallo, cui peperit filium Gerardum nomine & filiam, postmodùm uxorem duxit domini Nicolai de Barbenchon. Dicta Berta mortua, dictus Egidius duxit Machtildem de Blaymont, quæ filia fuerat domini de Chin ex domina Domitione de Chirue, & hæc Mach-

tildis heres terræ de Blaimont, atque Camerariatus Haynoniæ, dicto domino Egidio unicum peperit filium Egidium nomine. Egidius verò pater ædificavit Buseugni ac turrim quam in feudum recepit à Comite Hainoniensi Balduino. Item ædificavit Bohaing.

Dictus Comes Balduinus, qui guerras habuerat contra vicinos suos, & specialiter contra Comitem Flandriæ Theodericum, & bene se defenderat, uxorem duxit Adelidem, filiam Comitis Namurcensis Godefridi & Ermensendis, duas enim uxores duxerat idem Godefridus, ex quarum prima duas genuerat filias, & harum una nupsit domino Rogero du Rosoy, qui ex ea duos genuit filios ac filias. Horum primogenitus Rainaldus uxorem duxit Iulianam filiam domini Nicolai de Rumengni, de quo dictum est priùs: alter filius nomine Rogerus, postea fuit Episcopus Laudunensis, una filiarum dicti domini Rogeri nupsit domino Egidio de Cymai, altera nomine Aufelix domino Philippo de Auterive.

Secunda filia Godefridi Comitis de Namurco ex prima uxore nupsit domino de Spinoi & de Antoing, cui peperit filios & filias, quarum unam duxit dominus de Avennes. Dictus Comes Namurcensis Godefridus de secunda uxore Ermensende nomine genuit duos filios & tres filias. Primogenitus nomine Henricus, alter Albertus, qui juvenis mortuus est: filiarum primogenita Adelides nomine, nupsit Comiti Hainoniensi Balduino, ut dictum est. Secunda nupsit Duci Byringiorum*, cui peperit tres filios & unam filiam. Primogeniti nomen Bertoldus, secundus Radulphus, qui postea fuit electus Moguntinensis; tertii nomen Hugo. Filia verò desponsata fuit Duci Saxoniæ Henrico, sed Imperator Henricus matrimonium impedivit, & Radulfum prædictum ab electione repelli procuravit, quia timebat eorum potentiam. Idem tamen Radulfus postmodum fuit Episcopus Leod. & fecit ibi palatium. Tertiam verò filiam Comitis Namurcensis Godefridi duxit Comes Reitestensis, qui ex ea genuit IV. filios & plures filias. Primogenitus nomine

f. * Turingiorum, seu Turingorum Landgravio.

Manacerus patri successit in comitatu; secundi nomen Henricus; tertii Balduinus; quarti Albertus qui factus Clericus, Præpositus & Archidiaconus fuit in Ecclesia Leodiensi. Filiarum una Regi Siciliæ nupsit Rogero qui ex prima uxore genuerat Guillelmum, qui post mortem patris ei successit in regno Siciliæ, Ducatu Apuliæ, & Principatu Capuæ. Ex secunda verò uxore sua filia dicti Comitis Reitestensis, unam genuit filiam nomine Constantiam, quæ postmodum nupsit Henrico Imperatori, cui peperit Fridericum de Apulia puerum, postea Imperatorem. Secunda filia Comitis Reitestensis nupsit domino Hugoni de Petraponte, cui plures peperit filios Milites, & unum Clericum postea Episcopum Leodiensem. Dicti Godefridi de Namurco filius Henricus Comes Namurcensis ac etiam de Lucelburg, factus postmodum cæcus; & perpendens uxoris sterilitatem quam diu habuerat, nec heredem habere poterat, talem fecit conventionem inter se & Comitem Hainoniæ Balduinum, qui suam sororem habebat uxorem, quòd dictus Balduinus ei acquisivit allodia, quæ ambæ sorores uxoris suæ tenebant in terra Namurcensi, cum eo quod ipse per uxorem tenebat in eadem terra, & post decessum dicti Comitis totus comitatus ille devolvi debebat ad uxorem dicti Balduini & ad heredes ejus.

Hic ergo Balduinus hujus nominis tertius post Richildem, ex uxore sua Adelide sorore Comitis Namurcensis Henrici quatuor genuit filios, Balduinum qui juvenis decessit, sepultus apud Binchium, Godefridum, Balduinum & Henricum, ac tres filias Iolendem, Agnetem & Laurentiam. Godefridus uxorem duxit Alienordem filiam Comitis Viromanniæ* Radulfi, qui duas habebat filias, quarum primogenitam Isabellam Comes Flandriæ Philippus uxorem habebat relictam, ex qua unicam genuit filiam Elisabeth seu Isabellam, quæ nupta Comiti Clevensi Theoderico dicto de Dinslaken, qui patre superstite decessit, duas peperit filias Machtildem dominam de Durbio uxorem domini Gerardi de Lucelburg, & aliam domini Gerlaci de Isemburg uxorem.

* Viromandiæ.

Igitur Henricus quartus postquam Ducatum tenuerat annis XLV. mortuus est anno MCCXXXV. Cujus filius primogenitus in Ducatu succedens uxorem duxit Mariam filiam Ducis Sueviæ Philippi ac Regis Alemanniæ, Henrici Imperatoris germani, qui de uxore sua Constantinopolitani Imperatoris filia tres genuerat filias, hanc scilicet Mariam, & alias duas, quarum una Regi nupsit Bohemiæ, & altera Hispaniæ Regi. Ex dicta ergo Maria Dux Henricus unum genuit filium Henricum, & quatuor filias, quarum primogenita Machtildis Comiti nupsit Atrebatensi Roberto Regis Francorum Ludovici germano, quo defuncto nupsit Comiti de sancto Paulo. Secunda filia Ducis Henrici Beatrix nomine primò nupsit Lantgravio Turingiæ Henrico, quo defuncto iterum nupsit Guillelmo primogenito Flandriæ: tertiam habuit Dux Bavariæ, & quarta Monialis facta est in Valle-ducis, mortuáque Ducissâ Mariâ, Dux Henricus secundam duxit uxorem Lantgravii Turingiæ filiam, ex sancta Elisabeth natam, ex qua filium genuit nomine Henricum. Dicto igitur Duce Henrico mortuo, successit Henricus filius ejus, qui Alaidam filiam Hugonis Ducis Burgundiæ duxit uxorem, ex qua Iohannem genuit supradictum. Comitis Roberti de Dreux filius primogenitus Iohannes filiam duxit domini Archembaldi de Bourbon, ex qua genuit unum filium & unam filiam: filius nomine Robertus uxorem duxit heredem comitatus de Monteforti, ex qua liberos procreavit. Filia verò domino de Creon nupsit, quo defuncto sine herede, iteratò nupsit Comiti de Dammartino. Frater autem dicti Iohannis de Dreux Robertus nomine filiam habuit, quam dominus Radulfus de Nigella duxit postmodum in uxorem. 1235.

De Petro dicto Mauclerc fratre Roberti de Dreux junioris, sciendum quòd uxorem duxit Ælidem Britanniæ Comitissam, cujus avus Britanniæ Comes Conanus agnomine Grossus filiam unam habuit nomine Constantiam, quæ nupsit fratri Regis Angliæ Richardi Ioffrido, & peperit ei filium nomine Arturum, & filiam nomine Alienordem. Mortuo autem Rege Richardo devolutum

est Regnum ad hunc Ioffridum, qui antequam homagia regni reciperet, mortuus est, & Iohannes *Sine terra* frater ejus junior regnum accepit, Arturum nepotem suum postea submergi procurans, neptémque suam Alienordem in captivitate detinens, à qua nunquam evasit.

Mortuò igitur Ioffrido Arturi patre, Comitissa Constantia Comiti Andegaviæ nupsit Almarico, qui ex ea filiam hanc Aleidem generavit. Hæc ergo comitatum retinens nupsit Petro Mauclerc, qui filium unum ex ea genuit & filiam. Filius nomine Iohannes in Comitatu succedens, ex uxore sua Regis Navarræ & Campaniæ Comitis Theobaldi filia, duos filios genuit & unam filiam. Primogenitus nomine Iohannes uxorem ducens filiam Regis Henrici plures liberos ex ea genuit. Secundus nomine Petrus juvenis Miles mortuus est, & apud Fratres Minores Parisiis sepultus. Filia verò nomine Ælidis Iohanni nupta Comiti Carnotensi & Blesensi, de Avennes domino, unicam ei filiam peperit Iohannam, quæ nupta Comiti Alentionis Petro germano Regis Francorum Philippi, sine liberis decessit. Filia Comitis Britanniæ dicti Mauclerc maritata est domino Hugoni Bruno Comiti de Marcia in Pictavia, & plures ei peperit filios & filias. Primogenitus nomine Hugo patri successit in comitatu, filiarum una nupsit domino de Bellavilla, altera Comiti de Glocestre.

De progenitoribus autem dicti Comitis Blesensis Iohannis, sciendum est quòd Werricus Lisoys dominus fuit terræ de Lutosa & partium circumjacentium, cui Comes Hainoniæ temporis illius terram contulit, quæ est inter duas Eppras, quarum una à parte quæ circa Beuvas derivatur, & alia à partibus quæ circa Treson. Quartus igitur heres post illum Werricus nomine *Cum barba* dominus fuit Lutosæ ac etiam de Avennes, ubi & parvam turrim ædificavit. Et iste mansionem habebat apud Tayt super Eppram. Post hunc Werricum filius ejus Theodericus in dominio succedens turrim apud Avennes augmentavit, & Canonicos apud Letias amovit, Monachos ibi ponendo.

Iste Theodericus decessit sine liberis, & ei successit quidam suus nepos Gossewinus de Oysiaco Castellanus Cameracensis, qui uxorem habens Agnetem nomine filiam Anselmi Comitis de Ribodimonte, omnia sua alodia recepit in feudum à Comite Hainoniæ Balduino filio Richildis, & factus est unus de Paribus comitatûs, fecítque firmare villam Avennensem contra Comitis voluntatem Hainoniæ, propter quod venit Comes contra ipsum cum exercitu magno, & conflictum habuit cum eo super Sambriam, quæ per 2. dies continuata est sine partis victoria, & tandẽ tertia die captus est dictus Gossewinus, & positus in carcere Comitis, qui per despectum sibi barbam radi fecit, & ultimum facta pace perfecit firmationem villæ Avennensis de voluntate Comitis. Gossewinus iste valde discolus fuit, sed demum in peregrinatione ivit ultra mare, & reversus aliquantulum rationabilior & maturior mortuus est. Et quia liberos non habebat, successit ei nepos suus ex sorore Walterus, cognomine Plukellus, qui Ecclesiæ Letiensi auferre voluit ea quæ sui antecessores contulerant ei, & fecit ei multa mala. Sanctus verò Bernardus multum laborans pro pacificatione, inter eos pacem fecit, quæ parum duravit, quia crudelis homo fuit, & semper abstulit Monachis possessiones eorum, & aliis etiam multa fecit tædia, tandem apud Montes in Castriloco veniens ad placitandum, contradixit hominum sententiæ, & Comite super hoc ipsum compescere volente, cùm staret appodiatus super arcam quandam subitò mortuus est anno Domini MCXLVII. 1147. Cui filius ejus Nicolaus Plukellus succedens, castrum ædificavit de Landrecies & castrum de Condato, & uxorem duxit Machtildem filiam Henrici Comitis de Rupe in Ardenna. Hic Henricus fuit frater Godefridi Comitis Namurcensis, qui pater Henrici Cæci fuit; & illa Machtildis primò uxor fuerat domini de Wilecourt valde strenui Militis, deinde dicto Nicolao duos peperit filios, Iacobum & Fastradum, & unam filiam nomine Idam, quæ nupsit Castellano S. Audomari Willelmo.

Nicolai Plukelli filius primogenitus Iacobus patri suc-

cedens in dominio terræ de Lutosa & de Avennes, per uxorem suam Adeluyam* unicam filiam Bouchardi domini de Guisia terram Guisiæ tenuit & de Leskiers, & genuit ex illa quatuor filios Walterum, Bouchardum, Iacobum & Guidonem, item quatuor filias Machtildem, Ælidem, Adeluyam* & Agnetem. Iste dominus Iacobus valde strenuus Miles erat, & multùm habuit agere contra plures: tandem ivit ultra mare, & interfuit obsidioni & captioni civitatis Aconensis, quam fecerunt Rex Francorum Philippus & Rex Angliæ Richardus, postea moratus est in Syria tantum, quòd interfuit cuidam prælio ante castrum Assur, ubi fuit occisus; sed carè se vendidit, quia per arma tantum fecit, quòd adhuc est inde famositas in multis locis.

f. *Adelinam*

Hujus igitur mortis auditâ famâ dominus Galterus filius ejus primogenitus ei succedens in dominio, ex uxore sua Margareta Comitatûs Blesensis herede unicam genuit filiam nomine Mariam. Deinde in peregrinatione ivit ultra mare ubi multa bona fecit: primum posuit lapidem in fundamento castri Peregrinorum, postea reversus ad propria filiam suam Mariam in uxorem dedit Comiti sancti Pauli Hugoni, qui ex ea tres genuit liberos, Iohannem, Guidonem & Galterum. Deinde mortuâ Comitissâ Blesensi dictus Hugo Comitatum tenuit ex parte uxoris, & diu postea mortuo domino Galtero, pro filiis qui minores erant tenuit idem Hugo terram de Avennes & de Guisia.

Mortuo igitur dicto Hugone, successit ei suus filius primogenitus Iohannes, & postea per modicum tempus defuncta est Comitissa Carnotensis, quæ soror fuerat Blesensis Comitissæ, & ita dictus Iohannes successit etiam in Comitatu Carnotensi; cujus fratri Guido pro sua portione cessit Comitatus sancti Pauli, & hic uxorem duxit Machtildem filiam Ducis Brabantiæ Henrici relictam Comitis Atrebatensis Roberti, ex qua genuit Hugonem Comitem Blesensem qui nunc est, & Guidonem nunc Comitem sancti Pauli, & Iacobum dominum Lutosæ. Galterus tertius filius dicti Hugonis pro sua portione ter-

Nota Auctoris ætatem circa an. Chr. 1280.

ram habuit de Crechiaco*, qui ex uxore ſua filia domini Triangulenſis unicum genuit filium Galterum. *Creciaco.

Filiarum verò dicti domini Iacobi de Aveſnes primogenita Comiti de Ciſneio marito ſuo tres peperit filias. Quarum primogenita Iohanna Comiti Loſenſi Arnulfo marito ſuo quatuor peperit filios & duas filias. Horum primogenitus Iohannes nomine patri ſuccedens in comitatu Loſenſi, ex uxore filia Comitis Iuliacenſis unicum genuit filium Arnulfum nomine. Secundus nomine Ludovicus in Comitatu ſuccedens de Chini poſt matrem, uxorem duxit dominam de Albomonte, germanam Comitis Barrenſis Theodebaldi, relictam domini Henrici de Salmis. Tertius nomine Henricus factus Clericus mortuus eſt juvenis. Quarti nomen Gerardus: & præter hos erat quintus Arnulfus, qui ſimiliter Clericus factus eſt & Epiſcopus Catalaunenſis.

Filiarum verò dicti Arnulfi Comitis Loſenſis una domino de Fauquemont nupta, plures ei peperit filias, & illo mortuo iterum maritata eſt domino de Vorne in Zelandia. Secunda filia Iuliana domino de Kievrain nupta, duas peperit ei filias, quæ duobus filiis domini de Aſperomonte maritatæ ſunt. Secunda filia Comitis de Chini & Machtildis filiæ Iacobi Aveſnenſis, ipſa domina de Agimont & de Givet, domino Iohanni de Reteſt, Hugonis in Comitatu ſucceſſori, unam peperit filiam quæ juvenis mortua eſt. Tertia filia Comitis de Chini ac dictæ Machtildis domino Ottoni de Traſengnies maritata plures ei peperit filios & filias. Poſt mortem verò dicti Comitis de Chini, dicta Machtildis ſecundò maritata domino Nicolao de Rumengni tres peperit filios Nicolaum, Hugonem & Iacobum, de quibus dictum eſt priùs.

Ælidis ſecunda filia domini Iacobi de Aveſnes maritata domino Rogero de Roſoy, unum ei filium peperit & quatuor filias. Filius nomine Rogerus patri ſuccedens, uxorem duxit primò filiam domini Roberti de Couchi, quâ mortuâ ſecundã duxit filiam domini de Henſberghe in Alemannia; & hac mortua tertiam duxit filiam domini de Montmoranchy in Francia, ex quarum nulla libe-

ros habens, ſed demum cum Rege Francorum Ludovico transfretavit, & mortuus eſt in prælio, ubi captus fuit Rex Ludovicus.

Hujus Rogeri ſoro primogenita nomine Ælidis domino Arnulfo de Audenarde maritata, unum peperit filium & unam filiam. Filius nomine Iohannes ex uxore ſua, filia Comitis Sueſſionenſis filii Comitis Radulfi, unam genuit filiam quam Godefridus dominus de Peruves in Brabantia duxit in uxorem, ſed prolem ei non peperit. Dictus autem Iohannes de Audenarde mortua uxore prima, ſecundam duxit ſororem domini Roberti de Creſekes relictam Vicedomini de Pinkengny, ex qua plures genuit filios & filias, quorum primogenitus Arnulfus nomine uxorem duxit dominam de Seburgo, relictam domini Balduini de Hemin; qua defuncta aliam duxit ſororem domini Radulfi de Kanni. Secundus filius nomine Iohannes, tertius Robertus: filiarum una maritata eſt Godefrido Comiti de Vienna in Ardenna, altera domino Waltero de Tuppengui.

Soror verò dicti domini Iohannis de Audenarde nupſit domino Godefrido de Lovanio fratri Ducis Brabantiæ Henrici, in Monaſterio Villarienſi ſepulti, cui peperit quatuor filios & unam filiam. Primogenitus nomine Henricus uxorem duxit Iſabellam filiam domini Theodorici de Beure. Secundus nomine Arnulfus uxorem duxit heredem terræ de Breda, ex qua liberos non habuit: duo reliqui fratres Clerici.

Secunda filia domini Rogeri de Roſoy ac dominæ Ælidis filiæ domini Iacobi de Aveſnes, Iuliana nomine, domino Goberto de Aſperomonte maritata quatuor peperit filios & duas filias; quorum primogenitus Ioffridus Comitiſſam Salebruges habens uxorem ſine liberis deceſſit, cui frater ejus Robertus ſuccedens, ex uxore ſua Agnete filia domini Thomæ de Couchy duos genuit filios & duas filias. Nomen primogeniti Ioffridus, & alterius Thomas, hi duo duas ſorores filias domini Nicolai de Kievrain duxerunt in uxores. Filiarum domini Goberti de Aſperomonte una nomine Iohanna Comiti de

Salebruges est maritata. Tertius filius domini Goberti de Asperomonte nomine Iohannes Clericus est & Præpositus Montisfolconis. Quartus nomine Guido mortuus est Miles in Tunisio cum Rege Francorum. De filiabus una in religionem ingressa est, & aliæ maritatæ in Alemannia.

Tertia filia domini Rogeri de Rosoy nomine Clementia nupta Comiti de Salmis in Ardenna, unum ei peperit filium & unam filiam. Filius nomine Guillelmus filiam Comitis Iuliacensis Guillelmi duxit in uxorem, & filia Comitis de Salmis nupsit domino de Ayste, qui mortuus est ante patrem. Ex dicta tamen uxore sua filium habuit nomine Robertum, sed terra devoluta est ad ejus patruum dominum Ioffridum.

Quarta filia dicti domini Rogeri de Rosoy, Abbatissa fuit apud Monasterium in Therracia.

Tertia autem filia domini Iacobi de Avennes Adelina nupsit domino de Enghien Engelberto, cui peperit unum filium & duas filias. Filius nomine Sigerus ex uxore sua filia domini de Sottenghen sex genuit filios, & quatuor filias; quorum primogenitus nomine Walterius primò duxit uxorem filiam domini Iohannis de Barbanchon Machtildem, quæ sine prole decessit. Similiter & secunda uxor filia domini Ingesranni de Peruves. Deinde filiam Comitis Reisteтensis Manasserii Mariam duxit, ex qua unum genuit filium Walterum, qui patri successit. Secundus filius domini Sigeri de Enghien Gerardus ex filia domini Gerardi de Viane juxta Gramont unum genuit filium & duas filias. Filius nomine Gerardus patri succedens filiam duxit Castellani Gandavensis. Primogenita domini Gerardi de Sottenghen nupsit domino Thomæ de Couchy domino de Vervino. Secunda filia Iohanni filio domini Eustacii de Lens.

Tertius filius domini Sigeri de Enghien Iohannes Episcopus Tornacensis, & postea Leodiensis per translationem factam fratrum* in Concilio Lugdunensi anno Domini MCCXLIV. *deest aliquid

Quartus filius domini Sigeri Iacobus ex filia domini

Walteri de Braine filium genuit Walterium, qui postea duxit uxorem Basiliam filiam domini Balduini de Henin, quam genuit ex domina de Seburgo.

Quintus filius dicti Sigeri Arnulfus uxorem duxit filiam domini Gerardi de Tyans.

Sextus Engelbertus nomine uxorem duxit Castellanam de Montibus, ex qua plures genuit liberos.

Filiarum dicti D. Sigeri una domino Egidio de Franseignies maritata unicam peperit filiam, quam duxit Eustachius, dictus Kanivet de Rodio. Secundam duxit dominus de Liedekerke dominus Rasso de Gaure, qui plures ex ea genuit liberos, quorum primogenitus Rasso duxit uxorem Henrici de Boulers juxta Gramont. Tertia filia dicti Sigeri Abbatissa fuit apud Ghilengheen.

Sororum verò dicti Sigeri de Enghien una nomine Adelina domino Waltero Bertolt Advocato Machlinensi maritata, peperit alium Walterum Bertolt, & fratres Henricum & alios, ac sorores eorum: & hic Vualterus Bertolt ex Maria filia Comitis Arverniæ Vuillelmi filios genuit & filias, quorum primogenitus Vualterus Ælidem filiam Comitis de Ghines duxit uxorem. Henricus verò Bertoldus filiam Castellani Montensis uxorem duxit. Alia quoque soror domini Sigeri de Enghien nupsit domino Evrardo Radoul domino de Mortania, cui peperit filium Arnulfum, de quo dictum est. Quarta filia domini Iacobi de Avesnes nupsit Comiti de Grandiprato, cui peperit duos filios & duas filias, quæ sine liberis decesserunt. Primogenitus horum filiorum Iacobus patri successit in terra de Hans in Campania, non autem & in Comitatu, quia ex prima uxore sua unicum filium genuerat Henricum nomine, qui patri successit in Comitatu. Alius frater Godefridus nomine Clericus factus est Episcopus Catalaunensis. Et dictus Iacobus ex uxore sua filia domini Iacobi de Barbanchon duos genuit filios Henricum & Iacobum.

Secunda filia domini Radulfi de Couchy ex uxore sua Agnete, filia Comitis Hainoniæ Balduini hujus nominis tertii post Richildem, primò nupsit Comiti de Roussy

Radulſo, qui ſine liberis deceſſit: poſt cujus deceſſum maritata eſt Comiti de Grandiprato Henrico, qui ex ea genuit unum filium & unam filiam. Filius Henricus nomine patri in Comitatu ſucceſſit. Filia Comiti nupſit Sueſſionenſi Radulfo, cui duos peperit filios & unam filiam. Primogenitus Iohannes nomine filiam unicam domini Alardi de Cyſmaio in Hainonia heredem illius terræ duxit in uxorem, ex qua duos genuit filios & filias tres, quorum primogenitus Iohannes patri ſucceſſit in Comitatu. Secundus nomine Radulfus Miles juvenis mortuus eſt in Tunis cum Rege Francorum; & Iohannes uxorem duxit Margaretam filiam Comitis de Monteforti, ex ea tres genuit filios & filiam unam, quorum primogenitus Iohannes uxorem duxit filiam domini Hugonis de Rumengni, ex qua unum genuit filium.

Nomina fratrum dicti Iohannis Radulfus, & Anterus qui Clericus factus eſt; ſoror eorum maritata eſt domino Hugoni de Conflans domino de Maruel.

Trium filiarum ſupradicti Iohannis Comitis Sueſſionenſis primogenita nomine Ælidis maritata eſt domino Iohanni de Audenarde, cui unam peperit filiam, domino Godefrido de Peruves poſtea maritatam, quo ſine liberis defuncto maritata eſt domino Iohanni de Faluy, cui duas peperit filias. Secunda filia ſupradicti Comitis Iolendis nomine domino Hugoni de Rumengni nupta ſine liberis deceſſit. Tertia dicti Comitis filia nomine Alienordis Vicecomiti de Toars unum peperit filium Hugonem nomine, & unam filiam.

Frater autem Comitis Sueſſionenſis ſupradicti Radulfus Miles ſtrenuus & famoſus mare tranſivit, & antequam reverteretur, uxorem duxit Reginam Cypri filiam Henrici Regis Acconenſis relictam Regis Cypri, qui ex ea ipſa liberos genuerat, & per hanc dictus dominus Radulfus tenebat gubernationem Regni Cyprici ac etiam Regni Hieroſolymitani. Poſt igitur Reginæ obitum dictus dominus Radulfus aliam duxit uxorem filiam domini Iohannis de Tangeſt, ex qua filiam genuit heredem terræ ſuæ; & hæc maritata eſt domino Bernardo de Marolio:

una sororum domini Radulfi ac Iohannis Comitis Suessionensis supradicti, nomine Isabella nupta domino Nicolao de Barbanchon; post patrem duos ei peperit filios & plures filias; quorum primogenitus Iohannes nomine patri succedens, ex uxore sua filia domini Hugonis de Antoing Maria plures filios genuit, Iohannem, Hugonem, Egidium Clericum, Nicolaum Clericum, Radulfum qui fuit Clericus, Alardum, Michaëlem & Iohannem parvum adhuc, & septem filias: quarum primogenita nupsit domino Roberto de Ascha.

Dicti verò domini Iohannis de Barbanchon frater nomine Nicolaus uxorem duxit Idam germanam fratris sui. Sororum dicti Iohannis & Nicolai primogenita Machtildis domino Vualtero de Enghien nupta, sine liberis decessit. Secunda nomine Iosendis domino Hugoni de Hernes duos peperit filios Hugonem & Michaëlem, & tertia domino Arnulfo de Steyve est maritata.

Filius Comitis de Grandiprato Henricus, ex uxore sua filia domini Erardi de Rameru unum filium genuit Henricum, qui successit in Comitatu. Tertia filia domini Radulfi de Couchy Ada nomine domino Theoderico de Beure duos peperit filios, Theodericum qui patri successit, & Vuillelmum ac tres filias. Quarum una domino de Crimbergis Gerardo unicam peperit filiam, quam duxit dominus de Peruves Godefridus. Secunda domino de Hondescote Vuillemo plures peperit filios, quorum primogenitus nomine Petrus patri successit, & tertia filia domino de Montchablon Goberto unum peperit filium, qui patri successit Gobertum nomine, & unam filiam.

Tertia filia Balduini Comitis Hainoniæ hujus nominis tertii post Richildem, Laurentia nomine nupsit Theodorico domino de Alost & de Vuasia, qui filius fuit domini Ivonis de Gandavo, & dominæ Loretæ uxoris suæ, quo Theodorico sine liberis defuncto, dicta Laurentia in Hainoniam reversa est ad patrem: quo mortuo maritavit eam suus frater domino Bouchardo de Montmorenchy, qui ex ea genuit unum filium nomine Matthæum, quem ejus avunculus Comes Balduinus Militem fecit.

Prædictus

Prædictus ergo Balduinus hujus nominis tertius post Richildem, guerram habuit cum Comite Flandriæ Theodorico, qui contra Balduinum turrim quandam obtinuit in Ostrovento nomine Rovecourt, & eam muniverat; sed dictus Comes Balduinus per insidias illos de munitione invasit ac dejecit, & ibi mortuus dominus Rasso de Gaure, qui relictam domini Egidii de Chini habuerat uxorem, Domitionem de Chirue*. Hujus ergo Rassonis filius fuit Rasso, & filia quam Eustachius de Rodio cognomine Livalles in uxorem duxit. *l.* *Chievres dominam.*

Dictus Balduinus Comes hujus nominis tertius post Richildem, Binchium instauravit & vallavit muro, similiter & castrum apud Monts-quercetum ædificavit, & castrum firmavit muris & fossatis, turrim quoque apud Bouchain incepit, & aulam apud Valenchenas fecit, juxta scaldam Raimes ædificavit & turrim, & acquisivit Aat in Brabantia à domino Egidio de Fransengnies, & castrum incepit ædificare, quod dominus Rasso filius domini Rassonis de Gaure, ac domina Domitione de Chirue calumniati sunt: unde ad opus illud impediendum accessit illuc dominus Rasso cum magna potentia hominum, & hoc de consilio Comitis Flandriæ Philippi. Quo comperto dominus Comes Balduinus cum magna potentia venit ad Blixi, & ibi est moratus usque ad operis complementum.

Postmodùm dictus Balduinus Ecclesiæ Montensi acquisivit Braine le Vuihote, faciens ibi turrim, sed decimas ibi retinuit Ecclesiæ & census ac oblationes. Fuerat autem dicta terra domini Henrici de Braine Senioris.

Dominus de Cisnaio qui per aliquas terras* residentiam continuam facere tenebatur apud Mons, à prædicto Balduino tertio recepit in augmentum feudi parati Cysmaium, & omnia alodia sua & feodales terræ, ac homines de villa Cysmai, omnes qui quindecim annos transiverunt tenentur fidelitatem facere Comiti in hunc modum: Quòd si dominus de Cysmaio nollet castrum reddere ad Comitis monitionem, aut si guerram vellet facere Comiti, ipsi essent in auxilium. *f.* * *guerras.*

Dictus igitur Godefridus cùm ſexdecim annorum eſſet & Miles fieri vellet, mortuus eſt, ſepultus in Eccleſia ſanctæ Valdetrudis.

Filiarum verò primogenita Iolendis nupſit Ivoni Comiti Sueſſionenſi Seniori, qui Nigellam tenebat. Iſte Ivo famoſus erat in liberalitate & prudentia ſuper omnes Barones Franciæ. Hæc itaque Iolendis prolem non habens ex dicto Ivone, poſt mortem ejuſdem Comiti de ſancto Paulo nupſit Hugoni, cui duas peperit filias, Eliſabeth & Euſtachiam. Secunda filia Comitis Balduini Agnes multùm formoſa ſed parum claudicans, domino Radulfo de Couchy nupſit, cui tres peperit filias; quarum primogenita Iolendis domino Roberto de Drwes* & de Brana nupſit, qui filius fuit domini Roberti fratris Ludovici Francorum Regis, & peperit ei quatuor filios & quinque filias. Primogenitus nomine Robertus patri ſucceſſit in Comitatu; ſecundus nomine Petrus Mauclerc factus eſt poſtea Comes Britanniæ per uxorem, tertius nomine Henricus factus Clericus, & poſtmodum Remenſis Archiepiſcopus caſtrum Portæ-Martis fortificavit; quartus verò duxit uxorem Comitiſſam Matiſconenſem, ex qua tamen heredem non habuit.

j. * Dreux.

Primogenita quinque filiarum Comitis Roberti nupſit domino de Salins, qui erat Comes ultra Saonnam; ſecunda Comiti Barrenſi Henrico, qui ex ea plures genuit filios & filias.

Filiorum primogenitus Theobaldus patri ſucceſſit in Comitatu: ſecundus Henricus nomine juvenis Miles mortuus eſt: tertius nomine Renaldus uxorem duxit Mariam (ſic nominatam in teſtamento Renaldi facto an-
1271. no MCCLXXI. die Iovis ſancta menſe Aprili) filiam domini Nicolai de Chievrain, ex qua heredem non habuit.

Vna verò filiarum Comitis nupſit domino Henrico de Lucebourg*, filio Comitiſſæ Ermeſendis, Comitis Namurcenſis Henrici cæci filiæ. Et hic Henricus Comes de Lucemburg ex uxore ſua plures genuit filios & filias.

j. Luceiburg.

Tertia filia Comitis Roberti & Iolendis nupſit Comiti de Augo, quæ ſimiliter Iolendis nomine peperit dicto

Comiti de Eu unicam filiam, quæ nupta domino Alfonso filio Regis Aconensis Iohannis, unum ei peperit filium & duas filias: nomen filii Iohannes, qui uxorem duxit filiam de sancto Paulo Guidonis, ex qua plures genuit filias. Vna filiarum Elisabeth nomine nupsit domino Iohanni de Dampetra: secunda Monialis facta est. Quarta filia Comitis Roberti facta est Abbatissa Fontis-Eurardi*. Quinta nupsit Comiti de Roussi, qui ex illa non habuit heredem. *al.* * *Euraldi, ac Ebraldi,*

Filiorum autem Comitis Roberti de Druves & Iolendis primogenitus nomine Robertus patri succedens, uxorem duxit filiam unicam domini de sancto Vualerio, ex qua genuit filios & unam filiam Iohannem primogenitum, & Robertum: nomen filiæ Iolendis, quæ nupsit duci Burgundiæ Hugoni, qui ex ea tres genuit filios & unam filiam. Nomen primogeniti Odo qui fuit Comes Nivernensis: nomen secundi Iohannes. Tertius verò Robertus nomine patri successit in Ducatu, eo quod alii duo fratres decesserunt vivente patre.

Filia verò dicti Hugonis Alaidis nomine nupsit Henrico Duci Brabantiæ, cui tres peperit filios & unam filiam. Nomen primogeniti Henricus, qui propter ineptitudinem suam ad terram regendam tonsoratus est, & factus est Canonicus Regularis in Burgundia apud sanctum Stephanum Divionensem. Secundus nomine Iohannes patri successit in Ducatu. Tertius nomine Godefridus uxorem duxit heredem de Vierzon: nomen filiæ Maria, quæ nupsit Regi Francorum Philippo, qui priùs habuerat uxorem filiam Regis Aragonum, ex qua tres genuerat filios.

Dux Brabantiæ prædictus uxorem duxit, primò Margaretam sororem dicti Regis Francorum Philippi, quæ sine herede mortua, aliam duxit Margaretam filiam Comitis Flandriæ Vuidonis, ex qua filios genuit & filias.

De hujus itaque Iohannis progenitoribus sciendum, quòd Rex Francorum Ludovicus filius Caroli simplicis ex Regina Otgiva Regis Anglorum Alfredi filia, duos genuit filios, Lotharium qui patri successit in Regno, & Carolum Ducem Lotharingiæ.

Hic Carolus duas genuit filias Ermengardim, quæ nupta Comiti Namurcensi peperit Albertum Comitem, qui patri in Comitatu successit; & Gerbergam quæ nupsit Lamberto cum Barba fratri* Raineri Lógicolli Comitis Montensis. Iste Lambertus Bruxellam tenebat in sua hereditate; Gerberga verò erat Comitissa Lovaniensis de hereditate sua: & hic Lambertus ex Gerberga genuit Henricum Seniorem* Comitem Bruxellensem, & ii fundaverunt Ecclesiam sancti Petri in Lovanio.

alıis * filio.

* Lambertum *secundum alios ejus nominis III.* Comitem Lovaniensem & Brucsellensem,

Iste Lambertus præliando contra Episcopum Leodiensem Baldricum apud Huardis devicit eum, postmodum tamen fuit occisus in prælio apud Florinas. Henricus* igitur Senior patri succedens in Comitatu Lovaniensi duos genuit filios & unam filiam: quorum primogenitus Henricus & alter Lambertus, filia verò Machtildis nomine Eustachio Boloniæ Comiti nupta est. Lambertus verò patri successit in Comitatu Lovaniensi, quia frater ejus primogenitus sine herede decessit*. Hic itaque Lambertus uxorem duxit Odam, & ii fundaverunt Ecclesiam sanctæ Gudilæ, ponentes ibi Canonicos, quibus decimas dederunt de Bruxella.

aliis * Lambertus.

* *Negant hoc alii.*

Dictus Lambertus ex Oda genuit Henricum qui patri successit in Comitatu, & genuit duos filios Reinerum primogenitum & Henricum: quo Reinero in Hasbania occiso cùm heres ei non esset, successit in Comitatu patri Henricus, qui genuit duos filios Henricum primogenitum, & Godefridum cum Barba. Mortuo igitur patre, successit ei primogenitus Henricus, qui de uxore sua quatuor genuit filias, quarum unam Imperator Fredericus in uxorem duxit, postea dictus Henricus Comes Tornaci occisus, & Nivellæ sepultus. Successit igitur in Comitatu frater suus Godefridus cum Barba, eo quòd filium non habebat.

Huic igitur Godefredo Imperator nomine Henricus contulit Ducatus Lotharingiæ, propter quod ipse & successores sui vocati sunt Duces: & hic Godefredus duos habuit filios & tres filias. Primogeniti nomen Godefridus, alterius Henricus qui Monachus factus est in Monasterio

Affligensi*. Filiarum primogenita Ælidis Regi Angliæ maritata. Secundam nomine Idam Comes Clevensis duxit in uxorem. Tertia nomine Clarissia virgo permansit. Demum hic Godefridus defunctus est anno Domini MCXXXIX. & apud Affligense Monasterium sepultus quod ipse fundaverat. 1139.

al. * Affligeniensi.

Godefridus ergo filius ejus in Ducatu succedens, uxorem duxit sororem Imperatoris Lutgardem; & post quatuor annos defunctus est: cui Godefridus ejus filius successit infans unius anni, qui ad ætatem perveniens, uxorem duxit Margaretam sororem Ducis Lemburgensis, ex qua duos genuit liberos Henricum, postea Ducem, & Albertum: quâ Margaretâ defunctâ, Dux Godefridus secundam duxit uxorem Imaginam sororem Comitis Lossensis, ex qua unum genuit filium Guillelmum nomine, à quo descenderunt heredes de Perwes.

Iste Godefridus Dux cum filio suo Henrico longo tempore guerram habuerunt cum Comite Hainoniæ Balduino hujus nominis tertio post Richildim, & contra Balduinum ejus filium. Hic igitur Godefridus postquam Ducatum tenuerat quadraginta septem annis, mortuus est anno Domini MCXC. cui successit filius ejus Henricus, 1190. Albertus factus Clericus, & postea Leodiensis Episcopus occisus est juxta civitatem Remensem.

Henricus itaque Dux uxorem duxit Machtildem, filiam Comitis Boloniæ Matthæi, Philippi Comitis Flandriæ germani, ex qua genuit duos filios & tres filias. Primogeniti nomen Henricus, alterius Godefridus. Filiarum primogenita Maria Imperatori nupsit Ottoni; secunda nomine Ælidis Comiti Arverniæ Guillelmo; tertia nomine Machtildis Comiti Hollandiæ Florentio strenuo Militi pro tempore suo, qui juvenis mortuus est in Torneamento apud Bovos. Machtilde autem Ducissa mortua, Dux Henricus aliam duxit uxorem Margaretam Comitis Namurcensis Philippi filiam. Item tantum fecit Comes Balduinus erga dominum Adam de Wallincourt, quòd castrum de Perrumont ab eo recepit in homagium ligium*.

* Hic desunt aliqua.

Dicto de domino Iacobo de Avesnes, ac de iis qui ab eo processerunt, dicendum est de domino fratre suo, qui Advocatiam de Flammengeria, ac terram magnam circumjacentem habens in partem hereditatis suæ; ex uxore sua duos genuit filios & unam filiam. Quorum primogenitus dominus Nicolaus ex sorore Balduini Buridani domini de Vualincourt quinque genuit filios & filias multas. Quorum primogenitus patri succedens ex sorore domini Karonis de Rume unum genuit filium & duas filias. Quarum primogenita nomine Yoia, fratre mortuo juvene, patri succedens domino Egidio de Barlemont, marito suo duos genuit filios, Egidium & Iohannem, & duas filias. Filius primogenitus Egidius de filia domini Iohannis de Alneto juxta Valencenas unum genuit filium nomine Egidium. Et hâc dominâ mortuâ duxit secundam uxorem Aldam filiam domini Michaëlis de Vuasieres, ex qua plures genuit filios & filias. Secunda filia dicti Fastradi secundi nomine Ælidis domino Arnulfo de Le Hamaide duos filios peperit, Iohannem & Theodericum, & unam filiam. Balduinus dicti Fastradi frater uxorem duxit matrem domini Egidii de Bairlemont, qui duxit neptem ejus filiam domini Fastradi fratris sui: & genuit dictus Balduinus ex uxore sua unum filium nomine Gerardum, qui ex filia domini de Venduel Melisende unam genuit filiam nomine Heluidem. Dictus Gerardus dicta uxore sua mortua, ex alia uxore nomine Ida filia domini de Lamprenisse* quatuor genuit filios, Balduinum, Gerardum, Iohannem & Nicolaum, & tres filias Idam, Agnetem & Philippam.

al. *Lemprenesse.

Dicto de duobus filiis domini Nicolai de Flammengeria, dicendum est de filia ejus, quæ domino Almerico Dauteville duas peperit filias, quarum una nupsit domino Henrico de Husalis, & altera domino Vuillelmo fratri suo, qui ex sua unum genuit filium nomine Vuillelmum. Dominus verò Henricus ex sua quinque genuit filios & unam filiam: quorum primogenitus Theodericus ex domicella de Rume unam genuit filiam. De aliis verò filiis dicti domini Henrici de Husalaise tres fuerunt Cle-

rici, & alii non conjugati: & filia dicti Henrici de Husalise primò nupta domino Henrico de Mirouvant in Ardenna, plures ei peperit liberos: post cujus obitum ipsam duxit dominus Henricus de Belecoste. Alius verò frater domini Nicolai de Flammengeria filii domini Fastradi Clericus fuit, & postmodùm Episcopus Tornacensis.

Soror domini Iacobi de Avennes, ac domini Fastradi, filia scilicet domini Nicolai Pluxelli, nomine Ida, Castellano sancti Audomari domino Guillelmo quinque filios peperit & multas filias. Quorum primogenitus Vuillelmus nomine patri succedens, uxorem duxit sororem Comitis Lossensis Imaginam, quo sine herede mortuo, successit ei frater suus similiter Vuillelmus nomine. Tertius filius Galterus nomine Clericus fuit & Præpositus Ecclesiæ sancti Audomari. Hic postmodùm ultra mare multas probitates fecit, & tandem credens succurrere cuidam strenuo Militi à Saracenis invaso, est occisus ibidem. Quartus Iacobus nomine uxorem duxit nomine Clementiam sororem Comitis Rainardi de Dammartin, qua sine herede defuncta cum Comite Hainoniæ & Flandriæ Balduino ivit Constantinopolim, & ibi duxit Principissam Achaiæ in uxorem, ex qua nullum genuit heredem. Et quintus nomine Nicolaus cum aliis ivit in Græciam, & ibi duxit uxorem Reginam Thessalonicæ sororem Vuillelmi de Rupe Ducis Athenarum, ex qua duos genuit filios: quorum primogenitus nomine Bilas, fratre suo Vuillelmo sine herede mortuo, uxorem ducens dominam Thebarum, tres filios ex ea genuit, Nicolaum, Ottonem & Iohannem. Hic Nicolaus patri succedens, uxorem duxit Achaiæ Principissam.

Filiarum verò dictæ dominæ Idæ & Castellani prædicti primogenita Machtildis Advocato Morinensi nupta, sine liberis decessit. Secunda filia nomine Ida Præposito Duacensi unicam peperit filiam Idam nomine, quæ domino Alardo de Antoing unum peperit filium & duas filias. Filius nomine Hugo patri succedens in terra de Antoing & de Espinoit duxit uxorem Philippam, unicam filiam probi viri domini Michaëlis de Harnes, ejúsque he-

redem, ex qua tres genuit filios & duas filias: quorum primogenitus nomine Michaël pro sua parte habens terram de Harnes, ex sorore domini Rassonis de Ludekerke unum genuit filium & duas filias. Hic filius nomine Hugo ex sorore domini Iohannis de Berbenchon duos genuit filios Iohannem & Michaëlem: quorum primogenitus Iohannes duxit Mariam filiam domini Eustachii de Conflans, relictam domini Iohannis de Mortaigne. Sororum dicti domini de Hernes primogenita nomine Clarissa domino Eustachio de Lens unum peperit filium & unam filiam Filius iste Iohannes nomine duxit uxorem Alaidem filiam domini Gerardi de Enghien domini de Sottengheen. Et filia dicti domini Eustachii Isabella nupsit domino Alardo domino de Ville. Secunda verò soror dicti domini Hugonis, filia domini Michaëlis de Hernes, nomine Philippa, nupta domino Eustachio Canivet de Rodio sine herede decessit.

Prædictus dominus Michaël de Hernes uxore sua prima mortua, duxit filiam domini Renaldi de Pinkengni, ex qua filiam genuit nomine Mariam, quæ nupsit domino Arnoldo de Cisoing.

Secundus filius domini Hugonis de Antoing Hugo nomine ex filia Senescalli Flandriæ Rogeri plures genuit filios, & post mortem hujus uxoris primæ aliam duxit, scilicet filiam Advocati Bethuniæ Roberti, relictam domini Hellini de Waurin. Et tertius filius dicti domini Hugonis de Antoing nomine Iohannes, uxorem duxit Beatricem filiam domini Roberti de Vorne, relictam domini Godefridi de Winti.

Filiarum verò dicti domini Hugonis de Antoing primogenita nomine Beatrix, domino Iohanni de Rume plures genuit filios & filias: quorum primogenitus Balduinus nomine ex filia domini Hellini de Waurin Sibilla tres genuit filias: quarum primogenita Elisabeth nomine nupsit domino Iohanni de Varennes: reliquæ nondum maritatæ. Sororum autem dicti domini Balduini de Rume primogenita, Philippa nomine, domino Theoderico de Husalise unam peperit filiam. Altera verò soror Ælidis

dis nomine domino Iohanni de Arca plures peperit filios & filias.

Prædictus dominus Hugo de Antoing poſt mortem uxoris dominæ Philippæ de Harnes, ex filia domini Iohannis de Ciſoing Maria plures genuit filios & filias: quorum primogenitus Alardus nomine terram tenens de Briefvel, quam pater eidem acquiſierat ex filia domini Galtheri de Torota Maria plures genuit filias.

Secundus dicti Hugonis filius ex uxore ſecunda, Galterus nomine terram tenens de Belona per acquiſitionem patris ex nepte domini Radulfi de Sorées* Franciæ Mareſcalli Katerina plures genuit filios.

* *Lege*, d'Eſtrées.

Tertius eorumdem filius Iohannes nomine Canonicus Eccleſiæ Cameracenſis & Archidiaconus: ſimiliter & quartus Arnulfus nomine. Et quintus per acquiſitionem patris terram tenens de Aſſenaing, nomine Egidius ex unica filia domini Guillelmi de Fraxineto plures genuit liberos.

Filiarum verò dicti Hugonis de Antoing ex uxore ſecunda primogenita nomine Maria domino de Barbenchon Iohanni plures peperit liberos. Alia verò Ida nomine domino Nicolao de Barbenchon, fratri dicti domini Iohannis nupta eſt. Ida ſupradicta Præpoſiti Duacenſis uxor poſt mortem dicti Præpoſiti domino Henrico de Hondeſcote nupta, unum peperit filium & filiam unam. Filius nomine Libleus ſatis ſtrenuus mortuus eſt ſine liberis. Et filia nomine Ida domino Guidoni de Montengni duos peperit filios & duas filias. Primogeniti nomen Robertus & alterius Libleus. Filiarum una nupta eſt domino Roberto de Beauſart, & alia domino Balduino de Macicourt.

Sororum ſupradicti domini de Antoing filii domini Alardi prima nomine Maria domino Philippo de Prouvy unicum peperit filium nomine Gerardum, qui patri ſuccedens ex Ida filia Comitis Balduini de Ghines plures genuit filios & filias: quarum primogenita nupſit primogenito Comitis de Salmis in Ardenna Guillelmo. Secunda ſoror dicti Hugonis nomine Margareta domino Willel-

f. * Graines. mo de Graumes* duos peperit filios & duas filias. Primogeniti nomen Willelmus, alius Hugo. Filiarum una domino Henrico de Marlins unam filiam peperit. Tertia filia prædictæ dominæ Idæ de Avesnes ac domini Willelmi Castellani de sancto Audomaro nomine Agnes Abbatissa fuit apud Messines in Flandria; & quarta Alaidis nupsit domino Balduino de Crequi, qui ex uxore præcedente jam habuerat filium nomine Balduinum. Dictus ergo Balduinus pater hujus ex dicta Alaide unum genuit filium & unam filiam. Filius sine liberis decessit, & filia nomine Ælidis domino Balduino de Pesnes plures peperit liberos: quorum primogenitus Willelmus, secundus Balduinus, tertius Gillebertus, quartus Iohannes, & quintus Galterus. Guillelmus & Balduinus sine liberis decesserunt, & sic devoluta terra ad Gillebertum eorum fratrem Canonicum Ariensem. Dictus Gillebertus Clericatum dimittens, ex filia domini de la Planche plures genuit filios.

Filiarum verò dictæ dominæ Ælidis de Pesne una domino Richardo de Liere plures genuit liberos: quarum una filia dicti domini Richardi nupsit domino Mathæo de Medon. Alia verò dominæ de Pesnes filia domino de Espieres filios peperit & filias: quarum una nupsit Castellano de Furnes.

Mortuo autem dicto domino Balduino de Crequi, Ælidis de sancto Audomaro ejus relicta domino Anselmo de Lonviliers domino de Kaheu unum peperit filium & duas filias. Filius nomine Arnulfus patri successit, & filiarum una nomine Ida domino Engilramo de Liskes tres peperit filios, & unam filiam: quorum primogenitus nomine Engelramus ex sorore domini de Lierdonchiel plures peperit liberos. Secundus nomine Anselmus uxorem duxit dominam de la Mote sororem
f. * Rumengni. Walteri de Oumengni*, & tertius filius nomine Vuillelmus Clericus fuit. Filiarum verò domini de Liskes primogenita nupsit domino Arnulfo de Longuilliers; & una filiarum domini de Longuilliers primogenita domino de Esquerdes plures genuit liberos. Et secunda filia nupsit primogenito filio domini Anselmi de Ordre.

Quinta filia dominæ Idæ de Aveſnes nomine Margareta nupſit domino Balduino de Crequi filio domini Balduini ex uxore prima, qui poſtea duxit Ælidem ſororem dictæ dominæ de qua locuti ſumus: & peperit dicta domina Margareta dicto domino Balduino plures filios & filias: quorum primogenitus Philippus terram de Crequy tenens poſt patrem, ex ſorore Vicedomini de Pinkengni Gerardi plures liberos genuit: quorum primogenitus nomine Balduinus ex filia domini de Hellivinea ejuſdem herede plures genuit liberos. Secundus dicti domini Philippi filius nomine Hugo ex uxore ſua domina de Selles plures genuit liberos. Tertius dicti domini Philippi filius nomine Philippus, & quarti nomen Engelramus, qui fuit Clericus & Epiſcopus Cameracenſis. Filiarum verò domini Philippi domini de Crequi una nomine Margareta primogenito domini de Giſteles unum peperit filium, qui poſt mortem domini Walteri ſucceſſit in terra de Furmeſelles, & dicta Margareta nupſit domino de Hargicourt, quo ſimiliter defuncto ſine liberis, iterum maritata eſt domino Vualoni de Boure, poſt cujus etiam mortem domino de Tranſengnies.

Secundus frater dicti domini Philippi de Crekui nomine Balduinus dominus de Torchi plures genuit filios: quorum primogenitus nomine Vuillelmus patri ſucceſſit. Secundi nomen Philippus, & tertii Balduinus. Vna filiarum dicti domini Balduini de Torchi nupſit domino de ſancto Maxentio, & alia domino de Sempi. Duarum verò filiarum dicti domini Balduini de Crekui junioris, una nomine Margareta Abbatiſſa fuit apud Meſſines in Flandria, & ſecunda domino Iohanni Boutteri domino de Boumo unam peperit filiam, quæ domino Bernardo de Moreul unum peperit filium nomine Stephanum. Hic Stephanus uxorem duxit filiam domini Comitis de Domartin, & poſt mortem domini Bernardi de Moreul, dicta filia domini Vuillelmi Boutteri remaritata eſt domino Guillelmo de Pois, cui peperit unum filium. Tertia filia domini Balduini de Crekui domino Iacobo de Giſny unam peperit filiam, quæ nupſit domino de Coudun, qui

ex ea duas genuit filias: quarum primogenita nupſit primogenito filio domini de Raineval, & alia primogenito filio domini de ſancto Simone. Quarta verò filia domini Balduini de Crekui domino Radulfo Flamment duas peperit filias, quarum una nupſit domino Iohanni de Eppe, & alia domino Gerardo de Sorel. Sexta filia dominæ Idæ de Aveſnes nomine Beatrix domino Philippo de Aria, fratri domini Balduini de Aria, duas peperit filias, quarum una nomine Iſabella domino de Beauraing duos peperit filios & quinque filias. Quorum filii mortui ſunt juvenes. Vna verò quinque filiarum domino de Bremeia duos peperit filios Euſtachium & Alelmum. Euſtachius uxorem duxit Comitis filiam de Domartin, quæ ſine liberis deceſſit, & Euſtachius aliam ducens uxorem filiam domini Drogonis de Mili, ex qua plures genuit liberos.

Secunda filia dominæ de Beauraing domino de Haſebuerc plures etiam genuit filios. Tertia domino de Bruet & de Beekin ſimiliter genuit liberos. Quarta domino de Brumesbere plures etiam liberos genuit. Et quinta nupſit domino de Bleki.


Secunda filia domini Philippi de Aria, Soror Iſabellæ prædictæ nomine Machtildis domino Iohanni de Ypra domino de Revenghes plures peperit filios.

Dictum eſt quod dominus Willelmus Caſtellanus S. Audomari, filius dominæ Idæ de Aveſnes ſine liberis deceſſit, ſimiliter & Vuillelmus frater ejus, Miles ſtrenuus, & citra mare & ultra fratri ſuccedens in Caſtellania ſancti Audomari & Comitatu de Faukemberghe ſine herede mortuus eſt, & ideò devoluta eſt illa terra tota ad dominam Beatricem ejus ſororem uxorem domini Philippi de Aria, eo quòd fratres ejus omnes & ſorores antegenitæ jam deceſſerant, & hæc Beatrix non diu ſupravivens mortua eſt, & ſucceſſit ei filia ſua Machtildis uxor domini Iohannis de Ypra domini de Remenghes*, qui ex ipſa plures genuit liberos: quorum primogenitus nomine Guillelmus heres Caſtellaniæ S. Audomari & Comitatûs de Faukemberghe, ex uxore ſua Adeluia filia Comitis Balduini de Ghines unum genuit filium & unam filiam.

f. * Revenghes, *ut infrà.*

Filius quidem nomine Willelmus patri ſuccedens, ex filia domini Florentii de Varennes unam genuit filiam, quæ fuit conventionata primogenito filio Caſtellani de Beaumes. Soror verò nomine Machtildis prædicto Caſtellano de Beaumes Balduino plures peperit filios. Fratrum verò prædicti Willelmi primogenitus poſt ipſum Willelmum, Iohannes nomine in terra ſucceſſit de Revenghes; & alius frater ejus nomine Gerardus Archidiaconus fuit Brabantiæ in Eccleſia Cameracenſi. Tertius nomine Iacobus dominus fuit de le Nieppe. Quartus nomine Balduinus de Bellefontaine Theſaurarius in Eccleſia Antonienſi. Quintus nomine Walterus dominus fuit de Morbeke, & acquiſivit Caſtellaniam S. Audomari pro parte quæ jacet in Flandria. Et ſextus Bouchardus vocabatur, duarum verò filiarum dominæ de Revenghes una nunquam voluit maritari, ſed caſtè vixit; & alia nomine Beatrix domino de Beaumanoir unam peperit filiam, quæ nupta eſt domino de Strées. *Il eſt, d'Eſtres.*





CHRONICON MONASTERII BEATÆ MARIÆ, ORDINIS S. BENEDICTI APVD MOSOMVM,

In Diœcesi Remensi, à D. Adalberone Remorum quondam Archiepiscopo fundati Anno salutis DCCCCLXXI.

INCIPIT TEXTVS VITÆ ac Translationis S. Arnulfi Martyris.

SANCTORUM solemnia quotiescumque agimus, fideli mente, Fratres, pensare possumus, quia cùm sit pro humanis laboribus apud Deum jugis omnium Sanctorum deprecatio, de illis hoc pro nobis tantopere fieri, tunc potissimùm sperare debemus, quando in Dei laudibus pro illorum gloria attentiores sumus. Ideò nobis pia intentione curandum est, ut quod exteriùs per speciem significamus, interiùs in veritate teneamus; & inde foris solidemur in opere, unde intus reformamur in mente. Solemnitas enim Sanctorum, salus est & lætitia fidelium, qui de illa jam gaudent inventione; unde nos per spem hilarescimus in itinere, certi per gratiam Dei ad eorum nos pertinere & perventu-

ros esse consortium, quorum per fidem & operationem imitamur exemplum. Illi fidei firmiter servantes propositum, spei anchoram tenentes per desiderium, imitati sunt Christum in morte sua, & per calicem passionis adepti sunt præmia æternæ felicitatis.

Igitur eorum nos in quantum possumus, Deo largiente, vestigia prosequamur; & si eos dignè imitari per omnia non valemus, tamen inquantum virtus suppetit, & ex affectu cordis diligamus, & corporis devoto servitio celebremus; ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Nec enim dubitandum est eos semper esse avidos salutis humanæ, pro qua Deus misericorditer homo fieri dignatus est, & quam nobis suo sanguine Christus comparavit, ipsámque in se assumptam in dexteram Patris in cælestibus collocavit; ut ubi præeminet in capite, ibi conservetur in corpore. Sed idcirco impensiùs Sancti salutem nostram apud Dominum efflagitant, & per compassionem ······ scientes quia quantò magis nostræ corruptionis labore premimur, tantò magis necesse est ut divino auxilio sublevemur.

Proinde, dilectissimi Fratres, Sanctorum memoria fideli semper est cogitatione veneranda, & pia admiratione suscipienda. Qui enim carnis materiam portantes, sed tanquam de carnali corruptibilitate assumpti, præter carnem vixerunt, & per spiritum vivificantem ea quæ carnis sunt calcaverunt, dignum valde est, ut & vitæ sanctitate insignes habeantur, & victoriarum suarum titulis coronati, honore & admiratione pariter reverendi laudabiliter prædicentur. Vnde quia hunc diem pro B. ARNULFI Martyris præsenti patrocinio solemnem recolimus, ipsi Domino Deo multiplices gratias referimus, cujus adoranda semper clementia tanti benedictione suffragii, nos in hac die voluit feliciter prosperari. Hodie namque Patribus nostris & prioribus hujus loci, Mosomensis videlicet Ecclesiæ, quod minùs sperabant divina bonitas optabile satis contulit donativum, quod & sibi ac posteris suis per succedentia temporum curricula posset esse salutiferum, mœstis & dolentibus consolatorium; fessis & laboranti-

bus

bus tranquilla requies, profligatis & pro peccato mœrentibus præsentissima sedes recreationis. Hodie namque, Deo faciente misericordiam, Mosomensis Ecclesia hujus sancti Martyris suscepit pignera, accepit patrocinia, meruit fidissima orationum ejus beneficia. Excepit die ista lætantibus Angelis exanime corpus, sed quod miraculorum famulante testificatione comitabatur cœlica virtus. Suscepit, inquam, loculum & corpus cum ossibus exstinctis, sed quæ foris abjecta videbantur, intus erant jucunda & vivida meritorum lumine. Ostendebat nimirum omnipotentia divinæ majestatis quod latebat oculos nostræ carnis: repræsentabat vivæ virtutis indicium, unde mens nostra nimis ambigeret, cùm eam fidei argumento solidatam veritas ipsa miraculorum ad magis credendum attraheret.

Mirum erat quòd cæca mulier visum reciperet, & cum virtute miraculi lumen surgebat fidei. Stupendum erat prodigium, quòd ignis suarum oblitus virium nequibat præbere inter arida ligna incendium. Prorsus erat mirificum, & antè à sæculis nostris insolitum, verè novum cœlestis virtutis opificium, navim per fluctus ire sine remige contra fluminis impetum adlabi placidissimè; & dum fluctus deorsum sensim labitur, navim aquila præsidente cum solo Sancti corpore gratanter undis invehi. Sed jam ratio postulat, ut causas tantarum rerum series narrationis expediat.

Venerabilis igitur ARNULFUS, vir verè Deo dignus, Lotheriensis terræ fuit accola, atque ut ex miraculis claruit, totius innocentiæ & sanctitatis arripuit tenere vestigia. Quibus insistens, & fideliter Deo in timore & justitia deserviens, magis ac magis in bono proficiens, sicut palma in dies multiplicabat, sicut lilium odorem virtutum coram Deo germinabat, pro quo modò electus & assumptus habitabit in atriis semper cœlestis vitæ beatus. Hic itaque verè bonorum operum studiis augmentatus, per simplicitatis oculum corpus suum exhibebat lucidum. Sed cùm divina gratia sic ejus disposuisset opera, ut lucerna in domo Dei fieret quatinus intrantibus lumen

præberet ipse, quòd nescientibus rectum & velut obscurum erat in tenebris. Positus super candelabrum bonæ operationis dare cœpit flammas quibus accensus fuerat divini amoris. Audiens namque quod ait Apostolus:
2. Cor. 5. 6. *Quandiu in hoc corpore sumus, peregrinamur à Deo: per fidem enim ambulamus, & non per speciem.* Itémque illud:
Heb. 13. 14. *Non habemus hìc manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* Hanc vitam peregrinationem intellexit esse, non patriam, carcerem servitutis pro domo libertatis, exsilium captivitatis pro civitate & regno supernæ inhabitationis: Idcirco corpus castigans servituti subjiciebat; attenuans carnem male illecebris seducentem, & spiritum roborans virtutum plantaria fructificantem.

Vnde bonus adolescens peregrinatione suscepta ad ultra Mosanos ac Mosellæ sinus Belgicam, Celticámque Galliam petiit orandi gratiâ, & Sanctorum qui in eis sunt frequentandi suffragia. Quid ibi negotii habuerit, quid commercii cum ipsis, sancta ejus suspiria & piæ lacrymæ in precibus assiduè profusæ egerint, non multùm est necesse dicere, cùm satis sit perspicuum, eum quæ sanctè poposcerat, efficaciter promeruisse, & quæ justè quæsierat feliciter obtinuisse. Itaque lustratis multorum Sanctorum patrociniis, tam in urbibus quàm in vicis, mēte & corpore sospes repedabat, & alacris ambulabat sollicitus cum Deo suo, innocens manibus, & corde mundo, quia non acceperat animam suam in vano, nec in dolo juraverat proximo suo. Et quoniam hæc generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob accepit benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo, ut ascenderet in montem Domini, & staret in loco sancto ejus.

al. * Porcuensem. Interim Porciensem* comitivam ingressus, propè jam egrediens perlimitabat eam, cùm ecce à latronibus vitæ vel pecuniis transeuntium insidiantibus occursu improviso exceptus, in loco qui dicitur · · · · · · in silva, quæ cum toto circumposito sibi montuoso territorio Frigemons appellatur, usque ad mortem verberibus & plagis dirissimis toto corpore dilaniatus, tandem vix ad villam,

quam Gruerias appellabant, pervenit, & ducente se via, regio, ut dicunt, Pergio subltitit: Quem cùm inibi villę populus diutissimè residentem vidisset, nec inde se promoventem, lassum quidem priùs credentes, fageto autem & umbrâ silvæ quæ dextrorsum præeminet æstimantes obumbrari: ac deinde cùm nullatenus removeretur, putantes speculatorem, vel alicujus prædæ aut rapinæ exploratorem, vadunt quisnam sit percunctari. Nam villa tunc illa & viris habitabatur admodum honestis & divitibus, & populi frequentia, ruralíque negotio satis erat composita. Venientes autem, & quàm malè se ille vir sanctus haberet invenientes, humana miseratione commoti nuntiaverunt apud villam celerrimè causam facti. Quod audientes concives à majore usque ad minorem convenerunt ferè omnes dolentes cum dolente, infirmati cum infirmante.

Matronæ verò villæ illius, quibus & humanissimus & devotus erat affectus, cupientes eum domibus suis adducere, ut in sancta administratione illius participarent gloriæ remunerationis ejus, offerebant ei suam christianissimè sedulitatem in omnibus, secundùm quod immensitatem considerabant dolorum & plagaturæ ipsius. Quibus ille publicè loquens: Ego, inquit, jam delibor, & tempus resolutionis meæ instat, non erit diutissimum sedulitatis hujus ministerium; quia jam fatiscentibus hujus corruptionis artubus, jam sopitis venarum pulsibus, mox deposito carnis onere spiritus suo pergens itinere, repræsentabitur Dei misericordiæ. Subvenite potiùs ut subveniat vobis Deus. Procurate misericordiùs, quatinus Sacerdotum manibus Dominicæ communionis Eucharistiam merear suscipere, ut accepto viatico defensionis contra occursum insidiantium spirituum munimen habeam redemptionis pretium. Protinus · · · · · accito Presbytero, facta oratione, & dicto symbolo, participans vivificis mysteriis, unitus corpori æternæ salvationis: Peregrinum, inquit, me cernitis, peregrinum in hoc loco & in hac via hujus meæ sepelite peregrinationis. Post hæc facta & dicta, pedes suos colligens & oculos ac ma-

nus in cælum intendens, Domine, inquit, Iesu Christe, qui hanc fecisti & redemisti animam, tibi eam trado & commendo tuæ redemptionis electis animabus connumerandam.

Obiit S. Arnulfus.

Quo post beata vota in morte resoluto, procuraverunt ei cives illius loci honestum sepulturæ loculum, qui viæ regiæ contiguus in promptu est videri transeuntibus. Vbi positus ignotum est quandiu jacuit, quousque illum divina virtus revelari voluit. Defuncta namque & è medio viventium sublata omni generatione illa, quæ eum terræ mandaverat, nomen quoque ipsius prorsus jam tacitum & oblivioni traditum erat, præterquam quia fidelis cujusdam peregrini sepultura nota erat, & tumulus desuper aggestus ibi præminebat*.

Diu jacuit corpus ejus incognitum.

al. * permanebat.

Cùm autem supernæ providentiæ placuit & nomen & meritum manifestare dilecti servi sui, accidit unum è vicinis gravi febrium languore torqueri, & diu vexatum duréque detentum ad mortem usque affligi: in quo dolorum angustiatus cruciatu vidit ex revelatione divina visione somnii sui quemdam placidi vultûs hominem apparentem, sibíque dicentem: Gravi detineris dolorum incommodo, pessimæ infirmitatis artaris vinculo: unde & te jam relaxari oportet, & auctorem salutis venerari condecet. Vade properè absque hæsitatione ad locum illum tumuli, secus viam in dextra positi, & facta oratione tua cum fide convalesces ocyùs ex hac incommoditate. Dicam tibi mysterium, enunciabo veritatis arcanum. Ibi enim sepultus ex diutino tempore requiescit sanctus Martyr Arnulfus; quem generatio illa quæ tunc eum sepulcro obruit, minùs curans oblivioni contradidit. Tu ergo ne dubites, quin ipsius meritis salutem quam desideras consequaris. Abiit ille, humiliter accessit, precibus fusis paululùm dormitavit: excitus à somno, Deo & sancto Martyri gratias & laudes referens, incolumis remeavit. Quod ubi contiguis finibus auditum est, accessit infirmus unus & alter, oraverunt fideliter, redierunt salubriter. Fiebat istud non paucis diebus, donec infinita multitudine conveniente, & manifesta sentiente reme-

Tandem revelatur.

dia, quotquot cum fide veniebant Dei & sancti Martyris ejus redeuntes prædicabant quæ experti erant magnalia.

Hinc vicini cum incolis inter se colloquentes consilium habuerunt, ut collatione facta pro viribus pręparatis impensis, Ecclesiolam facerent, in qua cum sepulcro suo S. Arnulfi corpus transferentes ponerent. Quibus omnibus paratis, Ecclesiam ex communi faciunt, tecturam superponunt, ad tumulum ea veniunt intentione, ut quia ibi ut pote in via regia super eum non quibat fieri Ecclesia, ad pręparatum loculum ferrent arcam sepulcri lapideam cum corpore. Sed effosso circumquaque tumulo, & egesto terræ aggere, nulla vi hominum, nullo ingenio conquisito artium amoveri potuit inde: Mirum, non sine magna quidem circumastantium & intuentium admiratione, cùm sepulcrum inspicerent quantitatis modicæ & multæ brevitatis, quod etiam quadruplicatum portaret facilè tantorum virtus coadunata virorum. Vnde cum stupore & timore pręsumptionis suæ ab incœpto desperantes penitus restitere, reservantes illud factum cui Deus annueret generationi posteræ. Ecclesia tamen mansit multo tempore distans à sepulcro Sancti, quantum potest jacere ····· cujus adhuc manent vestigia, fruticibus & arbustulis circumsepta, vetustate & imbrium infusione diruta omni maceria.

Ecclesia S. Arnulfo ædificatur.

Erat adhuc eo tempore in eadem villa ex majorum successione, quorum juris fuerat fundus ille, una linearis prosapia, quæ juxta abusivam consuetudinem mundani tumoris arrogabat sibi veterum suorum ventosam defensionem in pretiositatem generosi germinis, & superbi nobilitatem sanguinis. Vnde contentione facta ex multiplicatione litis accidit inter eos dissidium. Nam quidam Miles nomine AIRANNUS, ex ipsis unus, sed ut videbatur aliquantò inferioris germinis, cetera omnia pro se, vir bonus inter eos sortem habebat hereditatis: in parte tamen illa ubi corpus requiescebat sancti Martyris Arnulfi, quæ viæ vicinior & exitui opportunior (per eam quippe & in silvam erat iter & in pascua) quidquid sati vel graminis habebat inquietudine peculii totius villæ perde-

bat. Hinc sæpe clamans, sæpe contendens, cùm neque legum judicio, neque civili contubernio quæ sua erant quietè possidere potuisset, verborum contumeliis & nimietate injuriæ provocatus, arma capit, armis rem suam deffendere repromittit, injuria iteratur, damnum cumulatur, homo contemnitur, in facinus properatur. Quid multa? Adeò res processit, ut quidam eorum FULCHERUS nomine interceptus in damni crimine, confossus truculenter, cum peccato suo moriens spiritum exhalaverit vitæ.

Quo facto post ultionem injuriæ & admissionem piaculi Airannus in sese rediit, & quia manum propinquorum effusi sanguinis sustinere non posset, secum ipse æstimans reputare cœpit. Vnde continuò fugitivus per devia quæque & silvosa delitescens timore mortis, patronum sibi & tutorem contra potentes potentiorem quærens, facit pactione suæ fidelitatis & manu commendationis cum omnibus quæ erant sui juris · · · · · · quemdam virum bellicosum, qui fasque nefasque pensabat æquè, famosus opere, potens & viribus & genere. Hic habitabat in villa sui juris prædicto fundo satis proxima, quæ appellatur Avia*: frater enim erat Comitis GOERANNI, qui castellum sui dominii tenebat, quod Cantaranna nomen habebat.

al. * Ania.

Airannus ergo propter compendium auxilii & liberationis, advocatum habebat interim virum hujusce qualitatis. Inde ad altiora tendens, & tutiora perquirens, OTTHONEM Comitem adiit, qui fortè tunc in illis partibus commanebat: quia ibi propter defensionem & opportunitatem alodiorum suorum castellum fecerat, quod WARCUS nomen habebat. Hunc itaque virum tunc Airannus expetiit: de suis fortunis verba facit, causas aperit, susceptionem postulat, fidelitatem servaturum insinuat, spondet, & firmat. Comes OTTHO viri fortis & nobilis gerens animum, suscipit hominem, annuit gratiam, præbet necessaria, repromittit adjutorium & defensionem suam sibi non defuturam, si fidem in eo inveniat stabilem & firmam.

His factis pactionibus adeptus familiaritatem gratiæ ejus : Est, inquit, cum coheredibus meis in villa Gruerias alodii non modica mihi portio, quam cùm cespite suo nobilitat beati Arnulfi in tumulo adhuc quiescentis pretiosa confessio ; qui gloriosus meritis, sacris virtutibus fulget venerabilis. Hunc si tu, domine mi, comparare volueris, leviori pretio quàm aliquis hominum me vendente & tribuente sub tuo jure acquirere & possidere poteris. Lætus Comes de patrocinio Sancti, quia certa esset tuitio sui castri, secundùm commune placitum ille solvit quæ inter eos convenerat pecuniç summam ; ille promissam donat beati corporis glebam. Comes facti commercii non negligens negotiator, properans maturè antequam fama vulgaret, accitis peditum & equitum copiis, matutinus venit ad tumulum, & per manus Presbyterorum levans, in feretro corpus sanctum, cum ingenti gaudio inspicientibus rusticis, de quorum possessione tollebatur, transtulit Guilledium, & in Ecclesia sancti Hilarii Pictaviensis Episcopi, cujus ibi memoria veneratur, posuit aliquandiu custodiendum, donec in castello facta capella cum majori reverentia servaret tantum thesaurum. Quo ad nutum ordinato, & capella constructa transfert ibi pretiosa Sancti pignora cum multa populorum frequentia.

Transfertur corpus S. Arnulfi Guilledium.

Qualiter autem ab illo loco ad hanc Mosomensem Ecclesiam gratia Dei Sancti hujus voluerit pervenire præsentiam : quanquam prolixitate orationis digressionem facere videamur, tamen plena fide relationem historiæ texentes explicare aggredimur. VDALRICUS* sanctæ Remensis Ecclesiæ Archiepiscopus naturæ concedens legibus, humanis rebus erat exemptus. Francorum Rex gloriosus in sceptris agebat domnus Lhotarius ; qui audiens vacuam Pontifice sanctam sedem Remensis Ecclesiæ, Dei permittente gratia, & ordinante clementia, cum totius cleri & populi electione, & assensu Procerum occidentalis Franciæ, domnum ADALBERONEM regali munificentia præfecit & constituit summum Antistitem, virum, ut credimus, Deo dignum, in rebus Ecclesiasti-

al. * Odalricus. *qui obiit an.* 968. *vel* 971.

cis strenuum, carne nobilem, genere potentem, consilio prudentem, magnanimitate singularem, fidei virtute invincibilem.

Hic sibi commissi ovilis pastor sollicitus, nequando periclitaretur, & urgente mundi pressura à recto deviaret, curis anxius, pia sedulitate infirmos consolabatur cum fortibus. Erat ei sermo doctrinæ congruus ad ædificationem audientium in gratia sale conditus: unde formam virtutum ac disciplinæ daret subditis, unde redarguẽdo improbos viam eis significaret humilitatis. Intereà dum pax creditur, dum meliora sperantur, insurgunt contra hunc bonæ spei virum mille insidiarum stimuli, tumultuantur adversus eum quidam Proceres regni:
Matth. 13. 25. *Dum enim*, sicut ait Evangelium, *dormirent homines venit inimicus homo, & superseminavit zizania.* Dum dormit justitia in Regum & Principum cordibus, dum resolvun-
Iudic. 17. 6. & 18. 1. 21. 24. tur in suis cupiditatibus, & sicut scriptum est: *Quia in diebus illis non erat Princeps & Propheta & Dux in Israël*, sed unusquisque quod sibi videbatur rectum hoc faciebat, cœpêre se prout quisque poterat in majus efferre, majores minores suos, ut est hodie malæ consuetudinis, opprimere, potentiores impotentes venari, & quasi prædam sequi, timore Dei abjecto, jure legum sæculi spreto Ecclesias affligere, familias Ecclesiarum, quas minùs gladius & scutum defensionis tueretur, apposita quacumque injuriæ occasione, aut gratuitò potiùs servituti addicere.

Quos cùm vir prædictus in familiam suæ Ecclesiæ nimis grassari cerneret, & quæ libera esse debuisset servitutem plangeret, primùm quidem verbis & suasionibus suis missionem quærere, inde cùm minus proficeret, quia & militiæ sibi erat copia, & sui generis hoc pati indignè perferebat potentia; reclamando apertè minari, & resistendo tuitionis remedium defensionísve subsidium conquirere cœpit manu militari. Vnde factum est, ut & quibusdam adversariorum audendi talia metum incuteret, & ab infestatione Ecclesiæ alios temperare faceret. Aspernantes autem, & in suæ pravitate feritatis persistentes,

tes; promptissimo sæpè aggrediens ausu: victoriarum glorioso superans mutilaret occursu. Inter hos & omnium quidem præcipuus jam nobis superiùs dictus OTTHO erat Comes, Otthonum scilicet Romanorum Imperatorum, & adhuc tunc temporis sceptra nobilitantium clarissima & germanissima progenies, sanguis Patricius, & ut ex amplissimi paterni & materni juris ditissimo patrimonio apparet, fundis vir & opibus & dignitate satis præditus. Hic ergo tantus homo graves discordiarum inimicitias cum isto nostro Adalberone susceperat Archiepiscopo. Quæ specialis causa tunc extiterit, nos quidem latet hodie, quia oblivio mater negligentiarum quæ nimis in partibus nostris viguit, posteris suis hæc & multa alia tacendo invidit, tanquam ea senium vetustatis antiquaverit. Tamen vir iste protervo animo & minaci ausu contendens cum Episcopo se se vastaturum ejus Ecclesiam, oppressum ire familiam minabatur, è gravibus eumdem verborum contumeliis exasperabat, & diversis injuriarum modis lacessere ipsum vel inquietare non trepidabat.

Sed ecce tanquam ex improviso noster Episcopus paratus ascendere ex adverso, & opponere se murum pro domo Israël, callens ingenio, cautus consilio, fultus parentum & amicorum præsidio, collectis copiis militiæ ecclesiasticæ fortibus auxiliariis, præfati Comitis castellum, quod Warchum* superiùs diximus appellari cum exercitu circumvallat, turmas peditum circumfundit, ballistas & fundibula intendit, negotium pro quo convenerant gnaviter peragi & poscit & imperat. Ad certamen venitur, missilibus & jaculis res geritur, foris acriter pugnatur, intus fortiter resistitur. Istis nitentibus pro gloria, illis conffligentibus pro vita, fit interdum anceps victoria: Locus enim non tam naturali munitione firmus, quàm humano labore & opere manuali factus, modò aggere terræ, modò pastophorio, interdum ubi opportufuerat · · · · · roboratus non faciles præbebat accessus. Nam & Mosa fluvius profundissimis inibi gurgitibus, vel equo vel pede non transmeabilis, parte una castrum ipsum

Gal. * Vuarc.

præterfluit, parte verò altera veniens Sulmona flumen non modicum gratanter alluit. Hic loci situs tunc erat, modò turrium altitudine & fortissimo murorum ambitu præter ipsa fluviorum fundamina, nisi sors altera fiat, robur habet inexpugnabile.

Interim nostro Archiepiscopo rem variabilem & nimis asperam non æquis oculis aspicienti, subitæ novitatis opus apparuit, quod suo prodigio, & animos bellatorum quàm fortiter erexit, mentémque Archiepiscopi quem spes incœpti negotii frustrabatur, licet eam quàm strenuè vultu præferret, ex Dei tamen adjutorio refovens sublevavit. Nam militibus fluminis profunditate viam aggrediendi & manus conferendi inhibēte, per media castra junix una transitum habuit, & videntibus omnibus vadum quod penitus ignorabant sensim legens alveum permeavit, neque ut natura est animalium, enatando vim fluviorum transadiit, sed pedetentim quacumque pervium fuit, passim iter monstrando ne tantus labor frustra esset, tanquam Dux auctor itineris ulteriores ripas voti compos ascendit. Quo viso, nec stuporem movente, sed quod erat
al.*audiendi. in rem audendi* & faciendi operam prænuntiante, Episcopus cum assistentibus: Divina nos, inquit, comitantur beneficia, quibus rem facti per bruta denuntiat animalia. Sequamur, quà nos non fortuna sed Deus evocat, qui populo Israëlitico maris rubri arenas ad calcandum dividendo discrevit, & Pharaonem demersit, credo, spero, audenter etiam dico, ipse nobis pecudem præsignatricem misit, ut sicut hoc animal jugo assuetum humanæ vitæ suis laboribus sit accommodum; ita nobis si vestræ militiæ non pigeat & pudeat, bos ista vincendi & superandi quidquid putatis arduum sequendo & experiendo sit argumentum. De laboribus animalis hujus sic Scriptura re-
Prov. 14. 4. fert: *Vbi plurima seges, ibi manifesta fortitudo boum.* Ac si dicat, ubi bellantium virtus vivida, ibi victoria sequitur & corona. Quapropter, Milites fortissimi, virtute accingimini, nec segnities redarguat quos bucula lasciuiens ad exasperandum informat. Sequimini præostensam viam, nullus labor arduus virtutem verè amantibus.

Talibus excitus adhortationibus & junicis vestigiis præeuntibus, GODEFRIDUS Comes frater Archipræsulis, qui simul aderat, Heynodarios & Ardennenses, quos secum exhibuerat, lituo buccinante aggregat, quo ceteri sequantur, ipse primus, ut decebat, virum fortem insinuat. Qui mox lorica trilici & hamata indutus, galea cristata fulgentique caput armis accinctus, vultu terribilis, impetu formidabilis, quà bucula præcesserat vadum ingreditur cum suis intentis acerrimè omnibus prælio, Godefridus ignem jubet sepibus apponi subitò, ut & suis audendi fiducia, & illis introrsum fiat inaccessibilis pugna. Ignis interim accensus undecumque perquisitis ambustionibus flammas ad cælum evomit, dextra lævâque errabundus obvia quæque demetit, urente vento arreptus magis magísque vires accipit, spinis & sepibus facili quippe materia celerrimè cedentibus, patet amplissimus intrandi aditus. Oppidani relicta statione pristina quaquaversùm palantes, fugæ præsidio diversa quærunt latibula: milites ocyùs conscenso domnione*, domo scilicet principali & defensiva, rebus suis diffidentes, decernunt inter se pacisci pro vita. Vident enim totum castrum teneri undique ab ignibus, & si quid ignis nondum attigerat prædam fieri hostibus, equos scilicet phaleratos cum burdonibus & omnem suppellectilem concupiscibilem domus. Ignis ignorans parcere, nesciens mitescere, propriè habens misereri nolle, consumptis omnibus, flammis semper potentioribus Ecclesiæ propinquabat foribus.

f. **Gal. Donjon.*

Ecclesia ibi erat lignea, in qua sancti Arnulfi quiescebant pignora: lignea, inquam, quia nec maceriarum adhuc ibidem existebant fundamenta; etenim vorago paludis nulla inibi sinebat fundari pro hiemalibus aquis. Ad hanc ergo Ecclesiam cùm appropiassent flammę, ignis resedit repentè, & quasi totis Æoli flatibus relisis aversus, continuo recessit retrogradus. Divinum namque quiddam intuens, & mirabile quoddam in ipsa intendens, oblitus naturæ perdebat vires potentiæ suæ; nec erat dubium si hæc flammis urgeretur, quin statim omnis defen-

ſiva domus cum fugitivis & latentibus cremaretur. Sola hæc cauſa erat quæ moras victoriæ protrahebat. Epiſcopus miratus, & novitate facti ſtupore perculſus: Quid, inquit, hoc novum, quid ſignificat rei hujus miraculum? Vetus tabulatum & arida lignorum materies illæſa inter flammas durat, & ignis qui etiam ferrum domat, attentare ligna reformidat? Mirum! ô viri mirum! nobis ſic iſta videri:

Fit res mirifica, nec fruſtra viſio tanta.
Sed vellem ſcire quid rei poſſit ineſſe;
Hæc ſine prodigio non ſunt quæ ludicra cerno.
Si ſit divinum, dignum eſt venerarier ipſum.
Si qui concives eſtis qui talia noſtis,
Pandite perſpicui tutò jam myſtica facti.

Aſſiſtentes quidam, qui etiam pagenſes erant: mirum non eſt, inquiunt, domine, quia opus cernitis virtutis divinæ:

Hic meritis ſanctus, virtutum luce coruſcus:

Corpore ſervatur Arnulfus Martyr laude dignus & honore verendus. Hactenus nobis propitius fuit, & pietate inſignis; nunc averſus facientibus malis noſtris reliquit in anguſtiis iniquam gentem cum peccatis ſuis. Malè namque ei ſerviebatur, nec honor ſuis meritis congruus referebatur. Monſtrat modò quid poſſit, oſtendit quid nolit, tuetur ſuam ab ignibus domunculam, & donec in ea pauſaverit, adverſus eam ignis nihil poterit. Et quis, inquit Epiſcopus, quo ſanguine cretus? unde domo genitus? civis an incola? peregrinus an advena? Genus, aiunt, & vitam quam duxit ignoramus, præterquàm quòd locum ſepulturæ ejus habemus in proximo, ubi terram terræ contulit, cælóque ſpiritum reddidit, ub etiam aliquandiu jacens & meritis vigens, diverſis infirmitatum incommodis, Deo præſtante, obtinuit remedium ſalutis. Quod OTTO Comes audiens, & experimento cognoſcens, dato pretio incolis, quorum juris erat locus (villam enim illam Gruerias dicunt; auctor autem commercii Miles quidam AIRANNUS exſtitit, ſub cujus poſſeſſionis titulo Sanctus quieſcebat in tumulo) Co-

mes, inquam, Otto vallatus multo populo corpus Sancti tulit inde cum honore debito, & in Ecclesia antiquissima sancti Hilarii in hac proximè villa Guilledio cognomine (nominatissimus quippe fuerat nundinarum locus) pausavit tempore aliquantulo, donec miraculis crebrescentibus propter frequentiam populorum timens furtim perdere, usus sibi viso consilio transtulit huc novissimè.

Cúmque hæc & talia audiret patienter Episcopus, mente pertractans, & rem quam videbat, quæque satis congruenter dicebantur, sapienter pensans. Ite, inquit suis qui eum circumstabant Sacerdotibus & Clericis: Ite intrò, & quæque Sanctorum intus invenietis, cum diligentia exhibete hîc nobis. Quo facto & expositis omnibus, miro modo & opere stupendo ignis, qui antea timidè languens & quasi pene deficiens residebat, vires subitò resumens, & sicut ventus vehemens irruens, quicquid priùs intactum reliquerat, profunda consumendi voragine Ecclesiam scilicet cum domo majore absorbebat. Vnde magis in admirationem ductus Episcopus, lætus quia facti quod cœperat compos & victor existebat.

Certus autem quia quæ mira de hoc Sancto audiebat jam ipse miranda præ oculis habebat, reverentiam erga Sanctum tenens, causas justitiæ ait, mihi habens adversus hoc castrum veni: sed ut mihi videre videor, & Deus ex hoc facto ostentat, meritum hujus Sancti ut venirem exegit; & ne diutiùs in hoc malorum & negligentiæ jaceret cœno promeruit. Paretur, inquit ergo Episcopus, jam festinanter cum suis rectoribus una navis quæ eum cum testimonio & auctoritate nostra perferat Bracas, ubi Confessor egregius vita & meritis requiescit Archiepiscopus Viventius. Est enim ibi Canonia duodecim Clericorum Remensis parochiæ, quam vita comite, auspice Deo in votis habeo regulari Monachorum proposito honestiùs ordinare. Ad nutum jubentis mox parata navi, cum illa sui exercitus frequentia per se idem Episcopus ad feretrum veniens, & manu apposita altrinsecus tenens cum impositione Antiphonæ, *Pretiosa in conspectu Domini*, & prosecutione Psalmi, ad navim jussit ferri, & **Transfertur iterum corpus S. Arnulfi apud Mosomum.** *Psal. 115. 5.*

in ea imponi, cum campana una flammis Ecclesiæ subtracta.

Interim Archiepiscopo à navi regresso, ordinante qui remiges, quíve Clericorum & hominum pariter irent comites: Deus cujus sapientiæ & scientiæ altitudo divitiarum inenarrabilis, cujus viæ sunt investigabiles; qui solummodò mirabilis in altis Dominus, qui dat virtutem & fortitudinem plebi suæ: dignatus est judiciorum suorum ostendere secreta, & operum suorum notificare mirabilia propter hujus Sancti sui merita. Namque cùm navis in ripa fluminis affixa substiteret, sustinens rectorem qui duceret, nullúsque in ea hominum ex voluntate Dei præter corpus sancti remansisset, aquila desuper advolans, in fronte navis nauta certissimus assedit, & mox navim ipsam à littore in medios fluctus virtute divina emovit, & aquis itinere suo deorsum fluentibus, navis contra fluminis incedebat excursus. Angelica, ut credimus, illud administrante creatura, & virtute, ut patuit, cooperante & regente divina, directóque pergens cursu anteriora sibi semper petens, celerrimo sibi properabat gressu.

Cujus rei stupendum indicium cùm ad Episcopi venisset audientiam, plusquàm credi possit admirans, & in laudibus Dei attollens animum, divinum adorabat consilium, exsultans in illius misericordia, in cujus gloria sancti Arnulfi lætabatur anima. Prosequantur, ait, aliqui nostræ fidelitatis per crepidinem alvei, navísque* vestigio subsequantur pignera Sancti. Nam mira video, nec minus miranda considero. Vbicumque enim navis* hæc substiterit absque dubio ibi divini nominis gloria & laudis ejus per successiones fidelium prædicabitur potentia. Hæc avis quam cernitis figuras gerit mysticas, multiplices intendens in dicendo sententias: nam per Ezechielem Prophetam loquens Dominus ad Israël proponit ænigma sub persona Regis Babyloniæ, atque sub specie Regis Ægypti, dicens: *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & varietate.* Et, *Facta est aquila altera grandis, magnis alis, multísque plumis.* Quotiens hujus avis nomen in Proverbiis assumi-

f. * navim, atque

f. * avis

Ezech. 17. 3. 7.

tur, Regum potentium figura subintelligitur.

Hæc avis inter ceteras quasi regii juris obtinet dominium, avibúsque reliquis principans, facti sui gestat mysterium: hæc avis sublimia penetrans & sublimiùs evolans, speculando inreverberatis solem ardentem contemplatur oculis. Sub qua specie typica Iohannes signatur Apostolus & Evangelista, qui omnem supervolans creaturam incarnati Verbi mysterium, & divinitatis ejus ineffabile patefecit arcanum. Quod aptissimè convenit remotis ab omni hujus vitæ negotio Deo famulantibus Monachis, contemplativæ vitæ insudantibus, & per jugementis desiderium spiritalia semper & cœlestia pia cogitatione meditantibus, fideli nihilominus intentione *quæ sursum sunt, ubi Christus est in dextera Dei sedens*, *Coloss. 3. 1.* indefessè quærentibus. Locum ergo quicumque sit, quem navis ista expetit, Monachorum religiosè conversantium famulitio & ordine insigniri convenit.

Aliis ergo post hæc verba assentientibus, atque aliis multo aliter opinantibus, si, ut dicitis, inquit Episcopus, Guilledio apud sanctumHilarium, ubi priùs aliquandiu pausavit, consistere voluerit, non est diutina exspectatio. Vix enim uno distat stadio ab hoc in quo consistimus loco. Si autem apud sanctum Sulpicium in villa quæ appellatur Pirorum, nec aliud erit diutius attendendum: solùm quippe milliarium hoc nobis facit . . . .
Si verò ulteriùs processerit, nec ad dexteram nec ad sinistram diverterit, sed sicut cœpit intendere posteriora dimittens in anteriora prodierit: Advertite unum quod vobis enarro, sicut intelligo divinæ gratiæ arcanum, quia Mosomi nostræ diœcesis loco pausare & venerari habet annuente Deo. Iam tunc Episcopus intendebat animum hunc locum decussare* regulari institutione Mo- *Id est, ornare.* nachorum, sicut pòst fecit Remis sancti Theoderici locum, quem de manibus ROTGERI Comitis injustè illum tenentis vi & sagacitate retraxit; & remotis duodecim Præbendariis, non Deo & Sanctis ejus, sed sibi ipsis & Comiti servientibus, Abbate ex Monasterio sancti Remigii accepto, AIRARDO nomine, cum Monachis Deo

fideliter militantibus religiosè restituens ordinavit. Ita etiam ad presens Braguis* optabat fieri propter amorē & reverentiam sancti Viventii, nisi hujus intercessisset causa miraculi. Sed quia jam antea non suppetebat possibilitas, pro eo quod devenerat in manus externas, promptissima tamen manebat implendi voluntas, opperiens opportunitatem siquando Dei largitas quam desiderabat efficeret facultatem. In his & hujuscemodi operibus ferè totus erat iste noster Episcopus, & simili desiderio mentis flagrare cœpit erga locum Ecclesiæ Mosomensis. Insequentibus ergo navim quibus anteà jussum fuerat, jam nullatenus ut primùm cœperat segniùs ibat; regebat namque illam bonitas illius *qui facit Angelos suos spiritus*: Cùm ineundo per villas circumpositas tanti facti rumor exisset, omnibus undique circumvolantibus, absque numero confluebat populus pro merito & gloria Martyris laudans Deum in operibus suis. Adhuc laudes erant in ore ipsorum, & virtus Dei recentiori miraculo paravit exhilarare ad credendum mentes eorum.

*Braciis.

Nam in villa Torciaco nomine quædam erat mulier vidua, quæ post viduitatem gravi cæcitatis infirmitate oppressa, ad glorificandum Deum aliquandiu plus anno integro luminibus manebat orbata; quæ dolens & viri sui desolationem, & rerum suarum futuram defectionem, magis autem corporis debilitatem (erat enim honestis & liberis parentibus progenita) in angustiis multis & doloribus vivebat: habebat tamen ex legitima nuptiarum viri sui copula unicum admodum parvum filiolum, ad augmentum suæ dolorositatis satis macram spem posteritatis. Rumore itaque per populos diffuso pro sancti Arnulfi adventu glorioso, hæc mulier ubi audivit salutis avida, cùm jam Sanctus per alveum fluminis navi inpræsentiarum posita veheretur, unum camisilem quem optimum habuit de domo sua secum sumpsit, & gressu conducibili se se eo loci minari fecit. Vbi cùm pervenisset, genua flectens cum multis obsecrationibus Dei misericordiam & sancti Arnulfi exorabat præsentiam, ut per ipsius meritum sibi redonaret Dominus Deus amissi luminis usum.

Petiit

Petiit ergo navim ad litus appelli ut perficeret oblationem voti sui. Quâ appulsâ, appropians illa cum fide multa, corrigiam sibi in collo posuit, ancilatui Sancti se se subdidit, capitaticum* suum & se, & posteritatem suam post se daturam, si salutem optatam mereretur repromisit; camisilem quem secum detulerat, extulit, super corpus Sancti posuit, & mox dicto citiùs salubri facto commercio, videntibus qui aderant omnibus, lumen pristinum optatúmque recepit. Hinc laudes Deo, hinc gratias referebat Sancto, hinc omnium ora & corda multis ex pietate lacrymis profusis laudabant misericordissima Dei magnalia, & quæ sola venerat cum dolore, cum multis & inter multos lætabunda repedabat cum salute. Quæ quandiu supervixit, salutem suam ipsa prædicans, semper singulis annis capitis sui censum Sancto persolvit, & post mortem illius, unicus quem diximus filius ejus annis quibus matri supervixit fideliter donavit.

* *Id est,* capitis censum: *tributum quod singulis annis pensitatur.*

Harum omnium rerum certissimus Mosomum tendens pervenit nuntius, dictitat Clero præsenti & populo quæ fuerit in glorificatione Sancti divina illuminatio, quæ fuerit Episcopi votiva transmissio. Indicitur interim & paratur processio; currit Mosomensis populus cum gaudio; excipit sanctum corpus lætantibus animis, gestat suppliciter in humeris, faciunt vota & preces quibus mereantur fieri ejus intervenientibus meritis æternæ vitæ consortes. Sonantibus Ecclesiæ signis adsunt Clerici cum crucibus & cereis, thurificant sancti glebam odoribus, suscipiunt cum hymnis & dignis psalmorum laudibus: sícque ingredientes Ecclesiam principalem, divinam adorant majestatem, supplicantes pietatis ejus dono & B. Mariæ semper Virginis suffragio, istius & omnium simul Sanctorum jugi in perpetuum muniri patrocinio. Sícque dimissâ turbâ & populo, abierunt quique in sua cum exsultatione & gaudio, illum magnificantes in gloria, qui vivit & regnat unus in Trinitate Deus per æterna sæcula, Amen.

TEXTUS qui sequitur describit qualiter ipse Praesul ADALBERO per Romani syrmata Papae, consiliique sui decretum, constituit ut Monachos locus hic Mosomus haberet, quos cohiberet Regula sanctè vivere, quique pro se proque suis praedecessoribus in spem aeternae vitae divinum numen adorent.

PRAECEDENTIS itaque serie sermonis de vita & transitu sancti Martyris Arnulfi compendiosam fecimus relationem, ubi fuerit sepultus, qualiter inde assumptus ad Guiledium trajectus, demum quoque Dei misericordia disponente ad hanc Mosomensem Ecclesiam miraculis concurrentibus devenerit, stilo quidem admodum rustico & impolito exaravimus; sed ratione satis probabiliter investigata, sicut suo loco lector inveniet, ad plenum prosecuti sumus. Nunc quae postea circa praefatam Ecclesiam ADALBERONIS Episcopi devotio extiterit, quia per hunc sanctum suum ARNULFUM mentem ipsius, ut supra retulimus, visibili miraculorum illuminatione Dominus admonuit, ad posteros mittere memorandum, non indignum judicavimus, ut divinis beneficiis ingrati esse timeant, & intelligentes quanta per hunc suae salutis providum pastorem adepti sunt bona, rependendi vicem animae ipsius in bono se semper obnoxios esse cognoscant.

Secundo igitur suae ordinationis anno acta sunt quae priori sermone tractavimus, de translatione videlicet atque in Mosomensem Ecclesiam illatione beatorum ossium
971. praedicti Martyris anno nongentesimo septuagesimo primo Dominicae Incarnationis, Indictione quartadecima, mense Iulio, nono Calendas Augusti.

Visis itaque & auditis reverendus Pontifex tam sanctis quam laude & admiratione dignis divinae virtutis miraculis, quae sub brevi suae praesentiae tempore hujus Beati exhibebantur meritis ac nomine, non tulit diutiùs quae longè antè satis animo conceperat, sed maturè opus facto disposuit, ne alterius esset operis quod erat suae intentio-

nis, & inde sibi si negligeret meriti fieret detrimentum; unde alter qui id fideliter efficeret, coronam portaret & præmium. Vnde intra mentis suæ secretum, tanquam intra speculum amplissimè contemplando collectis, quæ sint, quæ fuerint, quæ post futura sequantur (Ex præteritis enim persæpe ventura conjiciuntur) quosdam Procerum suorum, tam cleri quàm militiæ suæ Nobiles in præsenti sibi coëssentes advocat, & quid voti mente diutiùs collectum supportet, expostulatâ sui gratiâ consilii, an approbent seu magis improbent audire & referre monet dicens: Quo consilio & sententia judiciorum Dei ad hanc pastoralis curæ pervenerim & ordinatus sim dispensationem, penitus ignoro; sed quod semper timere debeo tanquam irruentes super me fluctus, sic onus istud quotiens penso, totiens reformido. Consideratis namque hujus episcopii quibusdam antiquissimis locis, olim dum misericordia & veritas obviarent sibi, dum se justitia & pax osculatæ sint, dum veritas de terra oriretur, & justitia de cælo prospiceret: olim, inquam, sub religione fundatis, tunc quidem prosperantibus & felici fortuna se se agentibus, Dominus dabat benignitatem & terra nostra dabat fructum suum: modò autem prorsus neglectis; aliquibus solam nominis famam prætendentibus, aliquibus sic ad solum dirutis ut nec fama supersit nominis, quibusdam dum emendari debuerunt in melius, ad deteriora perventis: eorum aliquem cujus incœpti artificio reformare priùs attentem, multæ ambiguitatis naufragio pendulus hæreo, & dubiis anfractibus intricatum, & vix se explicantem animum gero.

Res enim locorum illorum quæcumque in mobilibus fuerunt, vel esse potuerunt, auro videlicet argentóque, seu cujuslibet ornamenti substantiali supellectile, ut pote vastatæ, direptæ, vetustatis etiam senio dilapsæ, jam nullæ sunt. Villæ, vici, ancillæ, servi, Ecclesiæ, molendinis, & omnium habendarum possessiones rerum, à Potentibus & Tyrannis, regníque Optimatibus pervasæ, donatæ, confiscatæ, sub beneficiis delegatæ, quando Sanctorum locis nec pro antiquitatis suæ debito jure, nec pro

quibuslibet privilegiis testificantibus habebunt redire? Tanta fuerunt malè pacati infortunia regni, tanta Regum & Procerum discordia, tanta populi peccatis facientibus emergens malitia, tanta gentium intra Gallias irruentium, & adversum se depugnantium, hostili rabie exundans extitit impia & perquam iniqua sævitia.

f. * malo
f. * illaudabilis.

Accidit huic bono* quorumdam nostrorum laudabilis* vita Pontificum, qui si fortè quippiam supererat, ut sibi fidissimos pararent, quorum impudentia & fraude tuti essent. Palatinis canibus omnia contradebant. Nec quemquam fas est nominare, cùm culpa ex dubio videatur venire, & factum hoc magis expostulet veniam, quàm aliquam repromittat gratiam, & melius pro multitudine factiosorum taceatur, quàm corrigendi spes ulla donetur. Quapropter hæc missa faciamus, ad rem redeamus.

De Mosomensi Monasterio.

Locorum de quibus agimus, Mosomus est unus, sanctæ Dei genitricis MARIÆ olim insignis nomine & honore. Hic Mosa influente amœnissimus, Monachorum habitationi mihi videtur opportunissimus. Omnia namque humanæ vitæ jucunda pro aëris qualitate præstat & commoda: præter quod vinearum ibi proventus adeò non exhuberat. Nec enim inhabitantibus id fuit negotii, nec ea sollicitudo, præsertim cùm natura sit vinearum, temperati magis & non frigidi cespitis amare solum. In quo tamen mihi minima cura; quoniam si Deus votum meum prosperaret, habeo ex patrimonio meo, & ex mihi contingēti antecessorum meorum jure debito, unde hanc sibi penuriam pellerem, & optimi vini cum ceteris redituum suorum benedictionibus veros dominos & divites possessores, si procurare id sciant, eos efficerem.

Inibi olim Moniales, pòst Canonici, tum denique Monachi.

Olim locus ille Mosomensis in honore Reginæ cæli & Virginis Matris MARIÆ pro vera pietate & voto fideliũ, sub ordine fuit prætitulatus Sanctimonialium, sed turbine sæviente malorum, quorum supra vix attingendo meminimus, cum nomine perdiderunt & esse. Nuper autem beatæ memoriæ D. HERIVEUS hujus sedis pastor & rector fidelissimus, magno religionis affectu hunc diligens locum, sub titulo jam vice altera dilapsorum restituit & ordinavit Canonicorum.

Inveniens namque omnibus rebus & ipsa etiam inhabitatione destitutam, ex fundamento reędificavit Ecclesiam, quæ flammis eam exurentibus & impluvio, multáque longi temporis negligentiâ detritis parietibus, solitudinem tantùm horrendam repræsentabat adspicientibus. Quæ reformata & in statum pristinum recollectis Præbendariis exornata; ab initio nimirum sui pro dignitate loci, & generosa populositate civium. Secunda sedes hîc agebatur Remensium: hujus tituli scilicet Canonicæ non dicam vitæ, sed simulati Canonicorum nominis utcumque tenorem servat antiquum. Sed cùm hæc eorum vita nihil à laïcorum differat cohabitatione (nuptiis quippe fruuntur, filiorum & filiarum quæstuosis mercimoniis inservientes, usibus sæculi coutuntur) valde stimulando sollicitat animum meum, ne diutiùs si corrigēdi sit posse, reverentia tanti nominis, Beatæ MARIÆ dico semper Virginis, absque honore debito maneat religiosi ordinis. Mihi credite, amor hujus facti tantū mhi crescit in horas,

Mosomensis Ecclesia secunda sedes Remensium.

Quantum vere novo viridis se subrigit alnus.

Et qua ratione id primùm aggrediar, audite paucis eloquar. Est in hujus Portuensis Comitivæ partibus octo Monachorum cum Abbate sibi superposito parvus admodùm & pauper loculus, quem FREDUIDIS matrona nobilis, cum illustri viro suo Comite STEPHANO, quia spes eos frustrata fuerat posteritatis, collatis quæ inibi habere videbantur prædiis suis, sub jure & titulo constituerant divinæ servitutis, ut pro recompensatione præsentium nomen haberet meliùs à filiis & filiabus in cohereditate cœlestium.

Hunc ergo per consilium domni GERARDI Abbatis viri vitæ venerabilis, qui tunc temporis pro merito sui nominis, & religiosæ conversationis, pluribus in Francia præerat Monachorum Cœnobiis, inter quæ & Monasterii sancti Remigii curam agebat. Hunc eumdem, inquam, locum sancto Remigio ut subjectum haberet, ac procurando servaret, fideli voto tradiderunt. Hic in honore sancti Quintini consecratus, & radicibus Aldiniaci montis adsitus, à rivulo fontis qui inibi exoriens præterfluit

Monasterium S Quintini.

Tignus cognominatur. Sed circummanentium inquietudine satellitum, ex castello proximè imminenti, quod ob palustre cænum, in cujus medio resìdet, Cantarana dicitur, frequentius urgeretur, molestiásque crebras patiens, contemplationis suæ studium sæpe amittere cogitur. Hunc cum Abbate & Fratribus loci sancti Remigii per concambium ex rebus Ecclesiæ nostræ volo, si Deus annuat, commutare, mihíque legaliter contraditum cum Mosomensi* loco unum efficere, ut cum Monachis Abbate ibi transposito, ex duobus quamvis minoribus unum aliquid fiat majus & melius. Ecce hæc sunt quæ vos interim audire volui, & si ex Deo sint cujus misericordiæ innitimur, consilium ne cunctemini referre quod utilius judicabitis.

al. * Mosomagensi.

Mox illi opus pietatis attendentes, & viam bonæ actionis considerantes: O fausta, inquiunt, intentio! & si effectum habeat, quàm certa & felix bonæ voluntatis erit remuneratio? Talia differre non sit consilium, opus enim hoc accelerare cœleste est negotium. Opus bonum si sit in voluntate, ex Dei adjutorio erit in perfectione. Talia siquidem vota, quamvis ex difficultate titubent, magis autem ex desidia si ommittantur nocent: quia quanto ardua & altiora quis aggreditur, tanto majoris præconio laudis si efficiendo superet, dignus attollitur. Quapropter quod vos audire vestræ gratiæ auctoritas dignata est, omine tantùm dextro Deus adspiciat, nobis optimum factu videtur, & vobis salutiferum connumerabitur.

His relationibus acceptis Episcopus (animo enim cupienti nihil satis festinatur) actutùm sancti Remigii Monasterium expetit: Abbatem qui tunc præerat, virum honestum, RODULFUM nomine, super sua intentione multiplicibus & ad persuadendum dulcibus evocatum moratur sermonibus, omnémque rem sui consilii secreto aperit, omnes difficultatis* aditus sapientissimæ rationis suæ limâ eradit, abjurandi limites excludit, nihílque dispendii loco sancti Remigii devenire, sed commutatis rebus, quæ inter eos complacitis pactionibus cederent, opportuniùs repromittit esse: tanta videri negotia sua,

al. * difficultates.

ut potè multis Episcopiis, & rerum plenitudine, & dignitate nominis præstantia: hunc autem loculum modicum cum modico communicatum, opus habere vicinitate communium, & laboriosa vivacitate virium, se se bene & prudenter agere, si unde divinę servitutis honor cresceret, prompto & fideli animo ordinare & constituere satageret: seipsum autem qui hæc expetere videbatur sibi unanimiorem efficeret.

Abbas de his quæ audierat consulendi locum, & cum Fratribus conferendi postulat. Quo clementer indulto, Fratres Abbas revisit, coadunatis & consedentibus quæ sit postulatio Episcopi, quódve totius profundum consilii apertis & brevibus verbis absolvit. Fratres itaque diversa sentientes, atque ut est ingenium mobilium mentium, ídque potiùs juvenum, non eadem mirantes: interim vacillante sententia, & nutante seniorum judicio, dum suæ opinioni quisque magis innititur, primò abnuere nec assentiri velle, quod semel acceperant cur alteri curandum quàm sibi credant, votum fidelis mulieris eleëmosynam facientis manere debere, sibi subtrahi quod alter faceret, sibi minui unde alius cresceret, hoc apud populum non esse laudis præconium, sed videri vitæ degeneris & contumeliosæ improbationis* elogium. *f.* * improperationis.

Talia renarrantibus, motúque vario dissonantibus, Abbas silentiū imperat, fandíque auctoritate, & vocis libertate ad compescendum murmuris strepitum arrectus, piæ exhortationis allocutione sic inchoat: Fratres dulcissimi, Deóque carissimi, verba sunt ista dicentis Apostoli: *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam; sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes; sed quæ aliorum.* Hæc Apostoli verba sunt quasi fermentum bonæ conspersionis in nostra intelligentia, ut omnia quæ facimus, sint sine murmurationibus & hæsitationibus, *Vt simus sine querela & simplices sicut filij Dei, sine reprehensione in medio nationis pravæ & perversæ: inter quos lucetis*, ait, *sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes.* Et alibi: *Solliciti estote servare unitatem spiritus, in vinculo pacis.*

Philip. 2. 3.

Philip. 2. 15.

Ephes. 4. 3.

Vnum corpus & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ.

Vnde, Fratres mei, si in his quæ Dei sunt moneat Episcopus, nulli debet esse resistendi ausus: quia dicit in Evangelio Dominus: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit me spernit.* Ista verò suggestio nostri Archiepiscopi, considerata intentione sui, videtur nobis prodire ex insito sibi timore & amore Dei: unde nos nec justè quimus obsistere, nec ea quę ad cultum divinę servitutis pertinere sentimus, debemus ausu temerario pervertere. Si diminutionis damnum plangitis, ea quæ nobis in recompensatione concambii ad præsens transcribit, non satis providè attenditis: Si autem favores ex judicio populi assumitis, cavendum ne arundo vento agitata esse velitis. Quòd autem votum mulieris manere debere asseritis, majori credo misericordia stabit subnixum quod in usus cedet pauperum & egenorum, sicut scriptum est: *Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Cùm ergo abundemus & superabundemus, cavendum nobis est, ne sub specie pietatis & quasi defendendę rectitudinis arguamur sceleris, avaritiæ, & cupiditatis. Ideo rogo vos, Fratres, ut saniori consilio mentes vestrę inclinentur & adquiescant, ut juxta Apostolum; *Omnia vestra in caritate fiant.*

Lucæ, 10. 16.
Psal. 111 8.
1. Cor. 13.

His & hujusmodi multis atque saluberrimis allocutionibus fracta & emollita priùs exasperantium cervicositas in gratiam assentiendi redit, & annuit quæcumque sit Episcopi & Abbatis voluntas. Hinc itur ad Episcopum, quæ Fratrum fuerit obauditio exponitur; licet primùm reniti & obsistere voluerint, tamen ratione victos suam reflexisse intentionem, & bonæ voluntatis ejus non aspernari operationem. Episcopus benignè accepit, gratias egit, ordinatísque ex communi consensu oportuni testimonii optimis in attestando viris, recompensationem rerum quæ ex condicto placuerant per commutationem dati & accepti Episcopus pariter & Abbas legaliter faciunt, & ut cuique quod in præsenti assignabant determinatum & inconvulsum perseveret, vadibus juri cedentibus

tibus sub adstipulatione ratum traditur.

Pòst ubi omnia quæ præoptaverat Episcopus ex sententia comparavit, iter cum suo comitatu Macerias castellum, quod tunc frater ejus GODEFRIDUS Comes constabilibat arripuit, & illum Tingensis Cœnobioli pauperculum Abbatem Lietaldum nomine quàm celerrimè advocat, & sub testibus sanctíque Remigii Præposito, seu aliis bonæ fidei viris renarrat quidquid taxatum fuerat. Quid deinde se obedienter facere velit privatim mandat, & ut cum suis Monachis navim conscenderet, quam ipse Præsul eis imposito commeatu apparaverat, & cursum non deflecteret donec priùs Mosomum veniret imperat. Quibus ita dispositis, domnus ADALBERO conscensis equis negotium quod intenderat perfecturus, ad hanc suæ sedis Ecclesiam pervenit, & cum honore susceptus est. Tunc priores Ecclesiæ appellare cœpit, alia pro aliis quasi dissimulando fingens, déque situ & statu loci ædificiísque compositis confabulans, si quid in auro argentóque esset, quod plusculum vel pretiosum Ecclesia seu in pallis, ut in sacerdotalibus indumentis haberet, se videre velle dixit. Quibus inspectis: Et hæc, inquit, pro se satis, sed non multa sunt; ampliare autem illa potest, cujus omnia sunt.

Crastino autem facto, horâ diei quasi prima, jam Episcopus Monachos suos in proximo adesse sciebat (puer quippe in specula positus, id præ oculis facilè habens, certissimè nuntiabat) in secretario Clericos omnes coadunari facit, & præsente forti custodia sui, circũsedẽtibus omnibus sic orsus ab alto est: Multa est nimis malitia sæculi hujus & verè natura hominum ab adolescentia sua semper proclivis est in malum: quæ ad similitudinem navis positæ in medio fluctuum, nisi sedulò in anteriora expungatur, jugiter vadit retrorsum. Quam rem cur proposuerim paucis absolvam. Locus iste sub titulo assignatus sanctæ Dei genitricis MARIÆ, secundùm sui nominis dignitatem religionis non habet honorem.

Post illam namque miseriam, quam pænè omnibus importat sæculi malitia, vix pertenuis scientia, & propè

nulla clericalis seu canonici ordinis ad sciẽdum & intelligendum Deum vos exornat sapientia & continentia. Nec moras vobis faciam in multum loquendo: duorum vobis datur optio: eligat quisque quod sibi utilius videtur, aut fieri Monachum, aut cedendo vacuare locum. Cui placet in Monacho, spondeat in præsenti. Refutans & nolens mutet sedem, & exeat. Ecce habeo mihi Monachos sub norma sancti Benedicti victuros. Abbas namque cum suis Fratribus egrediens à navi, nuntiabatur jam esse præ foribus. Hîc turbatis omnibus (durus quippe sermo visus est eis de Monacho) nulli fuit consilium præter paucos quos rei familiaris angebat necessitudo, sequi bonum quod Præsul Deo dignus suadebat agendum.

Monachi in Mosomensi Monasterio constituti.

Psal. 132.

Sic Episcopus intromissis cum honore congruo Abbate & Monachis in sanctuarium: *Ecce*, inquit, *quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum.* Sit vobis *sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. Et quod descendit in oram vestimenti ejus: & sicut ros Hermon, qui stillat* in montem Sion.* Vt hîc *mandet Dominus benedictionem, & vitam in sæculum.*

al. * descendit.

Cúmque omnes respõdissent Amen. Episcopus Abbati locutus est & Fratribus: Non frustra neque sine causâ sit, quod hîc vos admittimus, quod mutatione facta ordinem Clericorum vobis postponimus, sed pensate quod dicitur: *Amice, ad quid venisti? Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereatis de via justa.* Vestrûm sit pro nobis orare; nostrûm erit, Deo donante, victualia vobis ordinare.

Matth. 26.
Psal. 2. 11.

Claustra Monasterii & officinales vobis domos metabimur, & procedente tempore opportuna quæque procurabimus; vos tantùm cum Deo ambulantes solliciti, sic Deo dignè & Sanctis ejus conversamini, ut de vobis meritò possit audiri: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus cum eis, erit eorum Deus.* Quicumque vos in hoc loco degentes per multa annorum curricula præcesserunt, sive Sanctimonialium diebus, seu Clericorum secunda per-

Apoc. 2. 13.

mutatione jam sibi succedentium, concupiscentias suas sequentes desideriis suis pravis malè inhæserunt, & facti *sicut equus & mulus, quibus non est intellectus*, in stercore suæ corruptibilis vitæ sicut jumenta computruerunt. Psal. 31. 9.
Et quia non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos in reprobum sensum, & obscuratũ est cor eorum insipiens, ut facerent ea quæ non cõveniebant. Et sicut loquitur Deus in cantico Moysi: *Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus, & irritaverunt in vanitatibus: & ego provocabo eos in eo qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos.* Nolite ergo effici participes eorum. 1. Rom. 21. Deut. 32. 31.

Sit vobis bonæ imitationis forma & speculum Beati BENEDICTI Regula, omnésque eam sequantur tanquam magistram, neque ab ea temerè declinetur à quoquam. Oro itaque vos & obsecro, sit fructuosus devotionis meę labor, ut quod de vobis agere cœpi, & facere cupio, per primitias hujus bonæ à Deo complacitæ frugis, ad plenam messem pervenire possim divinæ benedictionis & æternæ beatitudinis. Sic operamini, dilectissimi Fratres, & sic vivite, ut in novissimo vitæ hujus die non pereat in vobis misericordia Redemptoris, sed coronet in gratia pretium nostræ redemptionis per IESUM Christum Dominum nostrum.

Ecce jam in præsenti coram Deo & testibus ad vestrum servitium pro animæ meæ remedio, proque prædecessorum atque successorum meorum beatæ remunerationis commercio, de mea mensula unam villam, Oduntem nomine, cum omni banno suo subtraho: & alteram villulam Seciam, quantum inibi in jure meo venit. Itemque apud Romeliacum & Alleicurtem quicquid mihi, parum quidem, ibidem competit, in promerendo jugi suffragio dominæ meæ sanctæ Dei Genitricis MARIÆ usibus sibi fideliter servientium Monachorum libens perpetuò habenda offero, & auctoritate qua debeo vel possim legaliter trado. De patrimonio autem meo, quod in partem mihi cedit, si fratrem meum GODEFRIDUM super hoc sancto negotio, Christi adminiculante gratia, persuadendo evincere potuero, quicquid in Metensi episcopio ha-

beo, in villis videlicet Bretenaco, Rothila, Madrengias ad mansos viginti octo.

Itemque de terra quam dicunt Sulcos sancti Remigii, in duobus locis Roseolis & Castello, ad mansos duodecim, ne indigentia vini satis optimi vos coangustet sublevare curabo. Bervelliacum verò ad tria millia hinc positam, ad faciendam saginam in pastione porcorum vestrorum, cum omnibus appendiciis, ut* de manibus illis quæ nunc in beneficio tenent aut precario, aut concambio, aut cujuscumq; ingenii effectu eripere quivero, usibus vestris (tantùm peccatorum meorum maculas assiduis precibus extergite) libens adquirere instabo. Hanc villam tunc Richardus Comes Metensis ex antiquo in beneficio de episcopio tanquam jure proprio possidebat, quam bonus ille Præsul sicut promisit multo sibi adnisu attrahens antequam vita decederet, huic Mosomensi Ecclesiæ jure proprio in reliquo possidendam legaliter contradidit.

al. * ubi

Sic Episcopus coram multorum frequentia ipsum Abbatem & Fratres alloquens, & ut sui jugiter sanctè & piè vivendo memores essent exorans, in pace dimisit benedicens Mensis erat November, VII. Idus agebatur dies, quando in hoc loco constituti sunt Fratres, & cum illa Tingensi Abbatiola Mosomense cœnobium nomen habuit & participium, ut cum verbo præpositionis adverbium fieret conjunctionis, servans tenorem prænominis
971. propter mentales affectus conjunctionis. Ab incarnatione autem Domini nongentesimus septuagesimus primus perlimitabatur annus quando hæc facta sunt, Indictione quintadecima, Epacta vicesima secunda, concurrente sexto, qninquagesimo secundo decemnovennali cylo, lunari nono decimo.

Post hæc dicta & facta domnus ADALBERO secundùm Pastoralis libri sententiam quæ dicit: *Sit Rector internorum curam exteriorum occupatione non minuens*, exteriorum providentiam in internorum sollicitudine non relinquens, ne aut exterioribus deditus ab intimis corruat, aut solis interioribus occupatus quæ foris debet proximis non impendat. Quæ in Palatio erant consilii sui vi-

S. Greg. Past. curæ part. 2. cap. 7. init

gore confirmans, quæ in regno erant curanda cavens, magnanimitatis suę auctoritate præstans, summis & imis idemque ûnus ædificabat divites cum pauperibus.

Ergo Natali Domini celebrato, legatos suos Romam cum litteris dirigit, domnum IOHANNEM Papam, cognomento ALBAM GALLINAM, qui à juventutis suæ primis annis reverentiæ competentis & dignitatis angelicæ albebat canis, magnificentissima largitione condignis honorat muneribus, & quæ secum vel in Galliis agantur exponit mandationibus, séque mense Maio habere debere Concilium enarrat per Internuntium. Si quid suæ ordinationis in eo consistere velit, suæ Apostolicæ auctoritatis virum dignum eò mittat. Inde quod magis expostulet super Mosomensis Cœnobii statu, totiúsque facti causas ex amussim de omnibus secundùm conceptam bonæ voluntatis suæ justitiam informat, & ut suæ auctoritatis & Beati Petri Apostolorum Principis ad internum conservandum mereretur privilegium, humiliter ex Dei gratia poscit & implorat beneficium. Privilegium à Summo Pontif. petit Adalbero.

Papa suorum Officialium & Consacerdotum in his omnibus sententiale requirit judicium, & per Dei gratiam ut tanto viro, Pontifici videlicet nostro annueret, unum omninm in hoc bono opere assensit consilium. Proinde accito notario, & secundùm Romanæ dignitatis consuetudinem paratis scriptísque ex papyreo tomo chartis, fecit privilegium, constituit decretum. Quòd hanc Mosomensem Ecclesiam cum suo Monastico atque Monachicho ordine in perpetuum tueretur, quandiu illum divina clementia servandum disponeret, ac in suo Concilio coram Episcopis, & generali Synodo recitatum misit. Itaque ad se cum S. Romanæ Ecclesiæ Apocrisiariis regressis etiam responsalibus suis, Pręsul Deo dignus ADALBERO convocatum undique pro Canonibus religendis, & causis sanctæ Ecclesiæ in melius conciliandis, in pago Tardanensi apud Montem sanctæ MARIÆ collegit mense Maio Concilium. Vbi ordinatis justéque dispositis quæcumque videbantur necessaria & ordinabilia, voti sui pro quo Concilium apud Montem sanctæ Mariæ Tardanensis.

Romam miserat non immemor, coram venernadis Patribus & omni illa sancta Synodo sic exorsus dominus est Adalbero.

Adalberonis Oratio.

» Domini Patres ac dilectissimi Fratres audite, quæso, & » intendite humilitatis meæ preces; quoniam sicut hîc nos » congregavit Spiritus sanctus, ita quidquid ex ejus inspi- » ratione sentimus per ipsius etiam infusionem & coopera- » tionem administrari per adventum ejus super nos exoran- » tes præoptavimus, & consecuti sumus: unum restat modi- » cum, in quo auctore omnipotente Deo, etiam vestrum » expostulo favorem, consilium & benedictionem. Moso- » mus locus quidam est diœcesis nostræ, consecratus sub » titulo & nomine sanctæ Dei Genitricis MARIÆ, olim ab » exordio Sanctimonialium congregatione famosus, sed » mundi crebrescentibus malis in quo erat statu durare non » potuit, postea à fidelibus Clericorum vel Canonicorum » jam bis restitutus collectione, dum sua quærunt omnes » non quæ IESU-CHRISTI, dilapsis rebus & partim » subtractis, pæne ad nihilum redactus est. Vnde, ut credo, « ex inspiratione Dei visum est mihi, Monachorum ordine » & disciplina secundùm sancti Benedicti Regulam locum » illum in melius reformare. Quod & efficiens, domini no- » stri Romanæ sedis Antistis consilium atque auctoritatem » super hoc facto expetens requisivi. Vnde ut in præsenti » audituri estis, præeunte Christi gratia & privilegium au- » ctoritatis suæ nobis transmisit, & decretum constituens » sub pagina Sancti Petri corroboravit, & ausu temerario » infringere tentantes anathematis jaculo impetivit, sicut » infra scriptum est.

Privilegium Iohannis XIII. Papæ.

» IOHANNES Episcopus servus servorum Dei, Ca- » rissimo in Domino fratri ADALBERONI, sanctæ Re- » mensis Ecclesiæ dignissimo Archipræsuli, perpetuam in » Domino salutem. Si Ecclesias longè latéque diffusas di- » vino nutu in sancta religione crescere cognoscimus, Deo » omnipotenti laudibus exultare gratiásq; juges referre de- » bemus. Quapropter cognovimus tuâ industriâ stabilitum » in Mosomo castro, quod est super fluvium Mosæ, in ve-

neratione Dei genitricis MARIÆ Monasterium Mona-
chorum religione decusatum*, tuísque proprietatibus « *Id est*, *ornatum, à decus.
Ecclesiæque tuæ terris & Ecclesiis dotatum, quod sub «
pagina Beati Petri Apostolorum Principis decreti nostrí- «
que te orante benignè suscepimus. Insuper locellum qui «
à STEPHANO viro illustri, atque ejus conjuge FREDUIDE, «
Thin nomine constitutus, sanctóque Remigio suppositus «
fuit, quem eidem Monasterio Mosomo quia per se ob «
exiguitatem rerum stare non poterat contulisti, collatis «
rebus in recompensatione Beato Remigio, consentien- «
tibus Fratribus. «

Vt autem cognoscat universa Ecclesia nos unanimiter «
assentire, & à te collata vel conferenda, seu à quibuslibet «
in terris cultis & incultis, vineis, pratis, Ecclesiis, man- «
cipiis utriusque sexus, aquis, aquarúmque decursibus, in «
omnibus ad supradictum Monasterium pertinentibus, «
Beati Petri Apostolorum Principis & nostri firmamus de- «
creto, quatinus sine livore oblatrantium locus quietus «
& inviolabilis jugiter permaneat. «

Si quis interea, quod non credimus, temerario ausu «
contra ea quæ ab hac nostra auctoritate piè & firmiter «
per hoc nostrum Privilegium disposita sunt ire tentave- «
rit, vel hæc quæ à nobis ad laudem Dei pro stabilitate «
jamdicti Monasterii statuta sunt, frangere & in quoquam «
transgredi: sciat se auctoritate Beati Petri, cujus quan- «
quam immeriti vices agimus, anathematis vinculo in- «
nodatum, & cum diabolo & Iuda traditore Domini no- «
stri IESU CHRISTI æterno incendio concremandum. At «
verò qui pio intuitu observator in omnibus extiterit, cu- «
stodiens nostri Apostolici constituti ad cultum Dei res- «
picientis præceptionem, benedictionis gratiam & delicto- «
rum suorum indulgentiam consequatur, & vitæ æternæ «
particeps efficiatur. Scriptum per manum STEPHANI «
Scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Aprili. «

Data per manus ANDREÆ Episcopi IX. Calend. Maii, «
Anno pontificatûs domini nostri IOHANNIS sanctissimi & « 972.
tertii-decimi Papæ VII. Imperii autem domni OTTONIS «

Majoris, Augusti undecimo, Iunioris verò quinto in mense Aprili, Indictione quinta decima.

Quia igitur domini Apostolici decretum & vidistis & audistis, si placet ut itidem hujus sanctæ Synodi unanimi testimonio & nostræ humilitatis scripto corroboretur, hoc factum decernite. Itaque omnibus sub uno assensum præbentibus conscriptione facta sic recitatum est:

Extant hæc in Appendice ad Flodoardum à Sirmondo edita pag. 403. vers.

» ADALBERO divina propitiante clementia sanctæ Re- » mensis Ecclesiæ Archiepiscopus. Notum fiat universis » tam pręsentibus quàm etiam futuris fidelibus, quondam » nobis episcopio gratia & benignitate Regia contradito, » Sanctorum quoque loca quędam in honore integro repe- » risse plurimùm valentia, quædam verò pristinæ dignita- a tis statu deficiente prorsus neglecta. Inter quę ille etiam » Mosomi Cœnobialis locus antiquitatis studio certatim » constructus, ab exordio scilicet Sanctimonialium vitæ » aptatus, postmodùm verò Canonicali ordine ab HER- » VEO prædecessore nostro meliùs informatus, atque in » honore sanctæ Dei Genitricis MARIÆ dignè consecra- » tus, sed nefandis usibus utrobique negligenter incultus, » rebus quidem partim subtractis, partim verò currenti- » bus malis, sinistrę cessit fortunæ.

» Quo igitur comperto mens nostra, adhibito fidelium » nostrorum diligenti consilio, liquidò perpendens eum- » dem locum pro mundi infelicitate in Canonicali ordine » utiliter stare non posse, ęternorum spe, prout opportu- » num extitit, ibidem monasticę religionis vitam ordinato » Abbate LEOTALDO* constituit, ut ejusdem loci culto- » res religiosi tam rebus delegatis, quàm etiam fortè dele- » gandis utentes, continua vota Deo solventes, sint & » pro nobis & pro posteris nostris ceterisque ordinibus ju- » giter exorantes. Quocirca paternitatem loco nostri ve- » stri subrogandorum in illa caritate Dei enixiùs implora- » mus*, quo sub divini amoris respectu hujus rei gestæ con- » ducibili negotio consentaneæ pietatis faveant zelo, idque » liberalis auxilii indeficienti base dignentur temporum » curriculis consolari atque fulcire, ut ex eo gratiam Dei feliciter

*al. * Leodaldo.*

*al. * implorantes.*

feliciter adipiscentes, hujus præstantioris emolumenti «
mereantur fore consortes. Sed & hoc ex decretis sancto- «
rum Patrum sub auctoritate pastorali omnimodis inhibe- «
mus, immo etiam cum divini nominis obtestatione omni- «
nò interdicimus, ne unquam hujusmodi statutum quali- «
bet temeritate ab ullo nostri Ordinis violetur; quin po- «
tiùs in reliquum stabile & inconcussum jure perpetuo «
idipsum venerabiliter conservetur. Nam si per laïcos in «
rem hanc injuria invehatur, in eos procul dubio excom- «
municationis jaculum cum anathemate intorqueatur. «

ANNO igitur ab Incarnatione Domini IESU- «
CHRISTI DCCCCLXXIII*. provinciali Synodo mense «
Maio constituta, generaliter congregata apud Montem «
sanctæ MARIÆ in pago Tardanensi, hoc Decretum so- «
lemniter recitatum est coram venerandis Episcopis, Ab- «
batibus, ceterisque* fidelibus, huic nostræ institutioni «
pio assensu faventibus, immo etiam collaudantibus at- «
que confirmantibus: quorum videlicet primus ego «
ADALBERO jam præscriptus Archipræsul eidem Conci- «
lio Deo auctore Pontificali auctoritate præsidens, manu «
nostra subscribens, idem roboravi; sed & ceteri haud se- «
cus censuerunt manibus impositis solidari* hoc ipsum
Pontificale statutum, Apostolicæ auctoritatis privilegio
petitionis nostræ obtentu undecumque subnixum, ac per
hoc summo honori omnibus reverenter habendum.

* al. in Appendice ubi supra 583.

al. * ceterisque nonnullis.

* Hactenus Appendix.

Ego ADALBERO sanctæ Remensis Ecclesiæ Archipræsul subscripsi & corroboravi.

Ego WIDO Suessionensis Ecclesiæ Episcopus.
Ego HILDRICUS Belvacensis Ecclesiæ Episcopus.
Ego THEBALDUS Ambianensis Episcopus.
Ego HAIDULFUS Noviomensis Episcopus.
Ego THEUDO Cameracensis Episcopus.
Ego ADALBERO Laudunensis Episcopus.
Ego GIPUINUS Catalaunensis Episcopus.
Ego CONSTANTIUS Silvanectensis Episcopus.
Ego LIUDULFUS Tarvanensis Episcopus.
Signum ALBERTI Remensis Archidiaconi.

Signum LEUDONIS Archidiaconi.
THEBALDI Archidiaconi.
ERLUINI Archidiaconi.
HUGONIS Archidiaconi.
GERANNI Archidiaconi.
ROGERI Archidiaconi.
EMMONIS Archidiaconi.
Signum RODULFI Abbatis sancti Remigii.
ODBLEI Abbatis sancti Medardi.
RATOLDI Abbatis Corbeïensis.
BERLANDI Abbatis sancti Vincentii.
ADZONIS Abbatis sancti Basoli.

Postquam hæc acta sunt, beatæ memoriæ Præsul ADALBERO data benedictione solvit Concilium cum pace & gratia, redeuntibus singulis ad propria. Nec minùs interea, quamquam in diversa traheretur, & regni negotia cum reliquis præcipuus administraret, curabat quæ cœperat. Sed consimili studio aggreditur sancti Theodorici locum de laïcali ordine abstrahere, & Presbyterorum qui coadunati non multùm religiosè locum tenebant collectione Monasterium vacuare, atque ut olim sub Beato Remigio sanctóque Theodorico, multóque post eos tempore steterat, Abbatis & Monachorum ordine & sancta conversatione reformare.

Coadunatis etiam rebus & fundis quæ olim juris fuerant prædicti loci, & etiam Atteias de sua mensa subtrahens, in Veromandensi territorio optimi cespitis contulit villam, ad legumen & saginam, triticum quoque, quale melius illa procreat terra, mensæ Fratrum per totum annum sufficiens. Inde ad Remensem suæ sedis Canonicam intendens animum, quales invenerit, quales reddiderit, quàm rusticos & pauperes ac singulariter suis domibus vivere consuetos, quàm religiosos, quàm divites, ornatissimos, quàm communiter & claustraliter vivere docuerit, & monendo instituerit: beneficia parando, largiendo, res suas de manu potentiorum hortando, suadendo, terrendo, serviendo, redimendo: & spe semper

ad meliora tendens, Ecclesiæ quam regebat restituendo, non est meum dicere, cùm situs Remensis Claustri satis ista prædicet, communis etiam adhuc mensa Fratrum idipsum testetur: & vix præ magnitudine & nobilitate quæ tunc fuerat, pauca vestigia illius rigidi ac canonici ordinis hodiéque subsistant.

Quæ si ut singula quæque relatu digna sunt dicere tentarem, nec verba quibusdam fidem facerent, neque hi qui ea acciperent, cùm jam ex parte maxima dilapsa sint, ita tenus facta vera dicta judicarent. Quid sancti Dionysii Ecclesiam, quam vir Deo devotus extra muros urbis pro foribus majoris Ecclesiæ sanctæ Dei Genitricis MARIÆ instituit, ut ostio contra ostium posito quando Sacerdos ad sacra Missarum solemnia ad Orientem versus adstaret, Sacerdotem principalis Ecclesiæ semper in intuitu haberet, atque quidquid iste supplicans orando præmitteret, ille subsequens, præmissa offerendo firmaret; quatinus isti de his quæ præoccubuerant* cresceret devotio, & ille anteriora intendens & sanctificationibus securus adstans, Angelum fortem & ad deffendendum paratissimum atque armatum haberet à tergo. Cùm verò ille populum salutans & Occidentem respiciẽs Dominus vobiscum diceret, istum altrinsecùs positum Sacerdotem cum omnibus circumastantibus divini nominis invocatione & virtute in precando benediceret. Singulis ergo quasi generaliter omnibus providens, omnibus quasi specialiter singulis vacans, nec cœpta deserebat, nec ab incœptando dietim quæ cura pastoris expetebat, alicujus eorum defatigatus labore, intentus & semper novus ullatenus deficiebat.


al. * præ oculis erant.

Mosomensem itaque matriculam* sæpe per se revisens, sæpe per internuntios commonefaciens, piis eleëmosynarum suarum largitionibus instanter educans, Ecclesiolis, altariis, prout in manu sua veniebant, victualia Fratrum ordinabat. Claustri officinas ut spoponderat, quas & nos ex parte plurima vidimus, de suo sumptu plenè ac largiter ædificabat. In omnibus igitur quæcumque

al. * matriunculam.

Ætas Auctoris.

locus hic possidebat, sed maximè in illis quæ vel ipse jam contulerat, vel à se, vel à fratre suo conferēda de suo patrimonio repromiserat, & ipse fidelis defensor erat. Et quia Ecclesia semper pro justo Advocato contra malignantes opus habet, nullum fideliorem firmiorémque æstimans, eumdem fratrem suum omnémque suum successorem absque aliquo pacto dationis & acceptionis, vel consuetudinis, nec in quarto nec in quinto, vel ipsi vel his quibus sub se committeret, per manum Regiam, pérque auctoritatem suam Advocatum pro remedio animæ suæ constituit, ut hoc principale eis & votivum esset, ut quomodò ipsi hanc Ecclesiam tractarent, sic & pro eorum animabus beatæ semper virginis Dei genitricis MARIÆ oratio ad Deum fieret. Et licet in aliquibus fundis nostris Advocati nostri & fredum dum teneant, & consuetudines quærant, ut in Portuensi videlicet Comitiva domni GONHARDI, qui tunc ibi Præpositus erat, & Monachorum placitoniis, qui novos sibi hodie Advocatos attrahunt, insolentia & levitate & fit & factum est. Ita ergo administrato præsulatûs sui officio per plenum decemnovennalis Cycli ambitum, fide & operibus bene consummatus, suis sequacibus bonæ æmulationis relinquens exempla, x. Calendas Februarii ad æterna bonorum præmia, ubi beata spe tendebat, vinculis carnis absolutus admissus est cum Sanctis in gloria. Quia debitum hic Liber poscit finem, quæ dicenda restant sequentis paginæ explebit volumen.



TERTIVS iste Tomus sequitur qui continet hujus
Ecclesiæ Abbates, successio quos moriendi
Denuò restituit, regimen, noménque novavit.

ITaque, ut præmissum est, loci hujus in Monachico ordine à domno piæ memoriæ ADALBERONE primus Abbas institutus est D. LIETALDUS, priori conversatione Clericus, posteriori Conversus & Monachus. Igitur domnus ADALBERO Præsul Deo dignus, rebus supradictis feliciter fideliterque constitutis, veniente suæ vitæ termino obiit in pace x. Calend. Februarii: cui eodem anno successit in Episcopatu ARNULFUS. Abbas verò supradictus Lietaldus supervivens ei octo annis, obiit anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo nonagesimo septimo, XIII. Calend. Iulii.

I. Abbas Mosomensis Lietaldus.

997.

Et tertio Calendas ejusdem mensis ab Arnulfo Remorum Archiepiscopo substitutus & ordinatus est eidem loco BOSO Abbas secundus. Hic auxiliante Deo & meritis sanctæ Dei Genitricis MARIÆ Ecclesiam ampliavit: Altare de loco ubi erat removit, & in quo nunc est posuit, & per manus Archiepiscopi Arnulfi dedicari fecit, regnante Roberto Rege Francorum, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo nonagesimo nono; ordinationis suæ secundo XIV. Cal. Iulii. Videns autem idem Archiepiscopus hujus Abbatis Bosonis ad ipsum locum fidelem devotionem, credénsque sibi ad salutem animæ pervenire, largiri cœpit quædam quæ loco necessaria erant. Anno enim Dominicæ Incarnationis millesimo quinto decimo, per deprecationem illius Abbatis Bosonis, & aliorum Dei fidelium, ob susceptionem peregrinorum & pauperum donavit ad illum locum quartas omnium Ecclesiarum quæ ad ipsum pertinebant locum, & decimam porcorum quos prædicti loci Abbas vel Fratres

II. Abbas Boso.

999.

1015.

mitterent in Ardennam silvam saginandi gratia: Et dedit piscationem Cari fluminis secus Duziacum decurrentis usque ad* Mosam, & dedit bannum & districtionem omnium hominum vel feminarum, ad præfatam Ecclesiam de capite pertinentium, in Mosomo vel Flaverio* manentium, vel deinceps mansurorum. Et dedit altare de Colredo in territorio Remensi, & duas tunicas subdiaconales. Hæc sunt, quæ huic Ecclesiæ per eum provenerunt. Obiit autem anno Dominicæ Incarnationis millesimo vigesimo primo, tertio Nonas Martii.

al. * in

al. * Flaveio.

1021.

Cui successit EBALUS Archiepiscopus. Ipse reddidit Ecclesiam de Dusciot* sanctæ MARIÆ de Mosomo & Fratribus. Boso verò prædictus Abbas post præfatam Ecclesiæ dedicationem, murum in circuitu Monasterii construxit, & ante portam Destrés duo molendina quæ ibi sunt statuit super terram sanctæ MARIÆ, & horrea fieri fecit cum muro Ecclesiæ. Ejus tempore furtim sublata est tabula altaris de argento, & una crux de auro quam dedit ADELAIDIS Comitissa cum duabus aliis de argento: & ipse Abbas alteram fabricari fecit de auro, quod ei HENRICUS Imperator donavit, & de calice aureo quem DADA de Ritannia* dedit ad locum cum dorsali maximo, & aliis sacerdotalibus vestimentis. Fecit etiam fabricari thecam argenteam de multis spontaneísque collationibus & donariis pauperum fidelium, in quam translatum est de scrinio ligneo corpus sancti VICTORIS Martyris præsente EBALO Archiepiscopo, & plurimis Francorum Nobilibus, cum digna reverentia Cleri & populi, millesimo vigesimo quinto anno Dominicæ Incarnationis. Et sequenti anno obiit ipse Abbas Boso x. Calend. Iulii.

al. * Duzeïo

forte * Britannia.

1025.

III Abbas Iohannes.

Cujus successor extitit Iohannes Abbas tertius, qui & ipse pro viribus & ante abbatiam & pòst devota intentione fidelis fuit Ecclesiæ. Ipse enim inter chorum & turrim inalbavit parietes Ecclesię. Obiit autem anno MXXXI.

1031.

Quo defuncto & legatione pro instituendo Abbate ad Archiepiscopum EBALUM delegatâ, ipse Gandavo lit-

teras suas misit, & inde domnum Abbatem ROTULFUM, Mosomensis Cœnobii Monachum, sed cum benedictione & licentia prædicti Abbatis sui Iohannis commorantem apud domnum Abbatem RICHARDUM, sanctum omninò virum religionis gratiâ Remis devenire fecit, & Abbatem ordinans Calendis Octobris festo sancti Remigii spirituali sanctificatione consignavit, millesimo tri- 1033.
gesimo primo. Ebalus autem obiit anno millesimo trigesimo tertio. Cui successit WIDO Archiepiscopus.

Quæ sequuntur addita videntur præfato Mosomensi Chronico. Ex apographo And. Duchesnii: in nostro enim non extant.

ANNO Domini nostri IESU-CHRISTI DCCCCLXIX. Hoc anno ordinatus est Adalbero Remorum Archipræsul. In secundo anno ordinationis suæ, id est, DCCCCLXX. ab Incarnatione Domini, venit sanctus ARNULFUS ad hanc Mosomensem Ecclesiam. Et in tertio ordinationis suæ anno, id est, DCCCCLXXI. ab incarnatione Domini, VIII. Idus Novembris adduxit domnum LIETALDUM Abbatem cum suis Monachis, de loco qui vocatur Thin, quem construxit Freduidis Deo devota, & constituit eos in hoc Cœnobio, & dedit nobis idem Adalbero suum alodium, videlicet Marengias, Rotelan, Bertenacum, & Castellum, Roseolas, & Seciam, Berviliacum, & Odunt, Remiliacum magnum & parvum, & Arlicourt*, & Puiron, & multa alia bona nobis dedit. *al.* * Ailli-court.

Anno Dominicæ Incarnationis MLXV. Indictione III. regnante PHILIPPO Rege Francorum adolescente, anno regni ejus VI. Pontificante Gervasio Remorum Archiepiscopo, anno sui Archiepiscopatus X. Domno Abbate Bernero, ceterisque sanctæ Mosomensis Ecclesiæ Fratribus cum summa devotione facientibus, præsente domno Hugone S. R. E. Cardinali, per manus ejus elevatum est corpus sancti Arnulfi Martyris de theca priori,

& cum devotis laudibus & hymnis repositum est in aliam, sub die IX. Calend. Augusti, præsente ibi ipso repositionis die plurima utriusque sexus & ordinis multitudine, altissonis vocibus Christi gloriam collaudante.

Anno Domini MCXX. CALIXTUS Papa cum Cardinalibus Romanis, & totius Galliæ, Angliæ, Hispaniæ, Scotiæque Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus & Clericis, necnon & Principibus Franciæ, Mosomi venit habiturus colloquium cum Imperatore HENRICO V. Cischenensi, qui & ipse cum Magnatibus totius Imperii sui ad idem colloquium veniens, apud Beureliacum* villam sanctæ Mariæ Mosomensis cum omni exercitu resedit IX. Calend. Novembris.

supra * Berviliacum.

Anno Domini MCLVIII. Ascalona civitas à Christianis Deo præside capta est. Eodem anno bellum inter SAMSONEM Archiepiscopum Remensem & GUISCARDUM Comitem de Roceïo.

Anno Domini MCCXII. factum est incendium Abbatiæ Mosomensis, & cum eadem Abbatia incensa est maxima pars castri Mosomensis, videlicet à molendinis ejusdem villæ usque ad pontem.

FINIS.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

A

D

F


Galeæ

G

I

Q

S



INDICULUS FAMILIARUM

Quarum mentio fit in Genealogiis BALDUINI de Avenis.

A

B

ENGVIEN,

E

F

G

H

I

Y

Y

FINIS.



SVMMA PRIVILEGII.

LVDOVICI XIV. Galliæ & Navarræ Regis autoritate sancitum est, ne quis in Regno suo, aliisque locis suæ ditioni subjectis, Librum cui titulus: *Veterum aliquot Scriptorum, qui in Galliæ Bibliothecis, maximè Benedictinorum, latuerant*, SPICILEGIUM, absque domni Lucæ d'Achery consensu aut eorum quibus permiserit, intra viginti annos imprimat, aut divendat. Si secus fecerit, mulcta indicta, prout ampliùs in ipso Diplomate continetur. Lutetiæ Parisiorum 19. Iunii. 1654.

Sic signatum,

De mandato Regis,

LE COQ.

CONCESSIO INDVLTI PRIVILEGII.

PRÆFATUS LUCAS D'ACHERY concessit Carolo Savreux, Bibliopolæ Parisiensi jurato, indulto Privilegio uti, in quantum attinet ad ea quæ in hoc Tomo Septimo continentur: Parisiis in Monasterio S. Germani à Pratis, die vigesima Octobris 1665.

Sic signatum,

F. LUCAS D'ACHERY.

ERRATA.

IN *Præfat. mea*, *pag.* 10. *linea* 4. *lege* non eum.
Page 49. *in fine pag.* F, *lege* G. *& sic consequenter.*
Pag. 89. *linea* 18. conservatum, *lege* consecratum.
Pag. 141. *lege* 161.
Pag. 169. *linea* 31. *lege* puto.
Pag. 186. *linea* 20. *leg.* Grandis-vallis.
Pag. 189. *in margine*, *lege* 1208.
Pag. 190. *in margine*, *lege* 1109.
Pag. 290. *in margine*, *lege* confirmet, Rex orat.
Pag. 349. *linea* 19. Chrodogang. *lege* Angelramnus.
Pag. 373. *linea* 24. post Conradum. *dele punctum.*
Pag. 476. *lege* innumerabili.

Cetera, Lector, velim benigna manu corrigas.